This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 06818920 2

P. DOMINICI SCHRAM
BENEDICTINI BANTHENSIS

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ MYSTICÆ

AD USUM
DIRECTORUM ANIMARUM,
CURATORUM, OMNIUMQUE PERFECTIONI
CHRISTIANÆ STUDENTIUM.
EX S. SCRIPTURA, CONCILIIS, S.S. PATRIBUS, MYSTICIS
PRIMARIIS, ET THEOLOGICIS RATIOCINIIS
ADORNATÆ,
AC IN DUOS TOMOS DISTRIBUTÆ.



TOMUS I.
DE VITA SPIRITUALI.

SUPERIORUM PERMISSU ET APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER P. M. FILIORUM.
MDCCLXXVII.

35216

ASTOR LIBRARY
NEW YORK

APPROBATIO.

Inſtitutiones *Theologiæ Myſticæ* Authore R. P. DOMINICO SCHRAM, Benedictino Banthenſi, ad inſtar reliquorum hujus clariſſimi Viri operum, quæ communi Eruditorum Calculo probantur, in nullo Catholicæ fidei, vel bonis moribus adverſantur, & utiliſſimæ ſunt, ut hominem chriſtianum, præprimis Eccleſiaſticum, ad Culmen Evangelicæ Perfectionis manuducant. Prodeant igitur in lucem, ut legentes addiſcant, qualiter ad Perfectionem Evangelicam adnitendum ſit iis, quibus Cordi eſt, ut ſcribantur in libro vitæ. Auguſtæ Vindelicorum, die 24. Januarii Anno 1776.

JOSEPHUS ANTONIUS STEINER,

SS. Theol. Doctor, Eminent. ac Sereniſſ. Archiepiſc. Trevir. & Epiſc. Auguſt. Conſil. Eccleſ. Major. Pœnitentiarius, Viſitator Gen. Conſiſt. Aſſeſſor, & librorum Cenſor.

Imprimatur.

JOANNES HERZ,

SS. Theol. Licent. Eminent. ac Sereniſſ. Archiepiſc. Trev. & Epiſc. Auguſt. Conſil. Eccleſ. Fiſcalis, Conſiſt. Aſſeſſor, & Provicarius Gen. in Spiritual. nec non Canon. ad S. Gertrudem.

a 2 PRÆ-

PRÆFATIO.

Doctrinam fidei, & morum pro tenuitate mea explicavi in Compendio meo Theologiæ Dogmaticæ, Scholaſticæ, & Moralis: Canones, & Leges Eccleſiaſticas pro modulo meo expoſui in meis Inſtitutionibus Juris Eccleſiaſtici. Illa probum Catholicum, hæ bonum civem Eccleſiaſticum efformant; ſupereſſe videbatur nonnullis piis, & doctis viris ut probum Catholicum, & bonum civem Eccleſiaſticum ad culmen perfectionis Evangelicæ manuducerem, id quod per Inſtitutiones Theologiæ Myſticæ præſtandum erat: quibus proinde elaborandis ex eorundem virorum doctorum conſilio manus admovi, quas tamen ad arcanum hoc

divi-

divinæ Sapientiæ Sacrarium, propriæ infirmitatis mihi optime conſcius, nonniſi timens, & tremens extendi, Patri luminum ſolummodo innixus, a quo eſt omne datum optimum.

Dum autem Theologiam Myſticam audis, Venerande Lector! nauſeam, & timorem, quem nonnullis hoc nomen, ex quibusdam præjudiciis odioſum, creat, & incutit, noli concipere, *& ne dixeris in corde tuo: Quis aſcendet in cœlum? Chriſtum deducere: aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum a mortuis revocare: Sed quid dicit Scriptura? prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc eſt, verbum fidei, quod prædicamus.* Rom. 10. Neque terminos metaphoricos, quos Myſtica ad exprimenda ſua myſteria a rebus materialibus mutuari cogitur, temere deſpicias, utpote, qui in Myſtica, ſicuti in aliis ſcientiis, & artibus, ſunt quaſi technici, & ea claritate, quam myſterioſa rerum obſcuritas patitur, in decurſu explicabuntur.

Porro de origine, præſtantia, utilitate, & neceſſitate Theologiæ Myſticæ multa præfari ſupervacaneum duxi, utpote de quibus præter noſtros Theologos myſticos, & Aſcetas, quorum famoſiores §. 3. *Schol.* 2. recenſui, ipſi etiam Proteſtantes fuſe tractarunt, inter quos Gothofredus Arnoldus integrum librum edidit, ſub Titulo: *Hiſtoria & deſcriptio Theologiæ myſticæ, ſeu Theoſophiæ arcanæ, itemque veterum, & novorum Myſticorum, in 8vo Francofurti apud Thomam Fritſch.* Cui Tractatui alter adjectus eſt, ſcilicet: *Solida defenſio Theologiæ myſticæ, una cum epiſtola præcipuorum Scriptorum de rebus myſticis, & ſpiritualibus, qui poſtremis hiſce ſæculis vixerunt.* Pauca etiam de eodem argumento a §. 5. 7. pertractavi, quibus §. 8. Syſtema Theologiæ Myſticæ in hoc opere adornatum ſubjeci, quod in duos Tomos diſpeſcui, quorum primus *de vita ſpirituali*: Secundus *de Magiſterio ſpirituali* agit. Illud ſolummodo de utilitate nobiliſſimæ hujus ſcientiæ annota-

re

re volui, mirum eſſe, eam necdum eruditiſſimo hoc ſæculo ad publicas Cathedras Theologicas evectam fuiſſe, cum tamen non ſolum omnibus curam animarum quomodocunque gerentibus, ſed & Judicibus Eccleſiaſticis non raro pro diſcernendo bono ab illuſo ſpiritu ſumme neceſſaria ſit.

Proinde in horum, omniumque Chriſtianæ Perfectioni ſtudentium gratiam præſentes Inſtitutiones Theologiæ Myſticæ elucubravi; In quibus *Primo* eandem methodum, quam in aliis minimis Scriptis meis ſervavi, denuo ſequendam mihi propoſui, ut nexus rerum legentium, vel docentium commodo magis proficeret.

Secundo. Quia Theologia Myſtica doctrinalis Theologiæ dogmaticæ, ſcholaſticæ, & moralis, ac Juris Eccleſiaſtici notitiam ſupponit, hinc ad eadem Scripta mea frequenter provoco, & nonniſi errores, & hæreſes, præſertim Quietiſtarum, Pſeudo illuminatorum, & reliquorum

rum in eis necdum ſatis fuſe refutatos, ex-
preſſe refellendos ſuſcepi.

Tertio. Cum plures jam de Theologia Myſtica ſcripſerint, alii autem eorum ſolum illa, quæ ex propria experientia à Deo edocti didicerunt, adeoque tantummodo Theologiam Myſticam experimentalem nobis reliquerint: alii omiſſa via purgativa, & illuminativa, intra ſolos contemplativæ terminos Myſticam concluſerint: Alii quæſtionibus Theologicis Scholaſticis nimium indulſerint: Alii ſpeculationi magis, quam praxi inhæſerint: media via inceſſi, atque experientiæ Sanctorum, juxta principia & regulas fidei examinatæ, inniti volui; Myſticam etiam ad viam purgativam, & illuminativam extendi; inutiles ſubtilitates ſcholaſticas reſecui, & non ſoli ſpeculationi, ſed praxi potiſſimum ſtudui.

Quarto. Inter alios Theologos Myſticos ducem mihi præcipuum ſelegi Praxin Theologiæ Myſticæ Authore P. Michaele Godinez Theologo S. J. Hiſpanice primum

mum editam, nunc vero Latine redditam, & plenis Commentariis tam ſpeculative, quam practice illuſtratam &c. a P. Emmanuele Ignatio de la Reguera Theologo Hiſpano ejusdem Societatis. In 2. Tomis in fol. Romæ ex Typographia Antonii de Rubeis. An. 1745. Ex hac Theologia meliora, & utiliora collegi, eaque in novum ordinem redegi, plurimas vero tricas Scholaſticas tum Theologicas, tum Philoſophicas rejeci, utpote quibus uterque Auctor, juxta antiquata Peripateticorum placita, plus æquo ſubinde indulget, illis ſolum retentis, quæ neceſſariam lucem rebus Myſticis, & obſcuris afferre poſſunt, quas non tantum ex veteri, ſed & recentiori, & ſaniori Philoſophia illuſtrare allaboravi. Præterea ex aliis etiam Authoribus ſuppetias petii, & præſertim eruditiſſimum Opus de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione S. S. D. N. Benedicti XIV. Pontificis Maximi Summo mihi adjumento fuit, qui libro tertio, & quarto mag-

nam Myſtices partem pro more ſuo doc
ſime & profundiſſime pertractat.

Denique ſanæ, & moderatæ Erudi
rum criſi exigua Scripta mea libentiſſi
ſubmitto, & ab illis corrigi, & eru
ſummopere deſidero: Quodſi vero p
ſens hoc Opuſculum rurſus in manus
ſtigatoris inexorabilis Scriptorum meor
inciderit, eum ſaltem orare, ſi non e
rare liceat, ut ſeveriſſima virga ſua ju
modeſte, & cum charitate Chriſtiana
tur, & ignorantem potius doceat, q
publico ludibrio inurbane exponat.
enim in minimis Sctiptis meis, non n
nis mei vanam gloriam, non plauſum
culi, nec temporale aliquod emolur
tum, ſed unam majorem Dei gloriam
proximi ſalutem quæro, & intendo:
quem finem cum gratia divina ſeci
conſequendum illa infallibili ſanctæ M
Romano Catholicæ Eccleſiæ Cenſur
judicio devotiſſime & humillime ſub

CONSPECTUS
CAPITUM, PARAGRAPHORUM, SCHOLIORUM, ET COROLLARIORUM,
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

DISSERTATIO PROEMIALIS.

DE

NATURA, OBJECTO, FINE, ET UTILITATE THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

§. 1. Theologia myſtica definitur.

Schol. 1. Variæ Theologiæ ſpecies recenſentur.
Schol. 2. Theologiam myſticam eſſe ſcientiam, & ſapientiam oſtenditur.
Schol. 3. Ejusque diviſiones afferuntur.

§. 2. Theologiæ myſticæ objectum, & finis monſtratur.

Schol. Eamque etiam ſe ad viam purgativam, & illuminativam extendere probatur.

§. 3. Principia, & loci interni Theologiæ myſticæ aſſignantur.

Schol. 1. Item alii loci interni.
Schol. 2. Et Catalogus Patrum, & præcipuorum Scriptorum, qui de Myſtica tractarunt, & eorum operum texitur.

§. 4.

§. 4. Ad Theologiam myſticam praxis, & experientia plurimum juvat.

Schol. 1. Nec tamen ejus notitia ſolis perfectiſſimis reſervata eſt.

Schol. 2. Imo nec in ſola praxi & experientia, ſed in regulis fidei fundanda eſt.

§. 5. Ex his eruitur præter Theologiam myſticam experimentalem, doctrinalem neceſſario admittendam eſſe.

§. 6. Quæ eſt ſcientia utiliſſima.

§. 7. Et præſtantiſſima.

Coroll. Ad quam cum praxi conjungendam omnes monentur.

§. 8. Denique Syſtema Theologiæ myſticæ adornatur.

PARS I.

DE VITA SPIRITUALI.

CAPUT I.

In quonam vita ſpiritualis, & Perfectio conſiſtat, & quanta ſit, ad contendendi obligatio.

§. 9. Vita ſpiritualis, & ſupernaturalis hominis eſt gratia ſanctificans.

Schol. Quæ variis nominibus appellatur.

§. 10. Gratiam ſanctificantem virtutes comitantur.

§. 11. Et præter illam gratia actualis ad exercitium virtutum nobis neceſſaria eſt.

§. 12. Quæ virtutes, ut ſint heroicæ, donis Spiritus S. adjuvandæ ſunt.

§. 13. Et ſubinde gratiis gratis datis decorantur.

Coroll. 1. Proinde gratia, ceu vita animæ, maximi facienda eſt.

Coroll. 2. Eaque enixis precibus a Deo poſtulanda eſt.

§. 14. Gratiæ porro, ceu vitæ animæ, operatio per exercitium virtutum reſpondere debet.

§. 15. Proinde virtus definitur.
Schol. Et dividitur.

§. 16. In exercitio virtutum, maxime Charitatis, perfectio chriſtiana conſiſtit.
Schol. 1. Quæ explicatur.
Schol. 2. Et dividitur.
Schol. 3. Ac proprie talis aſſignatur.
Schol. 4. Item quinam ſint Heroes Chriſtiani.
Schol. 5. Quidque ad heroicitatem requiratur.
Schol. 6. Et quos actus Perfectio involvat, declaratur.

§. 17. Perfectio abſolutiſſima in vita hac mortali haberi nequit.
Schol. 1. Unde errores Pelagianorum.
Schol. 2. Beguardorum.
Schol. 3. Illuminatorum.
Schol. 4. Et Quietiſtarum refutantur.

§. 18. Perfectio tamen proprie dicta in hac vita obtineri poteſt.
Schol. 1. Quæ variis modis exercetur.
Schol. 2. Licet fixus perfectionis gradus, unicuique a Deo determinatus, non ſit a nobis deſignabilis.

§. 19. Ad perfectionem omnes Chriſtiani tendere debent pro ſtatu ſuo.
Schol. In quo autem gradu omnes obligentur, oſtenditur.

§. 20. Non ſolum autem per præcepta, ſed etiam per opera ſupererogatoria ad perfectionem omnibus tendendum eſt.
Schol. 1. Et ſubinde etiam, negligendo conſilia, ab hac obligatione aliquis deficere poteſt.
Schol. 2. Imo quandoque ad conſilia Evangelica ſequenda quis obligatur.
Schol. 3. Et ad inſpirationes divinas ad illa, & perfectiora incitantes, ſequendas.
Schol. 4. Licet ſubinde aliquis ab illis ſectandis excuſari valeat.

Coroll.

Coroll. Proinde omnes Chriſtiani ad ſtudium perfectionis excitantur.

§. 21. Quodſi Chriſtiani omnes, multo magis Religioſi tenentur tendere ad perfectionem.

Schol. Et quidem in gradu ſuperiori, quam ſæculares.

§. 22. Unde Religioſus etiam per obſervantiam Regulæ ſuæ ad perfectionem tendere tenetur.

Schol. 1. Quandonam vero ad perfectionem tendat.

Schol. 2. Et quandonam graviter contra hanc obligationem peccet.

Schol. 3. Item an peccet, ſi ſolum gravia præcepta obſervare intendat.

Schol. 4. Vel quando regulam transgrediendo graviter non peccet, explicatur.

Coroll. Denique ad ſtudium perfectionis Religioſi ſerio admonentur.

§. 23. Supra Sæculares, & Religioſos, Eccleſiaſtici Sæculares, Clerici, Sacerdotes, Parochi, & Prælati ad perfectionem in gradu adhuc altiori tendere tenentur.

Schol. Oſtenditur, quomodo perfecti eſſe debeant.

Coroll. Et ad perfectionem excitantur.

CAPUT II.

Quomodo incipientes per viam purgativam, fugam peccati, & teporis, ope orationis, & mortificationis ad perfectionem chriſtianam tendere debeant.

§. 24. Tres ſunt gradus vitæ ſpiritualis, ſcilicet vita activa, contemplativa, & mixta.

Schol. Inter quas vita mixta eſt perfectiſſima.

§. 25. In vita activa, contemplativa, & mixta tres ſtatus perſonarum, ſcilicet, incipientium, proficientium, & perfectorum diſtinguuntur.

Schol. Diſtinctio horum ſtatuum aſſignatur.

§. 26. Incipientes per viam purgativam; proficientes per illuminativam; perfecti per contemplativam ad perfectionem tendunt.

§. 27. Via purgativa eſt, in qua incipientes per fugam peccati, ope orationis, & mortificationis ad perfectionem tendunt.

§. 28. Quare primo peccatum mortale illis fugiendum eſt.

Coroll. Ad quam fugam admonentur.

§. 29. Secundo peccata venialia, maxime deliberata, & frequentata evitare debent.

Coroll. Ad quam fugam excitantur.

§. 30. Tertio Tepiditas deſcribitur.

Schol. Ejusque ſigna declarantur.

§. 31. Tepiditas excutienda eſt.

Coroll. 1. Ad eam vitandam omnes admonentur.

Coroll. 2. Et remedia contra eam præſcribuntur.

§. 32. Ad peccata, & teporem vitandum primum remedium eſt oratio, quæ definitur.

Schol. 1. Partes ejus eſſentiales explicantur.

Schol. 2. Et quomodo ſit actus Religionis, declaratur.

§. 33. Oratio omni Chriſtiano ad vitam chriſtianam agendam neceſſaria eſt.

Schol. 1. Unde errores Pelagii, Wicleffi, & Michaelis de Molinos refutantur.

Schol. 2. Et oratio de neceſſitate medii, & præcepti eſſe demonſtratur.

§. 34. Oratio non ſolum neceſſaria eſt, ſed etiam frequens eſſe debet.

Schol. 1. Non tamen continua in ſenſu Meſſalianorum.

Schol. 2. Quo verò tempore obliget, oſtenditur.

§. 35. Oratio non tepida, ſed fervida, & perfecta eſſe debet.

Coroll. Ad quam omnes Chriſtiani admonentur.

§. 36.

§. 36. Oratio prout exaudienda & implenda ſoli De
fieri debet.

Schol. Et quomodo ad Deum dirigenda ſit expl
catur.

§. 37. Nihilominus etiam bonum & utile eſt inte
ceſſionem Sanctorum apud Deum invocare.

Schol. 1. An vero Sanctos invocare, ſit de præ
cepto.

Schol. 2. Et quinam Sancti invocari poſſint.

Schol. 3. Item an juſti in via.

Schol. 4. Et animæ in purgatorio invocari poſſin
declaratur.

Coroll. Et ad invocationem B. V. Mariæ & ali
rum Sanctorum omnes excitantur.

§. 38. Ut autem oratio ſit efficax, & infallibilit
petita obtineat, requiritur primo, ut quis pro ſ
ipſo oret.

Schol. Quod per ſolutionem objectionum decl
ratur.

§. 39. Secundo requiritur, ut quis neceſſaria ad ſ
lutem petat.

Schol. 1. Unde error illuminatorum refutatur.

Schol. 2. Et quænam ſint hæc neceſſaria, oſte
ditur.

§. 40. Tertio requiritur, ut quis pie, ex fide, ſp
& charitate petat.

Schol. 1. Qualis vero fides.

Schol. 2. Qualis ſpes.

Schol. 3. Et qualis charitas requiratur, exp
catur.

§. 41. Quarto requiritur, ut quis perſeveran
oret.

Schol. Quæ perſeverantia declaratur.

§. 42. Oratio alia eſt vocalis, alia mentalis. V
calis definitur.

Schol. Et varie dividitur.

§. 43. Oratio vocalis ad vitam Chriſtianam, & p
fectam utilis eſt.

Schol.

Schol. 1. Unde Hæreſes contra eam refutantur.
Schol. 2. Et an ſit præcepta, exponitur.

§. 44. Ut oratio vocalis ſit utilis, attenta eſſe debet.
Schol. Qualis attentio requiratur, exponitur.

§. 45. Ad attentam orationem juvat primo congruum tempus.
Schol. Quod aſſignatur.

§. 46. Secundo conducit locus opportunus.
Schol. Qui determinatur.

§. 47. Tertio proficit debitus modus in voce, geſtu, & habitu, ſeu ſitu corporis.
Schol. Qui præſcribitur.
Coroll. 1. Quare Clerici ad devotam orationem Horarum Canonicarum excitantur.
Coroll. 2. Et omnibus fidelibus devotæ orationes vocales.
Coroll. 3. Et frequentes orationes jaculatoriæ commendantur.
Coroll. 4. Maxime quia oratio vocalis eis ad perfecte vivendum ſubinde poteſt ſufficere.

§. 48. Altera ſpecies orationis eſt oratio mentalis, ſeu meditatio, quæ definitur.
Schol. Et error de Molinos refutatur.

§. 49. Oratio mentalis ad vitam Chriſtianam maxime juvat.
Schol. 1. Quæritur an detur præceptum orationis mentalis.
Schol. 2. Et an Laici ſæculares ab ea excuſentur.

§. 50. Oratio mentalis etiam ad Chriſtianam perfectionem maxime conducit.
Coroll. Cui proinde omnes perfectioni ſtudentes ſedulo vacare debent.

§. 51. Ad orationem mentalem requiritur inprimis præparatio remota, quæ primo conſiſtit in lectione ſpirituali quotidiana.
Schol. Cujus lectionis praxis exponitur.

§. 52. Secundo, in frequenti exercitio præſen Dei.
Schol. Cujus praxis pariter explicatur.
§. 53. Tertio, præparatio proxima conſiſtit in rec lectione animi,
Schol. Quæ variis modis fieri poteſt.
§. 54. Quarto, ſequitur relectio materiæ meditand
Schol. Quæ attenta eſſe debet.
§. 55. Quinto, Ponderatio, diſcurſus, Affectus, Propoſitum.
Schol. Quod ad particularia tendere debet.
§. 56. Sexto, ſuccedit gratiarum actio.
§. 57. Septimo. Ex qua fluit ſui ipſius oblatio.
§. 58. Et octavo denique Petitio.
Schol. 1. Poſt meditationem examen, & reflex ſuper eam inſtituenda eſt.
Schol. 2. Tempus meditationi inſumendum ind gatur.
§. 59. Materia meditationis pro incipientibus pot ſimum ſit de quatuor Noviſſimis.
Schol. Quæ omnibus eſt neceſſaria.
§. 60. Nam primo meditatio mortis ad purgand animas requiritur.
Schol. Quomodo vero mors meditanda ſit; oſte ditur.
§. 61. Secundo meditatio judicii eodem modo nec ſaria eſt.
Schol. Cujus modus explicatur.
§. 62. Tertio. Meditatio inferni non minus plu mum prodeſt, & neceſſaria eſt.
Schol. Quænam de inferno meditanda ſint, exp nitur.
§. 63. Quarto. Meditatio cœleſtis gloriæ ad per ctionem Chriſtianam valde excitat.
Schol. De qua conſideranda potiſſimum propon tur.

Con

Coroll. Merito igitur meditationi Noviſſimorum, maxime ob fructus exinde colligendos, vacandum eſt.

§. 64. Quatuor turbant orantes, maxime impedimenta. Scilicet, diſtractio, ſcrupuli, ariditas, & deſolatio. De duobus primis, quæ incipientes potiſſimum vexant, modo agitur, adeoque diſtinctio definitur.

Schol. Et vitanda eſſe decernitur.

§. 65. Quod ut fiat, radices Diſtractionum indicantur.

Schol. Et licet omnes diſtractiones non præcaveri, tamen rejici poſſunt.

§. 66. Id quod per remedia, contra diſtractiones applicata, obtinebitur.

§. 67. Inter hæc remedia ſingulare eſt devotio, quæ definitur.

Schol. 1. Et fuſius explicatur.

Schol. 2. Ejus natura exponitur.

Schol. 3. Cauſæ illius indicantur.

Schol. 4. Et in ſubſtantialem, & accidentalem dividitur.

§. 68. Devotioni ſubſtantiali ſemper ſtudendum eſt.

Schol. Et quomodo obtineatur, oſtenditur.

§. 69. Devotio etiam accidentalis procuranda eſt.

Schol. Et error de Molinos refellitur.

§. 70. Utraque hæc devotio per orationem, & mortificationem a Deo petenda eſt.

§. 71. Et quidem devotio ſubſtantialis abſolute a Deo poſtulari debet.

Schol. Quæ nunquam eſt ſine dulcedine intellectuali.

§. 72. Devotio autem accidentalis ſolum conditione a Deo peti debet.

Schol. Ad quam nonnullæ diſpoſitiones requiruntur.

§. 73. Alterum impedimentum orantium eſt Scrupulus, qui definitur.
Shol. 1. Et explicatur.
Schol. 2. Ac in rationalem, & irrationalem dividitur.
Schol. 3. Et ejus objecta aſſignantur.
§. 74. Cauſæ ſcrupulorum indicantur.
Schol. Et ſigna ſcrupuloſi monſtrantur.
§. 75. Remedium generale contra ſcrupuloſos irrtionales eſt contemptus eorum.
Schol. Id quod per exempla declaratur.
§. 76. Alterum remedium eſt oratio.
Schol. Cujus rectus uſus oſtenditur.
§. 77. Tertium remedium eſt mortificatio.
Schol. Qua tamen diſcrete utendum eſt.
§. 78. Quartum remedium eſt cura puritatis coſcientiæ.
Schol. Oſtenditur, quomodo hæc obtineri poſſit.
§. 79. Quintum remedium eſt obedientia directpræſtanda.
§. 80. Sextum remedium eſt, agere contra ſcrpulum.
Schol. Id quod explicatur.
§. 81. Septimum remedium ſunt regulæ Epikiæ.
Schol. Quarum ſanus uſus explicatur.
§. 82. Scrupuli rationales non ſunt contemnendi.
Schol. Quod per exempla declaratur.
§. 83. Et regulæ circa ſcrupulos rationales obſvandæ præſcribuntur.
Coroll. 1. Sequitur adhortatio ad directorem ſcpuloſi.
Coroll. 2. Et ad ipſum ſcrupuloſum.
§. 84. Præter rationem ad perfectionem Chriſtnam aſſequendam requiritur mortificatio, qdefinitur.
Schol. 1. Explicatur.
Schol. 2. Variis nominibus exprimitur.

Schol.

Schol. 3. Et dividitur.

§. 85. Mortificatio in certo gradu ad vitam Chriſtianam eſt neceſſaria.

Schol. Oſtenditur, quomodo ſit neceſſaria.

§. 86. Mortificatio etiam ultra metas ſtrictæ obligationis a ſtudioſis perfectionis extendenda eſt.

Schol. 1. Mortificationis gradus aſſignantur.

Schol. 2. Ejusque neceſſitas pro omnibus determinatur.

§. 87. Mortificatio interna deſcribitur circa malos vitiorum habitus, Paſſiones, Memoriam, Intellectum, & voluntatem.

§. 88. Primo proinde mali vitiorum habitus mortificandi ſunt.

Schol. Quod fit per extirpationem vitiorum capitalium.

§. 89. Ad eradicandos pravos habitus requiritur mortificatio Paſſionum, quæ definiuntur.

Schol. 1. Et explicantur.

Schol. 2. Earum natura indagatur.

Schol. 3. Et dividuntur in paſſiones partis concupiſcibilis.

Schol. 4. Et partis iraſcibilis, quæ in ſpecie aſſignantur.

Schol. 5. Et pugna partis inferioris contra ſuperiorem declaratur.

§. 90. Paſſiones inordinatæ mortificandæ ſunt.

Schol. Et modus, eas mortificandi, præſcribitur.

§. 91. Inordinatæ etiam quaſi paſſiones in memoria dantur, quæ memoria definitur.

Schol. Et explicatur.

§. 92. Memoria mortificanda eſt.

Schol. Eamque corrigendi modus præſcribitur.

§. 93. Intellectus etiam ſua vitia mortificanda habet, qui definitur.

Schol. 1. Et dividitur.

Schol. 2. Ejus operationes.

Schol. 3. Et actus explicantur.
Schol. 4. Ac judicium proprium deſcribitur.

§. 94. Intellectus per abnegationem proprii judi mortificandus eſt.

Schol. Et modus eum corrigendi oſtenditur.

§. 95. Tertia animæ facultas corrigenda eſt volu tas, quæ definitur.
Schol. 1. Et explicatur.
Schol. 2. Leges volendi declarantur.
Schol. 3. Et voluntas propria deſcribitur.

§. 96. Voluntas, & amor proprius abnegari debe

Schol. Et gradus hujus abnegationis aſſignantur.

§. 97. Præter mortificationem internam, exter opus eſt, quæ definitur.

Schol. Et quinque corporis ſenſus explicantur.

§. 98. Corpus noſtrum cum ſenſibus externis mo tificandum eſt.

Schol. 1. Pſeudomyſticorum hæreſis refellitur.
Schol. 2. Uſus flagellationis defenditur.
Schol. 3. Mortificationis corporis neceſſitas.
Schol. 4. Et modus oſtenditur.

§. 99. Regulæ pro diſcretione in mortificatione co poris ſervandæ præſcribuntur.

Schol. 1. Quæ tamen a carne non petendæ ſunt.

Schol. 2. Quæritur, an omnis generis mortific tiones ab omnibus aſſumendæ ſint.

Schol. 3. Et an mortem accelerare per mortific tionem liceat.

§. 100. Remedia generalia pro mortificatione ex quenda.
Schol. Quorum praxis monſtratur.

Coroll. Exhortatio ad ſtudium mortificationis.

§. 101. Aphoriſmi ad incipientes.

§. 102. Arcana illius partis vitæ ſpiritualis, q ſpectat ad incipientes.

C.

CAPUT III.

Quomodo proficientes in via illuminativa per imitationem Christi, exercitium Christianárum virtutum, ac victoriam tentationum, & difficultatum in Christiana perfectione proficere debeant.

§. 103. Via illuminativa deſcribitur.
Schol. Et ejus actus, & effectus proponuntur.

§. 104. In Chriſtiana perfectione ſemper creſcere, & proficere debemus.
Coroll. Adhortatio ad hunc profectum.

§. 105. Ut autem proficiamus, Chriſtus ipſe ſe nobis ut exemplar imitandum propoſuit, in vita ſua.
Schol. Qui non ſolum ut Redemptor, ſed etiam ut Exemplar noſtrum conſiderandus eſt.

§. 106. Chriſtum igitur imitari debemus in vita ſua.
Schol. A qua imitatione nullus excuſatur.

§. 107. Ut vero eum imitemur, ejus vita affective meditanda eſt.
Schol. Illuminatorum &c. Hæreſes refutantur.

§. 108. Non ſolum in vita, ſed etiam in paſſione ſua ſe nobis Chriſtus exemplar propoſuit.
Schol. 1. Fides Catholica de paſſione Chriſti explicatur.
Schol. 2. Hæreſes refutantur.
Schol. 3. Et quædam ſpecialia de illa annotantur.

§. 109. Chriſtum igitur pro nobis paſſum imitari debemus.
Coroll. Ad quam imitationem fit adhortatio.

§. 110. Ut autem eum imitemur, ejus paſſio ſæpe affective meditanda eſt.
Schol. Affectus ex hac meditatione eliciendi aſſignantur.

§. 111. Præterea affectiva meditatio Privilegii M
ternitatis B. V. Mariæ ad proficiendum multu
juvat.
Schol. Dignitas hujus Maternitatis explicatur.

§. 112. Item affectiva meditatio Virginitatis B.
Mariæ ad imitationem, & profectum valde co
ducit.

§. 113. Affectiva etiam meditatio immunitatis
omni peccato B. V. Mariæ ad imitationem,
profectum excitat.
Coroll. Adhortatio ad imitationem vitæ B.
Mariæ.

§. 114. Denique affectiva meditatio Sanctitatis B.
Mariæ profectum noſtrum promovet.
Schol. Quæ excellentia Sanctitatis exponitur.

§. 115. Meditatio vitæ & paſſionis Chriſti, & P
vilegiorum B. V. Mariæ, ad imitationem, in
plantationem, & exercitium virtutum nos exc
tat, quæ virtus definitur.
Schol. 1. Et dividitur.
Schol. 2. Oſtenditur, quænam virtus ſit heroica.
Schol. 3. Et an virtutes inter ſe connectantur.

§. 116. Requiſita ad veram virtutem Chriſtianam
ſignantur.
Schol. Quæritur, an ſine fide, & charitate ve
& heroicæ virtutes dentur.

§. 117. Fides Theologica definitur.
Schol. Et explicatur.

§. 118. Fides Theologica ad proficiendum neceſ
ria eſt.
Schol. 1. Signa fidei heroicæ indicantur.
Schol. 2. Et actus, quibus fides implantatur.
Coroll. Adhortatio ad virtutem fidei Theologic

§. 119. Spes Theologica definitur.
Schol. Et explicatur.

§. 120. Spes Theologica ad proficiendum neceſ
ria eſt.

Schol.

Schol. 1. Signa ſpei heroicæ indicantur.

Schol. 2. Et actus, quibus ſpes Theologica augetur.

§. 121. Principalis actus ſpei eſt expectatio æternæ beatitudinis, ad quam jugiter aſpirandum eſt.

Schol. Quæritur, an detur obligatio ad eam aſpirandi.

§. 122. Spes Theologica cum timore conſiſtit.

§. 123. Unde proficiens cum ſpe, timorem Dei conjugere debet.

Coroll. Adhortatio ad ſpem, & timorem.

§. 124. Charitas Theologica definitur.

Schol. 1. Et dividitur.

Schol. 2. Perfecta charitas deſcribitur.

Schol. 3. Et charitatis gradus aſſignantur.

§. 125. Charitas Dei ad proficiendum neceſſario requiritur.

Schol. 1. Motiva amandi Deum proponuntur.

Schol. 2. Qualis amor Dei præcipiatur, oſtenditur.

Schol. 3. Actus amoris Dei declarantur.

Schol. 4. Et ſigna charitatis Dei heroicæ indicantur.

Coroll. Adhortatio ad charitatem Dei.

§. 126. Charitas Dei cum charitate proximi conjungitur.

Schol. Partes potentiales charitatis proximi recenſentur.

§. 127. Charitas proximi ad proficiendum requiritur.

Schol. Actus charitatis proximi, etiam heroicæ, indicantur.

Coroll. Adhortatio ad charitatem proximi.

§. 128. Prudentia definitur.

Schol. 1. Et dividitur.

Schol. 2. Actus prudentiæ.

Schol. 3. Et ejus ſpecies explicantur.

§. 129. Prudentia ad proficiendum neceſſaria eſt.

Schol. Partes prudentiæ integrales explicantur.
§. 130. Prudentiam comitari debet ſimplicitas; ſimplicitas prudentiæ conjungenda eſt.
Schol. Actus, & ſigna ſimplicitatis notantur.
Coroll. Adhortatio ad prudentiam, & ſimplic tatem.
§. 131. Juſtitia definitur.
Schol. 1. Partes ſubjectivæ ſeu ſpecies juſtitiæ.
Schol. 2. Et partes ejus potentiales explicantur.
§. 132. Juſtitia ad proficiendum neceſſaria eſt.
Schol. Actus juſtitiæ indicantur.
Coroll. Adhortatio ad virtutem juſtitiæ.
§. 133. Fortitudo definitur.
Schol. 1. Et explicatur.
Schol. 2. Virtutes fortitudini annexæ declarantu
§. 134. Fortitudo ad proficiendum in perfectione r quiritur.
Schol. Actus fortitudinis exponuntur.
Coroll. Adhortatio ad virtutem fortitudinis.
§. 135. Temperantia definitur.
Schol. 1. Et explicatur.
Schol. 2. Partes ejus integrales.
Schol. 3. Item partes ejus ſubjectivæ ſeu ſpecies.
Schol. 4. Et partes potentiales, ſeu virtutes a nexæ explicantur.
§. 136. Temperantia ad proficiendum neceſſaria e
Schol. Actus temperantiæ exponuntur.
Coroll. Adhortatio ad virtutem temperantiæ.
§. 137. Proficientes virtutibus ſtudentes tentati nibus maxime infeſtantur; tentatio definitur.
Schol. Cauſæ tentationum indicantur.
§. 138. In tentationibus divinæ permiſſioni nos co formare debemus.
Schol. Hæreſes circa tentationes refutantur.
§. 139. Unde primo tentationes in malis pœnæ ſolute cum reſignatione a Deo acceptandæ ſun
§. 140. Secundo, In tentationibus culpæ, exce peccato, permiſſioni & voluntati Dei nos c formare debemus.

§. 14

§. 141. Tertio. Ad tentationem ſemper parati eſſe debemus.

§. 142. Quarto. Tentationes etiam cum gaudio ſuſtinendæ ſunt.

§. 143. Conformitas tamen hæc non obſtat, quo minus orare debeamus, ne tentemur, vel vincamur.

Schol. 1. Hæreſis Pelagianorum refutatur.

Schol. 2. Et Regulæ pro hac oratione præſcribuntur.

§. 144. Quodſi tamen Deus a tentationibus ulterius nos infeſtari permittit, primum remedium erit fortis reſiſtentia cum divina gratia.

Schol. 1. Pſeudoilluminati refutantur.

Schol. 2. Et modus reſiſtendi diabolicis tentationibus.

Schol. 3. Ac mundi tentationibus.

Schol. 4. Et tentationibus carnis, oſtenditur.

§. 145. Secundum remedium eſt humilis oratio.

§. 146. Tertium remedium eſt mortificatio.

§. 147. Quartum remedium eſt uſus S. S. Euchariſtiæ.

§. 148. In S. S. Euchariſtia enim unit ſe primo Chriſtus ipſe ſacramentaliter cum ſpeciebus.

Schol. Quod explicatur.

§. 149. Secundo. Unit ſe cum juſtis per communionem ſpiritualem.

Schol. De qua nonnulla annotantur.

§. 150. Tertio. Unit ſe cum digne communicantibus ſacramentaliter, & ſpiritualiter.

Schol. Id quod declaratur, & nonnulla annotantur.

§. 151. Quarto. Unit ſe per augmentum gratiæ ſanctificantis.

Schol. Unde nonnulla deducuntur.

§. 152. Quinto. Unit ſe perſonaliter penes ſuam Hypoſtaſin, & Deitatem etiam corruptis ſpeciebus.

Schol. Objectiones ſolvuntur.

§. 153. Sexto. Unit ſe nonnullis valde Sanctis permanenter per S. S. animam ſuam replicatam.

Schol. Quæritur, an etiam ſecundum corpus in nonnullis, conſervatis miraculoſe ſpeciebus, Chriſtus longo tempore permanſerit.

§. 154.

§. 154. Pro unione cum Chriſto in S.S. Euchar. obtinenda prima diſpoſitio eſt munditia a g. peccato.
Schol. Præſertim contra charitatem Dei, & prox.
§. 155. Secunda diſpoſitio eſt munditia a veniali.
Schol. Quæritur, an venialia omnem fructum pediant.
§. 156. Tertia eſt ſtudium mortificationis.
Schol. Quod magis explicatur.
§. 157. Quarta eſt præmittenda meditatio.
Schol. Quæritur, quamdiu illa durare debeat.
§. 158. Quinta eſt actualis devotio.
Schol. Quæ explicatur.
§. 159. Sexta eſt exercitium virtutum.
Coroll. Adhortatio ad devotam Communionem.
§. 160. Aphoriſmi, qui pertinent ad proficien in vita ſpirituali.
§. 161. Arcana vitæ ſpiritualis pertinentia ad prc cientes.

CAPUT IV.

Quomodo perfecti in via unitiva ad unionem c Deo perveniant, & quibus modis cum eo uniantur.

§. 162. Via unitiva deſcribitur.
Schol. Quæ exercitia viæ purgativæ, & illuminat. væ non excludit.
§. 163. Unio cum Deo definitur.
Schol. Et in obſcuram per derelictionem, & ſu vem per contemplationem, illapſum, & tran formationem dividitur.
§. 164. Derelictio deſcribitur.
Schol. 1. Varia illius nomina explicantur.
Schol. 2. Et dividitur.
§. 165. Derelictio plerumque eſt diſpoſitio ad con templationem.
§. 166. Primus finis præterea derelictionis eſt ab ſtractio ab inordinato affectu dulcedinis ſpiritualis
§. 167. Secundus eſt majus deſiderium conſolationi divinæ.

§. 168

§. 168. Tertius eſt præſervatio a ſuperbia.
§. 169. Quartus eſt implantatio humilitatis.
§. 170. Quintus eſt radicatio in timore Dei.
§. 171. Sextus eſt excitatio ad orationem.
§. 172. Septimus eſt exercitium patientiæ.
§. 173. Octavus eſt roboratio in fide pura.
§. 174. Nonus eſt confirmatio in ſpe firma.
§. 175. Decimus eſt fortitudo in charitate perfecta.
§. 176. Undecimus eſt cognitio occultorum defectuum.
§. 177. Duodecimus eſt, totalis reformatio animæ.
§. 178. Pro aſſequendis vero his finibus derelictione bene utendum eſt.
Schol. Solvuntur excuſationes derelictorum.
§. 179. Ut bene quis derelictione utatur, prima regula eſt Directoris ſpiritualis conſilium.
§. 180. Secunda regula pro peccatoribus derelictis eſt, ut ſe toto corde convertant.
Schol. Proinde hæc derelictio ad contemplationem ordinarie non diſponit.
§. 181. Tertia pro tepidis derelictis eſt, ut teporem excutiant.
Schol. Neque hæc derelictio ad contemplationem diſponit.
§. 182. Quarta pro incipientibus, & proficientibus derelictis eſt, ut magis in perfectione proficiant.
Schol. Quæ derelictio tamen necdum ad contemplationem proxime diſponit.
§. 183. Quinta pro perfectis derelictis eſt, ut ſe totaliter abnegent.
Schol. Et hæc derelictio ſæpe ad contemplationem diſponit.
§. 184. Sexta regula docet, quomodo anima perfecta derelicta circa ſuos defectus gerere ſe debeat.
Schol. Et ratio datur, cur ejusmodi defectus Deus permittat.
§. 185. Septima oſtendit, quomodo talis anima conſolari ſe valeat.
Schol. Et quale levamen corpori indulgere poſſit.

§. 186.

§. 186. Octava ad fortem tolerantiam derelictio usque ad mortem excitat.
Schol. Nec quod nimium de ea dolere debeat.
§. 187. Nona Directorem ſpiritualem inſtruit.
Schol. Et ſigna derelictionis contemplationi pr viæ indicat.
Coroll. Adhortatio ad hilarem tolerantiam de lictionis.
§. 188. Derelictio in ſpecie alia eſt purgatio paſſi partis ſenſibilis, quæ deſcribitur.
§. 189. Hæc primo fit per privationem bonorum co poris.
Schol. 1. Et cautelæ pro hac purgatione dignoſce da præſcribuntur.
§. 190. In purgatione paſſiva per morbos corpo ad medicinas confugere licet.
Schol. Pro quarum uſu nonnullæ cautelæ adh bendæ.
§. 191. Secundo. Purgatio paſſiva partis ſenſibilis per perſecutiones hominum tum hæreticorum.
Schol. Quæ vitæ mixtæ convenit.
§. 192. Tum per perſecutiones improborum Cath licorum.
Schol. Quæ variis modis moventur.
§. 193. Tum per perſecutiones proborum.
Schol. Oſtenditur, quomodo probi bonos perſeq poſſint.
§. 194. Tertio. Dicta purgatio fit per tentation dæmonum.
§. 195. Tentant vero dæmones ſubinde per forn dabiles viſiones, & mala in bonis externis illa
Schol. Quæritur, an etiam Angeli boni malis co poralibus juſtos affligere poſſint.
§. 196. Item dæmones tentant per illecebras, & v luptates.
§. 197. Item per ſpeciem boni.
§. 198. Denique per præſumptionem.
§. 199. Non tamen pro libitu ſuo dæmon juſtos te tare permittitur.
Schol. Oſtenditur, quomodo dæmon ligatus ſit.

§. 20

§. 200. Igitur tentationibus dæmonis imperite reſiſtendum eſt.

§. 201. Et quidem tentationibus in bonis corporis per fidem, & ſpem in Deum.

§. 202. Tentationibus per voluptates, per mortificationem.

§. 203. Tentationibus ſub ſpecie boni, per orationem, & conſilium a ſpiritualibus Magiſtris acceptum.

§. 204. Tentationibus præſumptionis, per humilitatem, & timorem.

Coroll. Adhortatio ad reſiſtendum diabolicis tentationibus.

§. 205. Quarto. Purgatio paſſiva partis ſenſibilis ſubinde fit per dæmonum poſſeſſionem.

Schol. 1. Diſcrimen inter poſſeſſionem, & obſeſſionem aſſignatur.

Schol. 2. Signa poſſeſſionis diabolicæ indicantur.

Schol. 3. Dæmon an animam.

Schol. 4. Et quomodo corpus poſſideat, oſtenditur.

§. 206. Plerumque ſoli peccatores a dæmone poſſidentur.

Schol. 1. Quæritur, an Angeli boni, aut animæ beatæ, vel purgatorii corpora poſſidere poſſint.

Schol. 2. Et ad quid Exorcismi in Baptismo proſint.

§. 207. Fieri tamen etiam poteſt, ut perſonæ ſanctiores hac dæmonum poſſeſſione purgentur.

§. 208. Sed hæc poſſeſſio in Sanctis rara eſt.

Schol. 1. Unde temere a Deo peteretur.

Schol. 2. Quod ex iis, quæ dæmon in poſſeſſos valet, evincitur.

§. 209. Remedia pro obtinenda liberatione a poſſeſſione adhibere licet, quorum primum eſt uſus medicinæ.

Schol. Oſtenditur, quomodo medicina utendum ſit.

§. 210. Secundum remedium eſt purgatio conſcientiæ.

§. 211. Tertium eſt prudens, & devotus uſus S. S. Euchariſtiæ.

Schol. 1.

Schol. 1. Solvuntur objectiones.
Schol. 2. Et prudentia hic adhibenda explicatu
§. 212. Quartum eſt oratio cum jejunio.
§. 213. Quintum eſt uſus Sacramentalium.
§. 214. Sextum eſt uſus Exorciſmorum.
§. 215. Regulæ pro uſu Exorciſmorum præſ buntur.
Schol. 1. Quæritur, qualis fides requiratur.
Schol. 2. Qualis adjuratio compulſoria eſſe deb
Schol. 3. Item abuſus in expulſione vitandi in cantur.
Schol. 4. Et quænam quæſtiones fieri poſſi oſtenditur.
§. 216. Nonnulla in uſu Exorciſmorum caven & obſervanda annotantur.
Schol. 1. Quæritur, cur aliqui dæmones Exor mis magis reſiſtant.
Schol. 2. Et an effectus Exorciſmorum ſit infa bilis.
Coroll. Adhortatio ad fugam peccati tanquam p rumque cauſam poſſeſſionis diabolicæ.
§. 217. Quinto purgatio partis ſenſibilis fit per d monum obſeſſionem, quæ deſcribitur.
Schol. Et quot modis fiat, oſtenditur.
§. 218. Animæ etiam ſanctiores ſæpe per dæmon obſeſſionem purgantur, & probantur.
Schol. 1. Quæritur, quid dæmon per obſeſſion poſſit.
Schol. 2. Et quomodo in corpus agat.
§. 219. Prima regula datur pro cognoſcenda obſeſ ne diabolica in morbis a dæmone illatis.
§. 220. Secunda pro cruciatu diabolico per tactu
Schol. Cujus inſtrumenta explicantur.
§. 221. Tertia pro cruciatu a dæmone per viſu & auditum illato.
Schol. An hic cruciatus ſit ſignum ſecuturæ poſ ſionis diabolicæ.
§. 222. Quarta. Poſſeſſio diabolica ad peccat tentat.
Schol. Quæritur, quandonam obſeſſus peccet.

§. 2

§. 223. Quinta. Dæmon ad quævis mala externa obſeſſum Deo permittente cogere poteſt.

§. 224. Non tamen Deus permittit dæmoni obſidenti, ut obſeſſus, propriis manibus, & membris invitus cooperetur ad peccata externa, maxime venerea.

Schol. 1. Referuntur ſententiæ.

Schol. 2. Et objectiones ſolvuntur.

Schol. 3. Ac regulæ pro tali caſu occurrente dantur.

§. 225. Remedia contra obſeſſionem præſcribuntur.

Schol. 1. 2. 3. 4. Quæritur, an Exorcismi contra obſeſſiones conducant.

Coroll. Adhortatio ad pugnam contra dæmonem.

§. 226. Altera ſpecies derelictionis eſt purgatio paſſiva partis intellectualis, quæ deſcribitur.

Schol. Et ejus varii modi indicantur.

§. 227. Primo. Purgatio paſſiva partis intellectualis fit per derelictionem memoriæ.

Schol. Oſtenditur, quid in hac derelictione ſolatium allatum valeat.

§. 228. Secundo. Hæc purgatio fit per derelictionem intellectus.

§. 229. Tertio. Fit per derelictionem voluntatis.

Schol. 1. Exempla hujus derelictionis.

Schol. 2. Et tentationes eam ſequentes afferuntur.

§. 230. Finis purgationis paſſivæ partis intellectualis eſt diſponere ad contemplationem.

Schol. Quæ tamen non ſemper ſequitur.

§. 231. Prima regula in hac purgatione obſervanda eſt, ut bene a purgatione partis ſenſibilis diſcernatur.

Schol. Cautela directoribus præſcribitur.

§. 232. Secunda eſt, ne per leves lapſus anima nimium perturbetur.

§. 233. Tertia eſt, ut inter animas perfectas, & imperfectas derelictas bene diſtinguatur.

Schol. Ubi errores imperfectarum indicantur.

§. 234. Quarta eſt, ut anima derelicta nuda fide Deo firmiter adhæreat.

§. 235. Quinta eſt, ut profunde ſe humiliet.

Coroll. Adhortatio ad patientiam in purgatione p
ſiva partis intellectualis.
§. 236. Aphoriſmi circa derelictionem.
Schol. Quorum nonnulli explicantur.
§. 237. Arcana derelictionis.
§. 238. Altera unio ſuavis cum Deo poſt derelict
nem fit per contemplationem, quæ definitur.
Schol. 1. Quæritur, de quali contemplatione agat
Schol. 2. Variæ ejus definitiones afferuntur.
Schol. 3. Et data definitio explicatur.
§. 239. Contemplatio datur.
Schol. 1. Objectiones ſolvuntur.
Schol. 2. Et proprietates contemplationis exa
nantur.
§. 240. Contemplatio dividitur in ordinariam,
extraordinariam.
Schol. Juxta alios in acquiſitam, & infuſam.
§. 241. Contemplatio ordinaria definitur.
Schol. Ejusque natura explicatur.
§. 242. Contemplatio ordinaria datur, & per g
tiam obtineri poteſt.
Schol. Solvuntur objectiones.
§. 243. Contemplatio extraordinaria definitur.
Schol. Ejusque natura explicatur.
§. 244. Datur contemplatio extraordinaria.
Schol. Objectiones ſolvuntur.
Coroll. Adhortatio ad magnam æſtimationem co
templationis.
§. 245. Sanctum & expediens eſt, ad contemp
tionem cum diſcretione aſpirare.
§. 246. Ut autem hoc deſiderium ſit diſcretum, p
mo contemplatio a Deo peti debet.
§. 247. Secundo. Et quidem nonniſi poſt ſuffici
tem diſpoſitionem obtinenda.
§. 248. Tertio. Contemplationem ordinariam ad ſu
mum de congruo mereri poſſumus.
§. 249. Quarto. Aſpiratio ad contemplationem a
vina vocatione incipere debet.
§. 250. Quinto. Contemplatio extraordinaria non
per accidens, & raro a Deo petenda eſt.

§. 251. Sexto. Contemplatio tum ordinaria, tum extraordinaria ſolum conditionate poſtulanda eſt.
Schol. Objectiones ſolvuntur.
§. 252. Porro ad contemplationem meditatio diſponere, eamque ſupplere debet.
§. 253. Ut vero meditatio ad contemplationem diſponat; primo, non debet ſpectari ut cauſa contemplationis.
§. 254. Secundo. Meditatio debet ſupplere vices contemplationis necdum a Deo conceſſæ.
§. 255. Tertio. Meditatio ad certum tempus reſtringi non debet, ut ad contemplationem diſponat.
Schol. Quod tempus male ab aliquibus determinatur.
§. 256. Quarto. Contemplatio meditationem conſecutura divino beneplacito committenda eſt.
§. 257. Quinto. Ut meditatio ad contemplationem diſponat, affectiva eſſe debet.
§. 258. Sexto. Meditatio vitia eradicare, & virtutes implantare debet.
§. 259. Quodſi anima hoc modo per meditationem diſpoſita fuerit, Deo eam vocante contemplationi vacare poterit.
§. 260. Adeoque prima regula pro tranſitu a meditatione ad contemplationem eſt divina vocatio.
§. 261. Cui vocationi humiliter obediendum eſt.
§. 262. Eaque rite eſt cognoſcenda.
§. 263. Et abnegationem ſui ipſius ſupponit.
§. 264. Quibus ſuppoſitis pro diverſitate diſpoſitionis major, vel minor gradus contemplationis ſequitur.
Schol. 1. Quietiſtarum errores referuntur.
Schol. 2. Et objectiones ſolvuntur.
Coroll. Adhortatio ad diſpoſitionem ad contemplationem.
§. 265. Contemplatio generice ſpectata primo in Cherubicam dividitur, quæ deſcribitur.
Schol. Ejusque natura explicatur.
§. 266. Modus contemplationis Cherubicæ oſtenditur.
§. 267. Praxis contemplationis S. S. Trinitatis exponitur.
Schol. Et quomodo eam Theologia juvet.

§. 268. Praxis contemplationis S. S. Incarnatio[n]i explicatur.
Schol. Et errores Pſeudoilluminatorum refutant[ur].
§. 269. Expedit enim S. S. Humanitatem Chr[isti] contemplari.
§. 270. Utpote quæ ad affectus virtutum in no[bis] excitandos utiliſſima eſt.
Schol. Objectiones ſolvuntur.
§. 271. Praxis contemplandi S. S. Euchariſtiam [de]claratur.
§. 272. Praxis contemplationis divinorum Attri[bu]torum monſtratur.
§. 273. Ad contemplationem cherubicam ſpectat o[ra]tio ſilentii, ſeu quietis, quæ deſcribitur.
Schol. 1. Et ejus natura explicatur.
Schol. 2. Et variis nominibus appellatur.
§. 274. Datur oratio ſilentii, ſeu quietis.
Schol. Objectiones ſolvuntur.
§. 275. In oratione ſilentii non ſuſpenditur om[nis] actus intelligendi, & amandi.
Schol. 1. Quietiſtarum error refutatur.
Schol. 2. Et objectiones ſolvuntur.
§. 276. Prima regula pro diſcernenda ſancta orat[io]ne quietis a falſa eſt, ſi anima Deum ſibi loqu[en]tem audiat.
§. 277. Secunda eſt, ſi anima Deo loquenti reſponde[at].
§. 278. Tertia eſt, quod ſine attentione dicta, [&] reſponſione non detur oratio ſilentii.
§. 279. Quarta, Deo ad orationem ſilentii voca[nti] obediendum eſt.
§. 280. Quinta, nemo ſe tamen in hanc oration[em] intrudere debet.
Coroll. Adhortatio ad cuſtodiam linguæ, & auri[um] ad orationem ſilentii neceſſariam.
§. 281. Ulterius contemplatio in Seraphicam, [&] affectivam dividitur, quæ deſcribitur.
Schol. Ejusque natura explicatur.
§. 282. Contemplatio ſeraphica exercitium virtut[um] moralium ſecum habere debet.
Schol. Quietiſtarum error refutatur.

§. 2[83]

§. 283. Primus gradus contemplationis ſeraphicæ eſt contemplatio ignea, quæ deſcribitur.
Schol. Ejusque effectus indicantur.
§. 284. Secundus gradus eſt contemplatio flammea, quæ deſcribitur.
Schol. Ejusque effectus declarantur.
§. 285. Inter alios effectus contemplationis igneæ, & flammeæ eſt humilitas, quæ deſcribitur.
Schol. Et dividitur.
§. 286. Humilitas contemplativis maxime neceſſaria eſt.
§. 287. Pro acquirenda humilitate primum medium eſt, vera ſuiipſius cognitio.
Schol. Quæritur, quomodo Sancti ſe maximos peccatores vocare poſſint.
§. 288. Secundum medium eſt ſui ipſius vilipenſio.
§. 289. Tertium eſt conſideratio, quod reliqua dona ſine humilitate nihil proſint, imo obſint.
§. 290. Quartum eſt humiliatio externa.
§. 291. Quintum eſt diſcetio in operibus humilitatis
Schol. Oſtenditur, quomodo hæc diſcretio ſervanda ſit.
§. 292. Sextum eſt, ut humilitas per gradus implantetur.
§. 293. Septimum eſt agnitio propriorum defectuum, & donorum Dei recognitio.
§. 294. Septimum eſt amor contemptus ſui.
Coroll. Adhortatio ad humilitatem.
§. 295. Tertius gradus contemplationis ſeraphicæ eſt contemplatio conformativa, & reſignativa.
Schol. Cujus effectus declarantur.
§. 296. Affectus eundi in infernum pro adimplenda Dei voluntate a contemplativis ſubinde elici poteſt.
Schol. Objectiones ſolvuntur.
§. 297. Dictus tamen affectus, & alii ejusmodi extraordinarii imperfectis non expediunt.
Schol. Objectiones ſolvuntur.
§. 298. Perfectis vero animabus ejusmodi affectus extraordinarii permitti poſſunt.

Schol. Sicuti etiam nonnulli extraordinarii affect
timoris.
§. 299. Sed ad hos affectus ſemper impulſus divin
requiritur.
Schol. Illique ſanæ Theologiæ conformes eſſe d
bent.
§. 300. Quin etiam imperfecti hos affectus, nec o
nino contemnere, nec facile imitari debent.
Schol. Sed potius in amore Dei ſuper omnia ſe
ligenter exerceant.
§. 301. Licet in nonnullis caſibus tam perfecti, qu
imperfecti ad ardua etiam in particulari eligend
quam ad peccandum procedere teneantur.
§. 302. Quartus gradus contemplationis ſeraphi
eſt nuditas contemplativa.
Schol. Quæ etiam ad minima ſe extendere debet.
§. 303. Quintus gradus eſt ſolitudo affectiva, qu
deſcribitur.
Schol. Et ejus affectus declarantur.
§. 304. Sextus gradus ſunt Soliloquia, quæ d
ſcribuntur.
Schol. 1. Et connexio horum graduum.
Schol. 2. Ac affectus Soliloquiorum indicantur.
§. 305. Septimus gradus eſt nebula ſpiritualis, q
deſcribitur.
Schol. Et explicatur.
§. 306. Octavus gradus eſt libertas ſpiritus, q
deſcribitur.
Schol. 1. Ejusque effectus declarantur.
Schol. 2. Et oſtenditur, quales recreationes c
poris admittat.
§. 307. Nonus gradus eſt contemplatio obſcura, q
deſcribitur.
Schol. 1. Et explicatur.
Schol. 2. Et effectus ejus recenſentur.
§. 308. Decimus gradus eſt amor vulnerans,
plaga, aut languor amoris, qui deſcribitur.
Schol. Et ejus effectus declarantur.
§. 309. Potiſſimus quidam amoris vulnerantis,
omnis contemplationis effectus eſt amor prox
Sc

Schol. Unde ab operibus charitatis proximi nullus contemplativus excuſatur.

§. 310. Hic amor proximi etiam ad inimicos ſe extendere debet.

Schol. Quare ſigna veræ dilectionis inimicorum indicantur.

§. 311. Hic etiam amor proximi ad ſubſidium animarum purgatorii impellere debet.

Schol. Oſtenditur, quomodo hæ animæ juvari poſſint.

§. 312. Tertia unio animæ cum Deo eſt unio illapſus paſſivi, quæ deſcribitur.

Schol. Et explicatur.

§. 313. Datur contemplatio comparative paſſiva.

Schol. Objectiones ſolvuntur.

§. 314. In contemplatione paſſiva anima non amat ſine prævia cognitione.

Schol. Nonnullorum Myſticorum objectiones ſolvuntur.

§. 315. Item in contemplatione etiam paſſiva anima phyſice amat, & intelligit.

Schol. Aliquorum Myſticorum opinio refellitur.

§. 316. Primus gradus contemplationis paſſivæ eſt mors myſtica.

§. 317. Secundus gradus eſt Annihilatio myſtica.

Schol. 1. Quietiſtarum errores referuntur, & refutantur.

Schol. 2. Et ſententiæ nonnullorum Myſticorum corriguntur, & explicantur.

§. 318. Tertius gradus contemplationis eſt illapſus paſſivus.

Schol. 1. In illapſu paſſivo experimentalis ſenſatio in intellectu, & voluntate reſidet.

Schol. 2. Illapſus etiam vocatur, & eſt caſtum ſponſalitium.

Schol. 3. Nonnulla de illapſu obſervanda annotantur.

§. 319. Præter alias diſpoſitiones ad omnem contemplationem requiſitas, præſentia Dei per fidem de illo intra nos exiſtente ad illapſum diſponit.

§. 320.

§. 320. Altera diſpoſitio ad illapſum eſt eadem præſentia, prout in omnibus creaturis extra diffuſa, per fidem cognita.

Coroll. Adhortatio ad unionem illapſus.

§. 321. Quarta unio animæ cum Deo fit per tr formationem myſticam, quæ deſcribitur.

Schol. Et explicatur.

§. 322. Datur Transformatio myſtica.

Schol. 1. Almarici hæreſis refutatur.

Schol. 2. Transformatio myſtica vocatur Matri nium ſpirituale.

§. 323. Primum ſignum transformationis myſ eſt unio cum Chriſto crucifixo.

§. 324. Alterum ſignum eſt deſiderium cum ga patiendi.

Coroll. Adhortatio ad transformationem.

§. 325. Aphoriſmi circa contemplationem, & c templativos.

§. 326. Arcana, quæ pertinent ad contemplation

DIS

DISSERTATIO PROEMIALIS.

DE NATURA, OBJECTO, FINE, ET UTILITATE THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

§. I.

Theologia Myſtica quid.

Theologia *Myſtica* eſt ſcientia ex divinitus revelatis procedens de Deo, ut practice a creatura per intellectum, & voluntatem, per perfectam cum eo amoris unionem aſſequibili, Deo ſupernaturaliter concurrente.

Theologiæ variæ ſpecies.

Schol. 1. Theologia in genere eſt ſermo, vel ſcientia de Deo. Si de Deo agat per ſolum lumen rationis, dicitur *Theologia naturalis*: ſi per lumen divinæ revelationis, ſcilicet penes principia, quibus innititur, dicitur *Theologia revelata*: ſi tractet de ſola explicatione Principiorum, prout revelata ſunt, dicitur *Theologia Dogmatica*: ſi agat de iiſdem Principiis contra adverſarios fidei defendendis, dicitur *Theologia Polemica*, vel *Controverſiſtica*: ſi agat de moribus juxta legem Dei æternam præcipientem, aut prohibentem componendis, dici-

dicitur *Theologia moralis:* ſi agat per diſcurſ concludentem, deducendo ex myſteriis revela alias veritates mediatas, dicitur *Theologia ſcho ſtica:* ſi ſacra ſymbola, ſive notas rerum, figu te divina repræſentantium, explicet, myſteria illo figurarum cortice contenta enucleando, dici *Theologia ſymbolica:* ſi procedat non præciſe ſ culando, ſed dirigendo, & movendo, confor ter ad principia practica revelata, per omne ger moralis perfectionis, ad magis, ac magis cog ſcendum, & amandum Deum, dicitur *Theolo Myſtica;* quæ differt a ſcholaſtica in eo, quia n teria ejus eſt tota practica: a morali vero, q practica eſt in ordine ad perfectionem, & non ſtit in peccatis ſolummodo vitandis, ſed ulter procedit, ad mores per conſilia perficiendos uſ ad unionem voluntatis creatæ cum divina per ſu mos apices. Diviſio Theologiæ in Myſticam, ſymbolicam ſæculo quinto primum audiri cœp poſtquam libri ſub nomine S. Dionyſii Areopagi de quorum Auctore Critici diſputant, compa runt; qui librum de Theologia ſymbolica ſcrip qui modo deeſt, & de Theologia Myſtica, qui huc extat, & S. Maximum Martyrem, Pachym ram, & alios Commentatores nactus eſt, & Thoma, ac aliis Theologis maximi habetur. R quæ diviſiones a ſæculo 12. poſt Petrum Loml dum Epiſcopum Pariſienſem, dictum Magiſt ſententiarum, qui ſtrictiori methodo materias Tl logicas in ſcholis pertractare cæpit, ſucceſſive valuerunt.

Theologia Myſtica eſt ſcientia. Schol. 2. Theologia Myſtica recte dicitur *ſcientia,* quia non minus evidenti diſcurſu procedit, q reliquæ humanæ ſcientiæ: tum quia in ma ſua non minus, imo magis certo procedit, ut nixa principiis fide divina creditis, etſi non dentibus lumine naturæ. Eſt item vera *ſapie* *Sapientia.* quia per altiſſimas cauſas judicat de perfection feriorum, & media convenientia fini optime ordinat. Denique eſt *practica,* tum quia tota q

ta eo tendit, ut ſive incipientes, ſive proficientes, ſive perfectos magis, ac magis usque ad intimam unionem cum Deo in via, & in patria perficit: tum quia principia illius revelata ſunt practica; ſcilicet: *Diliges Dominum Deum tuum* &c. tum quia media illius, orationis, mortificationis &c. ad operationem tendunt.

Schol. 3. Theologia Myſtica dividitur *in directivam, ſive docentem,* aut *doctrinalem*, ſeu *ſubjectivam*, quæ in hoc opere explicatur, & (§. 1.) definita fuit: & in *experimentalem, ſeu elicitivam, ſeu utentem, aut objectivam*, quam aliqui definiunt: *Eſt extenſio animi in Deum per amoris deſiderium:* Alii: *eſt motio anagogica, id eſt, ſurſum ductiva in Deum per amorem purum, & fervidum.* Alii: *eſt experimentalis cognitio habita de Deo per amoris unitivi complexum.* Gerſon *Tract.* 7. *ſup. Magnif. l.* 3. ita definit: *Eſt diviniſſima Dei cognitio, quæ eſt per ignorantiam cognita, ſecundum unionem ſuper mentem, quando mens ab omnibus aliis recedens, poſtea etiam ſeipſam dimittens, unita eſt ſplendentibus radiis, inſcrutabili, & profundo ſapientiæ lumine illuminata.* Hæc non ab hominibus, & verbis, uti aliæ Theologiæ, ſed per experientiam, & internis ſenſationibus addiſcitur, & a Deo ſolo edocetur, uti patet ex S. Dionyſio, qui ſuam Theologiam Myſticam *c.* 1. ita exorditur. *Dirige nos* (SS. Trinitas) *ad myſticorum oraculorum plusquam indemonſtrabile, & plusquam lucens, & ſummum faſtigium, ubi ſimplicia, & abſoluta, & immutabilia Theologiæ myſteria aperiuntur in caligine plusquam lucente ſilentii arcana docentis. Tu vero Timothee in myſticis contemplationibus intenta exercitatione, & ſenſus relinque, & intellectuales operationes . . . ſiquidem per liberam, & abſolutam, & puram tui ipſius a rebus omnibus avocationem ad ſupernaturalem illum caliginis divinæ radium detractis omnibus, & a cunctis expeditus eveheris.*

Diviſio Theolog. Myſt.

§. 2.

Objectum, & finis Myſticæ Theol.

Objectum, & *finis* Theologiæ myſticæ eſ animam per viam perfectionis ducere usque a unionem perfectæ charitatis cum Deo. Pat ex definitione Theologiæ Myſticæ. (§. 1. cu Schol.)

Quod etiam ſe ad viam purgativam, & illuminativam extendit.

Schol. Theologia Myſtica, ſi penes objectum ſu adæquate ſumatur, non eſt reſtringenda præci ad gradum perfectæ unionis *contemplativæ*, ſed etiam ad incipientes, & proficientes æque, ac perfectos, ſeu ad viam *purgativam*, *illumina vam*, & *unitivam*, de quibus in decurſu ſerm erit, extendit: ſic S. Dionyſius *c.* 1. ſuæ Theol giæ Myſticæ multus eſt, ut per praxin illius pe ducat animas valde purgatas, & illuminatas perfectæ charitatis unionem, & demum exemp Moyſis *Exod.* 19. concludit: *Non enim temere d vinus Moyſes expiari primum ipſe jubetur:* (viam purgativam) *ac deinde a non expiatis ſegreg ri; & poſt omnem expiationem audit multiſonas t bas, cernitque multa lumina, puros, ac multiplic radios jacientia*, (en viam illuminativam) *poſtm dum a multitudine ſeparatur, & cum electis Sace dotibus ad ſummum faſtigium divinorum aſcenſu pertingit.* (en viam unitivam) Eodem modo Ge ſon *Tract. de myſt. Th. pract. conſid.* Myſticæ al mnos enumerans ait: *Numeramus primos inter i cipientes, alios inter proficientes, perfecti ſunt reliq* Quod idem in reliquis Theologis myſticis obſe vare licet. Nec *obſtat*, quod hoc modo Theolog Myſtica a morali non differret, utpote quæ in m ribus absque peccato componendis conſiſtit. (§. *Schol.* 1.) Nam hoc ſolum ſequitur, quod myſt ca moralem ſupponat, & perficiat: Myſtica eni non ſolum agit de jam perfectis, ſed de tenden bus, & aſpirantibus ad perfectionem, ſiquide opus Theologiæ Myſticæ eſt, reddere perfecto

qu

quod nonnisi per partes fit, & incipiendo, & proficiendo, & perveniendo, in quibus omnibus Myſtica lumen, & vires miniſtrat.

§. 3.

Principia, & loci Theol. Myſt. *Principia*, e quibus Theologia Myſtica ſuas regulas, & veritates accipit, eadem ſunt, e quibus Theologia Dogmatica, Polemica, Moralis, & Scholaſtica ſuas veritates, regulas, & concluſiones deducit; ſcilicet: *S. Scriptura*, *Traditio*, ad quam revocatur unanimis Patrum conſenſus in uno dogmate: & *Eccleſia*, ſive in Conciliis œcumenicis cum capite ſuo congregata, ſive diſperſa, in dogmate a capite ſuo definito conſentiens. Qui ſunt *loci interni*, & *neceſſarii*, & explicati fuerunt in meo Compendio Theologiæ Dogmaticæ ſcholaſticæ, & moralis in Diſſertatione Prœmiali, quæ in hoc opere ſupponitur, & data opportunitate citabitur. Omnia hæc patent ex definitione Theologiæ Myſticæ. (§. 1.)

Alii loci. *Schol.* 1. Loci interni non neceſſarii, qui ſubminiſtrant principia, e quibus eliciuntur regulæ, & propoſitiones magis, vel minus probabiles; ſunt auctoritas *Conciliorum Nationalium*, *& Provincialium*, & *SS. Patrum*, qui de Myſtica tractarunt, ſeparatim ſpectatorum, ac Theologorum tum Dogmaticorum, Polemicorum, Moralium, tum Myſticorum. *Locus externus*, pro dilucidandis veritatibus Myſticis, eſt vel *rationis*, vel *Philoſophiæ*, vel *experientiæ* in rebus Myſticis.

Patres, qui de Myſtica ſcripſerunt. *Schol.* 2. Patres, qui de Myſtica Theologia ſcripſerunt, præcipui ſunt ſequentes,

S. Dionyſius Areopagita, vel, uti recentiores Critici volunt, alius quidam ſæculi 4ti, vel 5ti

 Scriptor

Scriptor ſub nomine S. Dionyſii, libros de *Theo*
gia Myſtica ſcripſit, quos accuratiſſime edidit B
thaſar Corderius, cum præcipuis Gloſſatoribu
S. Maximo Martyre, & Georgio Pachymæra.

S. Baſilius M. in Aſceticis fæcundiſſimus
Tom. 2. novæ editionis per Benedictinos Con
S. Mauri.

S. Gregorius Nyſſenus Aſcetica dedit in *Epiſ*
la de nomine Chriſtiani: De Oratione Dominica:
octo Beatitudinibus: de vita Moyſis: in Cantica.

S. Gregorius Nazianzenus plura Aſcetica ſolut
& ligata oratione edidit.

S. Joannes Chryſoſtomus quaſi totus Aſcetic
eſt. Editio Maurina optima eſt. Poſterior exp
ſitio in Matthæum non eſt S. Chryſoſtomi, ſed
terius ignoti, qui juxta Bellarminum, *de Scrip*
Eccl. aut hæreticus, aut ab aliquo hæretico in h
opere corruptus fuit.

Joannes Caſſianus totus fere Aſceticus eſt,
ſuis *Collationibus*, in quibus non ſolus docet, ſ
apud illum viri ut plurimum ſanctiſſimi, Ægypt
& Palæſtinæ Abbates, excepta collatione 13,
17, quæ errores continent. Editio per Gazæu
optima eſt.

Vitæ Patrum ſententias Aſceticas oppido ſub
mes continent, ſed non ſemper. Authorum bo
nomina, & hiſtorica certitudo ſæpe deſiderantu
quæ criſi ſubjecit Heribertus Rosweidus edit
illarum.

S. Joannes Climacus in ſua *Scala Paradiſi*, un
nomen Climaci accepit, in Aſceſi, & Myſtica e
pertiſſimus eſt. Editio ejus per Matthæum Rad
rum optima cenſetur.

S. Gregorius M. in omnibus operibus ſuis, m
xime in *Libris Moralium*, ex profeſſo docet aſc
tica, & myſtica. Editio Maurina reliquis præſt

S. Iſidorus Hiſpalenſis totus Gregorianus eſt
Aſceticis, maxime in tribus libris *ſententiarum.*

S Ambroſius Myſticus eſt in libris *Officiorum*
Patriarcharum, expoſitione Pſalmorum, maxi

II

118, & *in Lucam.* Editio Maurina accuratiſſima eſt.

S. Auguſtinus in Aſceticis, & Myſticis uberrimus eſt, præſertim in ſuis *Confeſſionibus, expoſitione in Pſalmos*, & multis tractatibus collectis Tom. 6. editionis Maurinæ. De ſoliloquiis, & meditationibus ſub ejus nomine citatis non pauci dubitant: ſaltem ex S. Auguſtino hi libri deſumpti ſunt.

S. Hieronymus in ſuis Expoſitionibus, & pluribus Epiſtolis non parum eſt Aſceticus. Editio Maurina commendatur.

S. Dorotheus Archimandrita *ſermones*, aut *inſtitutiones* aſceticas conſcripſit, quæ habentur *in noviſſ. Biblioth. Vet. Pat. Tom.* 5. & a Corderio in opuſculo ſeparato illuſtrantur.

S. Anſelmus Cantuarienſis abundat Aſceticis in ſuis *Meditationibus*, & *Orationibus*, in editione Maurina contentis.

S. Bernardus quaſi totus eſt Aſceticus, &, ut ita loquar, myſticiſſimus, præſertim in ſermonibus ſuper *Cantica Canticorum.* Pro criſi ſerviet Editio Maurina accuratiſſima.

Alii Myſtici primarii.

Hugo, & Richardus Victorinus Myſticam non minus doctrinæ methodo, quam ſpiritus unctione egregie docuerunt ſæculo 12. videatur Labbe cum Bellarmino.

Guillielmus Pariſienſis Epiſcopus de re myſtica ſæculo 13. ſcripſit in libris *de Univerſo*, & *de Rhetorica divina.*

S. Thomas 2. 2. & in *opuſculis* 4. *de Præceptis*, & 18. *de Perfectione*, Myſticam Theologiam mire illuſtravit. Opuſculum 6. *de Dilectione* illi abjudicat Echard. in Biblioth. Ord. Præd.

S. Bonaventura in ſuis præcipue *opuſculis* Myſtico Magiſterio excellit. Opus de *Myſtica Theologia*, de quo dubitatur, in editione Romana juſſu

Sixti V. tribuitur Hugoni a Palma Carthuſiano, S. Bonaventuræ abnegatur.

Dionyſius Carthuſianus, a patria ſua Rikel d ctus, ſæculo 15. de rebus myſticis in *opuſculis* ſu tanquam expertus doctiſſime, & ſanctiſſime ſc pſit, Doctor extaticus vocatus apud Miræum *elog. Belg.*

Thomas de Kempis ſæculo 15. plura aſceti opuſcula edidit, quæ Sommalius collegit: ſed p mam inter illa notam apud omnes, maxime M ſticos, obtinuit aureum illud opuſculum *de imit tione Chriſti* 4. libris conſtans, quod tamen a mu tis Joanni Gerſen Abbati Benedictino tribuitur.

Joannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis plu opera ſcripſit, quæ valde aſcetica, & methodi valde myſtica ſunt, & magnam partem operu ejus conficiunt, quorum ſplendidam editione Antverpienſem an. 1706. Dupinus curavit.

Henricus Harpius Franciſcanus tres libros *Myſtica Theologia* ſcripſit, quod opus an. 1583. R mæ repurgatum a Myſticis commendatur.

Sæculo 14. floruerunt Myſtici magni nominis ſcilicet, *Henricus Suſo* Dominicanus in ſuis piiſſ mis operibus: *Joannes Thaulerus* pariter Domin canus in ſuis ſpiritualiſſimis ſermonibus, & tract tibus: *Joannes Rusbrochius* Canonicus Regular S. Auguſtini ſimiliter in variis operibus myſtic more docens. Hi ob aliquas duriuſculas locuti nes a nonnullis Catholicis male accepti ſunt, u Thaulerus ab Ekio; Rusbrochius a Gerſone; & pſeudo-illuminatis in ſuas partes trahuntur, aliis vero catholiciſſimis, uti Carthuſiano, Bloſ &c. vindicantur, & explicantur.

Sanctæ Fœminæ.

S. Birgitta multa Myſtica habet in ſuis *Revel tionibus*, cum notis Duranti editis.

S. Gertrudis, & Mechtildis in uno monaſteri & eodem ſpiritu ſodales libros myſticos ſcripſ runt, quos Apologia munitos Lanſpergius edidi

S. C

S. Catharinæ Senenſis opera divina plane ſapientia redundant, quæ Hieronymus Giglius cum docto alio annotatore edidit. Quarum ſanctarum fœminarum doctrinam contra obtrectatores Bloſius in ſuo *Monili ſpirituali* apprime defendit, & commendat.

Myſtici Recentiores.

S.Ignatius in opuſculo *Exercitiorum ſpiritualium* animas in via perfectionis mire inſtruit.

S. Franciſcus Xaverius in ſuis *Epiſtolis* per Turſellinum, & Poſſinum editis ſpiritum inflammat.

S. Franciſcus Borgias in ſuis *opuſc. ſpirit.* editis Bruxellis an. 1675. ſuum ſpiritum in contemptu mundi, & amore Dei expreſſit.

S.Thomas a Villanova *Conciones* ſuas Romæ an. 1659. editas Myſticis regulis implevit.

S. Franciſcus Saleſius *ſuis ſcriptis*, maxime in ſua *Practica Amoris Dei, cœleſti doctrina refertis,* uti ait Eccleſia in ſuo off. *Eccleſiam illuſtrāvit, quibus iter ad chriſtianam perfectionem tutum, & planum demonſtrat.*

S.Petrus de Alcantara in ſuo opuſculo de *oratione,* & *meditatione* eximium ſui ſpiritus ſpecimen reliquit.

S. Joannes a Cruce juxta elogium Eccleſiæ, *in divinis explicandis arcanis, æque ac S. Thereſia Apoſtolicæ ſedis judicio divinitus inſtructus, libros de Myſtica Theologia cœleſti ſapientia refertos conſcripſit.*

S. Thereſia vere aureo calamo recondita myſticæ arcana in ſuis libris reſeravit, & teſte Eccleſia in off. *multa cœleſtis ſapientiæ documenta conſcripſit, quibus fidelium mentes ad ſupernæ patriæ deſiderium maxime excitantur.*

S. Maria Magdalena de Pazzis, ut Eccleſia prædicat in off. *diuturnas, & admirabiles extaſes paſſa eſt, in quibus & arcana cœleſtia penetravit.* In iis miram illam doctrinam Myſticam dictavit, purioribus ſæpe terminis ſcholaſticis expreſſam, uti oſtendit Vincentius Puccinus in additione 1611. ad vitam.

V. Ludovicus Bloſius Benedictinus vir eximi pius, & doctus, locupletiſſima unctione ſpiritu opera myſtica ſcripſit, quæ varias editiones me ruerunt.

V. Joannes de Avila ſcripta ad perfectioner chriſtianam utiliſſima compoſuit, præſertim in tra ctatu: *Audi filia*, & ſuis ſpiritualibus *Epiſtolis* quarum editiones recenſet Nicolaus Antonius i ſua *Biblioth. Tom.* 1.

Joannes Bona Cardinalis in ſuis *Opuſculis Aſcet cis* in unum tomum collectis Antverpiæ an. 169 maxime in illo: *de Diſcretione ſpirituum*, pie, erudite Myſticos docet.

Ludovicus Granatenſis Ord. Præd. in *duce pe catorum*, de *oratione*, & *meditatione*, & *memoria vitæ chriſtianæ* Myſtices præcipua capita inſignite pertractat.

V. Bartholomæus de Martyribus Archiep. Brac carenſis Ord. Præd. in ſuo *ſtimulo Paſtorum*, & i *compendio ſpiritualis doctrinæ ex variis SS. Patru ſententiis collectæ* Myſticen doctiſſime pertractat.

Dominicus Gravina ad diſcretionem ſpiritu manu ducit in ſuo *Lapide Lydio ad diſcernendas r velationes veras a falſis.*

Thomas Vallgonera Ord. Præd. Myſticam ex ponit in ſua *Theologia Myſtica D. Thomæ.*

Laurentius Brancatus de Lauræa Franciſcanu Cardinalis Myſticam exponit in ſuis opuſculis *d oratione*, & *contemplatione*.

Andreas de Guadalupe Franciſcanus *Theologia Myſticam* ſcripſit.

Antonius Arbiol Franciſc. *Monita ſpiritualia* aliosque tractatus myſticos edidit.

Felix de Alamin O. S. Franc. *ſpeculum veræ*, *falſæ contemplationis* contra Quietiſtas edidit.

Joannes a Jeſu Maria Ord. Carm. excalc. *T.* ſuorum operum *Theologiam Myſticam* reliquit.

Philippus a SS. Trinitate Carm. excalc. & illi ſequax Antonius a Spiritu S. ſub titulo *Myſti Theologiæ* methodice docent, quod promittunt.

Th

Thomas a Jeſu Carm. excal. in tractatu *de oratione divina, & contemplatione divina* hoc argumentum docte exponit.

Joſephus a Spiritu S. noviſſime plenam edidit *Theologiam ſcholaſtico-myſticam.*

Honoratus a S. Maria Carm. excal. Pariſiis Gallice edidit an. 1708. tribus tomis in 8vo. opus eruditiſſimum *de contemplatione ex traditione Patrum.*

V. Bellarminus S. J. in ſuis opuſculis: *de aſcenſione mentis ad Deum: de æterna felicitate Sanctorum: de gemitu columbæ, ſive de dono lachrymarum: de verbis Domini in cruce prolatis:* Myſticam inſtillat.

V. Ludovicus a Ponte S. J. *in ſuis meditationibus: in tomis 4. de perfectione chriſtiana in quolibet vitæ genere: in duce ſpirituali: in expoſitione morali, & myſtica Cantici Canticorum: in vita P. Balthaſaris Alvarez,* animos ad perfectionem manuducit.

Jacobus Alvarez de Paz S. J. tribus tomis in folio *de vita ſpirituali* omnia ad Myſticam ſpectantia pertractat.

Maximilianus Sandæus S. J. eruditum opus *de Theologia Myſtica* edidit.

Alphonſus Roderizius S. J. totam aſceſin optime exponit in ſuo *Exercitio perfectionis.*

Franciſcus Arias S. J. Myſtices Magiſtrum agit in ſuis operibus: *de profectu ſpirituali: de oratione mentali: de imitatione B. V. Mariæ: de imitatione Chriſti.*

Bernardinus Roſignolius S. J. accuratum opus edidit, *de diſciplina chriſtianæ perfectionis.*

Nierenbergius S. J. Myſticen docet in ſuis *doctrinis Aſceticis,* & in libro *de pretio, & æſtimatione divinæ gratiæ.*

Nicolaus Lancicius S. J. in ſuis *opuſculis ſpiritualibus* aſceſin docte, & pie exponit.

Paulus Segneri S. J. in *ſua concordia* contra quietiſmum pugnavit.

Joſephus Surin S. J. in ſuo *Catechiſmo ſpirituali chriſtianæ perfectionis* Myſtices capita breviter exponit.

Michael

Michael Godinez S. J. *Praxin Theologiæ Myſti-cæ* edidit, quam Emanuel Ignatius de la Regue[ra] S. J. doctiſſimis commentariis duobus tomis in fo[-]lio illuſtravit, quibus in hoc opere præſenti p[o-]tiſſimum uſus fui.

Joſephus Lopez Ezquerra non ita pridem edid[it] *Lucernam Myſticam*, qua duce S. Joanne de Cruc[e] & Alvarez de Paz obſcuriora Myſtices antra illu[-]ſtrat.

Benignus Boſſuet Epiſcopus Meldenſis in ſu[is] *tribus tractatibus de nova quæſtione* : 1. *Myſtici [in] tuto* : 2. *Schola in tuto* : 3. *Quietiſmus redivivus* & in ſua *inſtructione ſuper ſtatus orationis*, potio[ra] Myſtices fundamenta defendit.

Benedictus XIV. Papa in ſuo præclariſſimo op[e-]re *de Servorum Dei beatificatione, & Beatorum c[a-]nonizatione* plura Myſtices capita profundiſſime e[x-]planat.

§. 4.

Experientia ad Myſticam requiritur.

Ad Theologiæ Myſticæ perfectionem acqu[i-]rendam *Experientia*, & *Praxis* maxime cond[u-]cit, & neceſſaria eſt. *Primo* enim Theolog[ia] Myſtica tendit ad praxin (§. 1. *Schol.* 2.) c[u-]jusvis autem artis, vel ſcientiæ practicæ pr[o-]prium eſt, quod ipſa praxi etiam in docen[do] perficiatur, quatenus propria experientia reg[u-]las ſuas congrue applicare, & errores evita[re] diſcat: quippe fabricando faber fit. *Secun[do]* Operationes interiores, & affectus cordis nu[n-]quam tam bene, vel proprio diſcurſu, vel [ex] alterius teſtimonio cognoſcuntur, ſicut propr[io] experimento: cum ergo Theologia Myſtica [in] iis perficiendis potiſſimum occupetur, pat[et] ad eam vel addiſcendam, vel docendam exp[e-]rientiam propriam eſſe neceſſariam: ut en[im] Caſſianus *collat.* 12. *c.* 13. ait: *Tanquam ſi q[ui]*

dulcedinem mellis ei, qui nunquam quidquam dulce guſtaverit, velit ſermonibus enarrare, profecto nec ille ſaporis ſuavitatem, quam ore percepit, auribus capiet, nec ille dulcedinem, quam guſtus voluptate cognovit, verbis poterit indicare. Tertio Perfectiſſimi Myſtici ſemper etiam fuerunt ſanctiſſimi propria experientia a Deo edocti, uti in S. Joanne a Cruce, & S. Thereſia &c. apparet. Unde merito Gerſon *Tr. de Myſt. Theol.* conſ. 31. non vult ad myſticam admittendos maxime in directores, *qui tumentes jam Philoſophia, maleque videntes, conculcant pedibus ſuis ſordidis, quidquid non ſapiunt, quidquid etiam non intelligunt, canino dente lacerant,* juxta illud Pauli Rom. 8. v. 5. *Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt, ſapiunt: qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt.*

Non tamen ſolis perfectis reſervata eſt.

Schol. 1. Dum dicitur ad Theologiam Myſticam perfecte docendam, vel addiſcendam propriam praxin, & experientiam requiri, non eſt ſenſus, quaſi vero docens, vel diſcipulus ſemper jam perfectus, & contemplationis extraordinariæ munere a Deo donatus eſſe debeat, ſed ſufficit, ut cum fervore in via Domini incipiat, vel proficiat, quo modo longe excellentius myſticas veritates, vitæ ſpirituali proprias, vel explicare, vel capere poterit.

Myſtica non ſoli praxi relinquenda eſt.

Schol. 2. Myſtica non ſoli praxi, & experientiæ relinquenda eſt, ſed in quantum Myſticæ doctrinali conformis fuerit, cujus ſubſidio, juxta regulas fidei, & Doctorum experimentalium, qui ut ſecuri teſtes in Eccleſia habentur, errores evitari queant. Ut enim Gerſon citatus *conſ.* 8. monet, non ſunt illico contemnendi, vel rejiciendi, qui via ſpiritus extraordinaria ducuntur, nec tamen ipſis ex levi credendum eſt, ſed ad normam traditionis Eccleſiæ accurate examinandi ſunt, ut pretioſum a vili ſeparetur.

§. 5.

§. 5.

Theolog. Myſt. eſt neceſſaria.

Ex præmiſſis fluit *Primo,* quod præter Theologiam Myſticam experimentalem, *Theologia Myſtica doctrinalis*, velut ſcientia acquiſita, more ſcientifico procedens, *neceſſario admittenda ſit.* Nam *Primo* licet Myſtica doctrina multa a Deo in S. Scriptura revelata, plura a Patribus tradita, multa privatim revela vel per alia lumina infuſa, & ſine alio magiſterio contemplativis communicata ſupponat, tamen ex his principiis regulas ſecuras collig quæ animas ad perfectionis chriſtianæ faſtigium perducant; quæ regulæ cum ſint neceſſariæ, etiam Theologia Myſtica doctrinalis e neceſſaria. *Secundo*: ſine Theologia Myſti doctrinali ſola experimentalis facile ad ſpiritu privatum, & illuſum declinat, qui eſt fons omnium hæreticorum in ſpeculativa, & illuſorum in Myſtica. Unde etiam ipſa Eccleſia ſi in judiciis S. Officii Inquiſitionis, ſive in cau canonizandorum ſpiritus maxime extraordinarios accuratiſſime juxta regulas Myſtices doctrinalis examinat. Et S. Thereſia *c.* 13. *ſuæ vit* animabus ſpiritualibus ſummopere commenda ne ſibi ipſis fidant, ſed Confeſſarium literatun licet non ita Myſticæ experimentalis expertun perfectionis tamen ſtudioſum (§. 4. *Schol.* 1. quærant, & ait: *Magnæ res ſunt literæ, u pote quæ inſtruunt, & docent nos parum ſapien tes: invenientes vero illarum luce veritatem ſcriptu ræ, facimus mox, quod tenemur.* Et P. Segne *in ſua Concord.* pro deteriori ſigno Quietiſtarui habuit, quod ſolos expertos judices ſuæ doctr na

ſtatuerent, & ait: *Experientia quidem juvat plurimum, at eſt fallax, maxime in his materiis, quæ cum non ſint phyſicæ, ſed morales, ſubjectæ ſunt quam maxime varietati.* Ergo Theologia Myſtica doctrinalis ad evitandos errores in via perfectionis, & ad directionem animarum, & ſpirituum diſcretionem eſt neceſſaria.

§. 6.

Secundo ex præmiſſis ſequitur, *Theologiam Myſticam eſſe ſcientiam utiliſſimam* *Primo* enim, ... Alvarez de Paz *in præf. de vit. ſpir.* ait: „Hæc eſt vera ſapientia, quæ non in jejuna ſpeculatione, ſed in utili operatione ſita eſt; non in diſputationibus, ſed in fuga ab omni malo, in adhæſione incommutabili bono, & in perfecta mandatorum obſervatione, atque in animi puritate conſiſtit". *Secundo* Theologia Myſtica abundat principiis fide revelatis universalibus, & ſingularibus: gaudet ſignis ſpecialiſſimis credibilitatis, pro diſcretione inſpirationum, revelationum, & ſpirituum: diſcurſibus utitur tam ſolidis, quam utilibus, & inter alia, ut in oratione mentali utiliſſime diſcurrere doceat. Dona ſupernaturalia, non ſolum fidei, & ſcientiæ, ſed etiam prophetiæ, & diſcretionis ſpirituum, raptuum, extaſium internoſcere, & vera a falſis diſcernere docet, uti ex decurſu patebit. Ergo eſt utiliſſima.

Theolog. Myſtica eſt ſcientia utiliſſima.

§. 7.

Tertio ſequitur, Theologiam Myſticam *eſſe ſcientiam præſtantiſſimam.* Unde eam maximis elo-

Et præſtantiſſima.

elogiis Aſcetæ deprædicant. Gerſon *de mo*
contempl. c. 4. ait: „ Credo, quod iſta ſit
„ pientia, quam principaliter B. Dionyſius
„ libris ſuis de Myſtica Theologia docuit:
„ eſt ſapientia excellentior, & altior, quam p
„ ſumus habere in mundo, quæ fuit ei rev
„ lata per B. Paulum Apoſtolum, cujus i
„ extiterat diſcipulus. Ludovicus a Ponte
ſua introduct. ad ducem ſpirit. de Myſtica a
„ Eſt ſine dubio, quæ incomparabiliter exc
„ dit omnes alias ſcientias, & artes univer
„ quia eſt omnibus altior, nobilior, ſanctio
„ utilior, delectabilior, & diuturnior, & fin
„ ultimus, in quo reſidet vitæ præſentis be
„ titudo, ad quam reliquæ ſcientiæ ordina
„ tur. Alvarez de Paz *in præf. de vit. ſpiri*
inquit: „ Quodſi æquum reputatur, ſicut r
„ vera eſt, ancillas comere, & emollire,
„ eſt, ſcientias, quæ intelligentiam illuſtran
„ exponere; quanto æquius erit, pulcherr
„ mam dominam, hoc eſt, ſcientiam volunt
„ tis, quæ ſanctitatis dicitur, perpolire,
„ regalibus indumentis circumdare; ſiquide
„ ſola ſine aliis Deo gratiſſima eſt, & reliqu
„ ſine iſta neque in cœleſtem thalamum admi
„ tuntur, nec pulchræ, & decoræ exiſtima
„ tur. Hæc eſt vera juſtorum ſapientia ".

Theologus myſticus ad praxin propriam procedere debet.

Coroll. Præcipua ergo prærogativa Theologiæ M
ſticæ eſt, quod ex fine ſuo intrinſeco referatur
amandum Deum, & exercitium perfectionis chr
ſtianæ, quod niſi fiat ſive in Doctore, ſive in ſch
lari, erit ſcientia vix ſuo nomine digna, ſed m
tila, & monſtroſa. Uti enim S. Bernardus *ſer*
in nat. S. Joan. ait: *Et tantum lucere vanum*

Et *tantum ardere parum, lucere, & ardere perfectum.* Et certe tunc ſolum ſapientia meretur dici talis, quando candidatum ſuum in cognitionem ſui ipſius, & Dei, quem contempletur, & amet, deducit: inde docere poterit, & ardere, omneque lumen lucis in ignem ardoris referet, quo ſeipſum, & alios illuminet, & inflammet: cumque nihil ſe habere cognoſcat, hoc ipſum humili, & aſſidua oratione depoſcet, exacta virtutum praxi exercebit, & doctrinales ſcientias referendo in Deum divinas efficiet. Quid enim prodeſt, ait libellus *de imit. Chriſt. alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate, unde diſpliceas Trinitati? . . . opto magis ſentire compunctionem, quam ſcire ejus definitionem.* Quanta quæſo deformitas reſpectu Myſticæ, quæ ad perfectionem ducit, & exhortatur, ſi in ſciendo ſiſtat, nec ad opus progrediatur? ſimilis eſt, uti Gerſon *in ſua Theol. Myſt. conſid.* 31. obſervat, filio, qui patris ſui arcana voluntatis ſolum ſcire cupit, nec tamen juſſa ejus implet: qui ideo pœnam ejus, & iram non effugiet. Imitemur Angelicum Doctorem S. Thomam; de quo in ejus vita Guilliel. Thoſcus ita ſcribit: „ Videbatur in ejus „ anima intellectus, & affectus: ſicut invicem ſe „ comprehendunt, potentiæ liberæ, ſic invicem „ ſibi ſubſerviebant in ſuis actionibus ut ſupremæ: „ ut affectus orando mereretur ad divina ingredi, „ & intellectus hujus merito intueri, quæ altius „ intelligeret, quo affectus ardentius in id, quod „ luce caperet, amore flagraret.

§. 8.

Supereſt, ut modo *ſyſtema Theologiæ Myſticæ* noſtræ exhibeamus, quod ita formamus. *Syſtema Theolog. Myſticæ.* Finis Theologiæ Myſticæ eſt, animam per viam perfectionis ducere usque ad unionem perfectæ charitatis cum Deo: (§. 2.) adeoque *Primo* explicandum eſt, in quonam vita ſpiritualis, & per-

perfectio conſiſtat; & quanta ſit hominis a eam tendendi obligatio. Cum vero Theologi Myſticæ opus ſit, reddere hominem perfectu quod nonniſi ſucceſſive, & per partes fit, ſc licet, incipiendo, proficiendo, & pervenien (§. 2. *Schol.*) *Secundo* tractandum eſt, qu modo incipientes per viam purgativam ad pe fectionem tendere debeant, ſcilicet per fuga peccati mortalis, venialis, & teporis, ad qu oratio, & mortificatio eſt neceſſaria. *Tert* quia anima a peccatis, & vitiis purgata pro ciendo in vita ſpirituali in via illuminativa cr brius a Deo illuminatur, & Chriſtum ſequitu qui eſt lux vera, via, veritas, & vita; & qu in hac via comparandæ ſunt virtutes, quibu anima Chriſti ſponſa illuſtratur, & ad Deu ſummum bonum firmiter amandum diſponitu hinc de imitatione Chriſti, & acquirendis e ea virtutibus, & occurrentibus in hac via te tationibus, & difficultatibus ſermo erit. *Qua to* homo ita illuminatus tandem ad apicem pe fectionis, quatenus in hac vita obtineri poteſt, i via unitiva, uniendo ſe cum Deo, pervenit, ad contemplationem aſcendit, ad quam De illum per varias vias deducit, & demum vari modis ſe cum anima perfecta unit, qui proin explicandi ſunt. Atque hæc materia, & ſ ſtema tomi primi hujus operis erit.

Ne vero perfectionis ſtudioſus a recta ſen ta in via illius aberret, directore ſpirituali op eſt, cujus munus tomus ſecundus explicab oſtendendo. *Primo* An, & qualis ſpiritua Magiſter procurandus ſit ab animabus ad pe

fecti

ſectionem aſpirantibus. *Secundo* quomodo Director temperamentis aliorum ſe accommodare, & incipientes, proficientes, & perfectos juvare, eorumque vitia corrigere debeat. *Tertio* Quomodo ſpiritus bonos a malis, & illuſis per diſcretionem ſpirituum diſcernere, & ſpiritus vitiatos emendare poſſit. *Quarto* Quomodo revelationes, Prophetias, apparitiones, viſiones, raptus, extaſes, quibus nonnunquam animæ perfectæ a Deo donantur, rite internoſcere, & dijudicare valeat. *Quinto* Denique, quomodo ſuperior Religioſus ſubditos ſuos Religioſos ſancte, & bene regere poſſit, & quænam potiſſimum virtutes in bono Prælato ad hoc requirantur. En ſyſtema totius Theologiæ Myſticæ, quod in hoc opere adjuvante Deo explicabitur.

PARS I.

DE VITA SPIRITUALI.

CAPUT I.

In quonam vita ſpiritualis, & perfect[…] conſiſtat, & quanta ſit, ad eam tendendi, obligatio.

§. 9.

Vita ſpiritualis, & ſupernaturalis eſt gratia ſanctificans.

Quemadmodum vita naturalis eſt anima co[…] pus informans: ita *vita ſpiritualis*, & ſ[…] pernaturalis in homine eſt gratia habitu[…] lis ſubſtantiam animae informans. *Quae grat[…]* eſt ſupernaturale Dei donum, animae intrinſ[…] cus inhaerens per modum habitus, quo hom[…] formaliter redditur ſanctus, juſtus, Deo gratu[…] filius Dei adoptivus, haeres vitae aeternae; e[…] que radix virtutum, & operationum ſupern[…] turalium, & viſionis, ac amoris Dei, ut auct[…] ris ſupernaturalis. Patet *Primo* ex S. Script[…] ra, quae juſtitiam, quae nos juſtos facit, ([…] eſt ipſiſſima gratia habitualis) ſub nomine v[…] tae eripientis nos a morte peccati, & nos r[…] generantis deſignat. Joan. 10. v. 10. *Ego ven[…] ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Rom. […] v. 18. *Per unius juſtitiam in omnes homines […] juſtificationem vitae.* 1. Joan. 3. v. 14. *Nos ſ[…]*

mu[…]

mus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam. Et 1. Petr. 1. v. 5. *Qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam.* Scilicet per gratiam vivificantem. *Secundo* Conſonat Tridentinum, quod, dum *ſeſſ.* 5. *can.* 2. de peccato originali declarat, quod ſit *mors animæ*, mox *can.* 5. definit, illud prorſus deleri, quatenus per juſtitiam in Chriſto baptizati dicuntur, & ſunt *renati*. *Tertio* Accedit S. Auguſtinus *l.* 1. *de peccat. mer. c.* 15. exponens, quomodo per Chriſtum omnes ab omni peccato originali, & perſonali juſtificentur, ſubjungit: *Hoc totum præſtat per ſpiritum regenerans gratia.* Et S. Thomas 1. 2. *q.* 110. *a.* 1. *ad* 2. ſupponens, quod, ſicut anima vivificat corpus, ita Deus vivificet animam, juxta illud Deut. 30. *Ipſe eſt vita tua*: notat hanc diſparitatem, quod anima eſt vita corporis per modum cauſæ formalis, Deus autem eſt vita animæ per modum cauſæ efficientis, *per formam*, *quam cauſat*; ſcilicet gratiam habitualem. *Quarto* Ratio eſt, quia vita animæ ſpiritualis, & ſupernaturalis conſiſtit in eo, ut actus ſupernaturales, & meritorios vitæ æternæ elicere, & operari queat. Sed hoc habet ex gratia ſanctificante, & habituali, utpote ſine qua nihil homo poteſt facere: *Joan.* 15. *v.* 5. cum non *ſimus ſufficientes ex nobis, cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:* quia ſola natura non habet adæquatas vires vitales ad actus ſupernaturales, & meritorios, & conſequenter ea virium inſufficientia, etiam ut vitalium, ſuppleri debet per gratiam, quæ proinde merito vita ſpiritualis animæ dicitur, non quidem

 for-

formalis in ſe, adeo tamen principaliter, (æquivalenter, ut ipſa ſit cauſa principaliſſima quod per tales actus vivamus.

Gratiæ habitualis varia nomina.

Schol. In compendio meo Theol. Dogm. Schol. mor. *t.* 1. §. 361. jam obſervatum eſt, quod grat habitualis variis nominibus exprimatur: *habitua* dicitur, quia animæ per modum habitus inhære per quod a gratia actuali, ſeu ſupernaturali ill minatione mentis, & motione voluntatis transeu te diſtinguitur. Dicitur *ſanctificans*, quia homine ſanctum efficit. Dicitur *juſtificans*, quia eum j ſtum facit. Porro quod gratia habitualis ſit aliqu intrinſece inhærens animæ, & quidem permane ter contra Lutherum in *cit. Comp. Th. t.* 1. §. 36 364. *cum Schol.* demonſtratum fuit, maxime e eo, quia Deus ipſe ſe in juſtis per gratiam man re, & habitare dicit, Joan. 14. v. 23. *Ad eu veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

§. 10.

Gratiam virtutes comitantur.

Sicuti autem anima hominis, tanquam vi illius, ita eſt principium operationum ſibi co venientium, ſcilicet rationalium, ut eas exe cere non poſſit, niſi per potentias ſibi congen tas, nempe intellectum, & voluntatem; ſ gratia ſanctificans, velut vita hominis ſpiritu lis, & ſupernaturalis, comites habet virtut infuſas, per quas veluti per ſupernaturales p tentias ſupernaturaliter operatur, quarum vi tutum aliæ ſunt *Theologicæ*, quæ Deum p objecto materiali habent, & aliquod ejus attr butum pro formali; ſuntque tres ſcilicet fide ſpes, & charitas: aliæ *morales*, quæ verſant circa bonum creatum ex motivo ſupernatura & generatim in *Cardinales* dividuntur; ſcilicet

pri

prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, & temperantiam, ad quas reliquæ virtutes morales reductive ſpectant, quas omnes virtutes cum gratia ſanctificante nobis infundi oſtenſum eſt *Theol. Dogm. t.* 1. §. 366.

§. 11.

Ut autem habitus virtutum infuſarum in actum exeant, neceſſaria ſunt auxilia gratiarum actualium, ſeu Spiritus S. motiones, quia homo habitibus infuſis uti non poteſt, ſine ſupernaturali illuſtratione, & cogitatione, & pia voluntatis affectione: uti pariter contra Pelagium demonſtratum fuit in *Comp. Theol. t.* 1. §. 345. *ſeq.* *Præter gratiam habitualem egemus actuali.*

§. 12.

Quodſi hæ motiones communem agendi rationem excedant, & ad actus heroicos tendant; vocantur *dona Spiritus ſancti*, ſeu habitus, quibus homo diſponitur ad accipiendas extraordinarias Spiritus S. motiones, ad propriam ſalutem, quorum ſeptem *Iſai.* 11. recenſentur: ſcilicet: *Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & Spiritus timoris Domini. vid. Comp. Th. t.* 1. §. 367. 368. *Et donis Spiritus S.*

§. 13.

Sicuti autem natura ſuis afficitur donis naturalibus, quibus nobilitantur perſonæ, quæ illa ſortitæ ſunt, qualia ſunt, divitiæ, literæ, fortitudo &c. Ita gratia decoratur ſubinde *gratiis gratis datis*, quas S. Paulus 1. *Cor.* 12. *Et ſubinde etiam dantur gratiæ gratis datæ.*

ennumerat, dicens: *Alii per Spiritum datur ſerm ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eun dem Spiritum: alii fides in eodem Spiritu, al gratia ſanitatum, alii operatio virtutum, alii pr phetia, alii diſcretio Spirituum, alii genera lin guarum, alii interpretatio ſermonum.* De quibu actum fuit *in Comp. Th. t.* 1. §. 344.

Gratia, & vita animæ maximi æſtimanda eſt.

Coroll. 1. Cum gratia habitualis ſit vita animæ n ſtræ (§. 9.) ergo ſummo in pretio ſupra cæte omnia infra Deum habenda eſt unicuique anin ſua in ordine ad vitam illius per gratiam, id quo Deus ipſe enixe commendat Eccli. 30. v. 24. *M ſerere animæ tuæ, placens Deo.* Ubi obſervandu illud, *placens Deo*, per quod non ſolum ea anim cura commendatur, ut a peccatis mortalibus, qu bus gratia omnino ammittitur, abſtineamus, ſe etiam, ut majus Dei beneplacitum in omnibus qua ramus, ſine quo gratia, & vita animæ ſaltem t peſcit. Unde pro vita gratiæ mittenda ſunt om nia, & cum SS. Martyribus ipſa membra corpor noſtri contemnenda ſunt, utpote quæ ſunt tantu veſtimenta, cum anima ſola ſit quaſi totus homo uti obſervat S. Ambroſius *l. de Iſaac, & anima c.* dicens: *Nos animæ ſumus, noſtra autem membr veſtimenta ſunt: ſervanda ſunt quidem veſtimenta, ſcindantur, ne inveteraſcant, ſed ille magis, qui h utitur, ſervare ſe debet, & cuſtodire.* Hinc ult

Et mors ejus fugienda.

rius ſupra cœtera omnia mala mors animæ per pr vationem gratiæ fugienda eſt, uti enim patheti S. Chryſoſtomus *hom.* 74. *in Matth.* ait: *Extrem certe id ego duco miſeriæ, nam ubi Chriſtus habita ubi Spiritus S. operatus eſt, in quo tot myſter peracta ſunt, id ſepulchrum facies? quo fletu, qu bus lachrymis, quo planctu id perſequendum eſt, cu membra Chriſti ad immundiſſimum ſepulchrum tran formaveris? Reſponde quæſo, ſi quis cadaver p tridum circumferens per civitatem vagaretur, non omnes eum fugerent? hoc de te cogita, qui anima*

p

peccatis obrutam, atque mortuam circumducis, quod quidem illo multo gravius eſt. Non ſolum autem de propria anima, ſed etiam de quibuscunque animabus Chriſti ſanguine redemptis zelus noſter ita inflammari debet, ut pro illis per gratiam vivificandis omnia contemnere debeamus. Atque hic eſt Spiritus, quo impulſi viri Apoſtolici per omnes orbis angulos animas, pretio etiam ſanguinis ſui lucrifaciendas, Chriſto acquirunt. Hoc ſpiritu Prælati, & Doctores Eccleſiæ verbis, & ſcriptis ſuis animas in viam ſalutis perducere allaborant. Hoc ſpiritu animæ ſanctæ, ſoli Deo vacantes, fervidis ſuis orationibus, & rigidis pœnitentiæ operibus vitam, & ſalutem animarum procurare ſtudent, inter quas S. Catharina Senenſis extatice ad divinum ſponſum ſuum dicebat: „ Si ſalva „ unione charitatis tuæ ſuper os inferni ego po„ nerer ad claudendum, quod illuc amplius nullus „ ingrederetur, gratiſſimum mihi eſſet, ut ſic „ omnes mei proximi ſalvarentur. *In Act. SS. Antv.* 30. *Apr.* *Et ſalus proximi procuranda.*

Coroll. 2. Quia autem Deus nos per gratiam vivificat (§. 9.) & per eam ſpecialiter nos inhabitat (*ibid. Schol.*) adeoque ex ineffabili beneficio, & amore nos juſtificat, *nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* 1. Joan. 4. v. 19. Ut illi manſionem præbeamus, & tam excelſum hoſpitem abire non ſinamus. Quodſi Deum in nobis cogitare timorem potius excitat, quam amorem, cogitemus Patrem, & cohiberi non poterimus ab amore filiali; ſi rurſus Patrem cogitando amorem mitigat reverentia, cogitemus ſponſum, & undique in amorem rapiemur. Ut vero hunc Dei amorem ſive acquiramus, ſive acquiſitum conſervemus, orandum eſt, quia eſt donum divinæ gratiæ, ad quod ſe etiam Apoſtoli per decem dies in cœnaculo præpararunt. *Act.* 1. *v.* 14. Primo orando. 2. Unanimiter orando. 3. Orando cum Maria matre Jeſu, ejus interceſſione confiſi. 4. Orando humiliter, & ſuam infirmitatem agnoſcendo. *Et Deus nos per gratiam vivificans amandus.*

 5. Oran-

5. Orando in ſecreto cubiculo, ad devotionem e citandam. 6. Orando perſeveranter, & Deo c dis habiculum præparando, quomodo & in nol Spiritus S. amoris ignem accendet.

§. 14.

Gratiæ, ſeu vitæ animæ operatio per exercitium virtutum reſpondere debet.

Nulla eſt vita, quæ in ſuo genere operati ne vitali non gaudeat; ideo cum gratia vita ſupernaturalis animæ, neceſſe eſt, qu operatio illi reſpondeat, quæ in actibus, exercito virtutum conſiſtit. „ Vita enim ſpi „ tualis, ait Alvarez de Paz *t.* 1. *de vit. ſpi p.* 1. *l.* 2. *c.* 5. „ Nihil aliud eſt, quam bon „ rum operum exercitatio, qua Deo propt „ Deum famulamur, in virtute, ac ſanctitat „ proficimus, & illam beatam vitam promer „ mur, cujus gratia conditi ſumus". Pr bant hoc ſacri textus. Matth. 11. v. 12. *Regnu cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illu* 1. Cor. 9. 24. *Sic currite, ut comprehendati* Ergo Chriſtianus vim ſibi inferre, & in agon currere debet, ut regnum cœlorum rapiat, coronam incorruptam accipiat, quod fit pe exercitium virtutum.

§. 15.

Virtus quid.

Eſt autem *virtus* habitus, quo homo bon & operatio ejus bona efficitur: Et *actus virt tis* eſt actus vitalis recta ratione regulatu ne ſcilicet vel per exceſſum, vel defectum recto deficiat, implens ſuam obligationem ſi gravem, ſive levem, abſolutam, ſive conditi natam, quando nimirum, ubi agendum e quod rectum, vel rectius eſt, ſic fieri debet.

Sch

Schol. Si actus virtutis reguletur ſolo lumine rationis, obligatio erit naturalis, adeoque etiam *virtus naturalis*, vel *acquiſita*, & etiam actus virtutis erit naturalis: ſi vero reguletur ex lumine fidei, alióve ſupernaturali, obligatio erit ſupernaturalis, & tam principium elevans, quam motivum, & ipſe actus virtutis erunt ſupernaturalia ab habitu virtutis *ſupernaturalis*, vel *infuſæ*. *Quotuplex.*

§. 16.

Chriſtianus, qui per actus, & exercitium virtutum exacte obligationes chriſtianas implet, dicitur perfectus. Adeoque *perfectio chriſtiana* in exacta obſervantia chriſtianæ obligationis, & virtutum chriſtianarum, maxime charitatis erga Deum conſiſtit. *Perfectio chriſtiana, in quo conſiſtat.*

Schol. 1. Perfectum in genere eſt, *cui nihil deeſt*, uti ait Philoſophus *l.* 5. *Metaph. c.* 16. quo modo perfectum ſoli Deo competit, qui *Exod.* 33. *v.* 19. dicitur *omne bonum.* Et S. Dionyſius *l. de Div. nom. c.* 13 ait, merito Theologiam laudare Deum *ſicut perfectum; ſed & ſicut ſuperperfectum ſecundum omnium exceſſum.* Cumque *ſanctum* illud dicatur, quod eſt ab omni imperfectione remotum, ideo etiam Deus antonomaſtice ſanctus, & ter ſanctus, *Iſ.* 6. *v.* 3. vocatur. Nihil igitur extra Deum abſolutiſſime perfectum eſt, & nemo inveniri poteſt, ait S. Auguſtinus *l.* 1. *de doctr. chriſt. c.* 7. *qui hoc Deum credat eſſe, quo melius aliquid eſt.* Attamen cum extra Deum nihil ſit, niſi a Deo participatum, eatenus in creaturis aliquid plus, minusve perfectum eſt, quatenus a Deo plus, minusve perfectionis participaverit, id quod non ſolum de perfecto phyſico, ſed multo magis de perfecto morali per ſanctitatem, de quo hic ſermo eſt, intelligendum eſt, & de quo Chriſtus loquitur, Matth. 5. v. 48. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* *Explicatur.*

Schol. 2.

Perfectio quotuplex.

Schol. 2. Perfectio chriſtiana 1. alia eſt *permanens*, ſeu habitualis, quæ in aliquo gradu ſublimi ſanctitatis, & gratiæ habitualis conſiſtit, adeoque, qui magis de hujusmodi gratia participat, ſanctior eſt, & perfectior. Alia eſt *operans*, ſeu *actualis*; quæ in modo quodam nobili, & excelſo exercendi virtutes v. g. Deum ex toto corde cum puriſſima intentione amandi conſiſtit. Perfectio habitualis ab actuali eſt ſeparabilis v. g. in parvulo baptizato, non vero in adulto: actualis vero, prout comprehendit interiorem cum exteriore, ab habituali ſeparari nequit. 2do. Perfectio alia eſt *Perſonalis*, quæ in prædicto gradu ſublimi gratiæ habitualis, & exercitii virtutum conſiſtit: alia eſt *perfectio ſtatus*, ſive *regularis*, quæ conſiſtit in obſervando regulas, & ſtatuta, quæ quisque juxta ſtatum ſuum profitetur. Perſonalis perfectio nonniſi ſecundum quid eſt ſeparabilis a perfectione regulari, quatenus de cœtero perfectus ex debilitate, vel inadvertentia deficit in obſervatione unius, vel alterius regulæ ſub peccato non obligantis; imo perfectio regularis eſt unum e potioribus ſignis perfectionis perſonalis, & nunquam fallens, niſi ex parvitate materiæ, & indeliberationis hujus, vel illius regulæ, minusque videtur e converſo ſeparabilis perfectio regularis a perſonali, niſi forte ad tempus, & quoad ſolam externam perfectionem, ſeu ſolam externam regularum obſervationem. Ita Reguera *t.* 1. *pag.* 138. *ad prax. Theol. Myſt. Godinez*, qui etiam obſervat: „Quod ceremoniæ ordinis, quæ reſpiciunt œconomiam, „ & cultum humanum, & modum, quo Religioſi „ debent ſe habere tam inter ſe, quam cum ſuperioribus, ſi prudentem mediocritatem non tranſcendant, bona, & ſancta ſint media: nimietas „ tamen, quæ in exceſſum vergit, evadat in vitioſam, faſtidioſamque imprudentiam. Hæ tales „ ceremoniæ ſic exercitæ impedimento ſunt virtutibus internis: propterea quod anima occupatur nimis in illis affectationibus, & fictionibus,

„ quæ

„ quæ creant animos duplices, fictosque, a ſim-
„ plicitate Religioſa non parum alienos. In ſub-
„ ditis hinc gignuntur non humiles animi, ſed
„ viles; in ſuperioribus non etiam humilitas, ſed
„ altitudo: unde, qui ſe ita gerit, conſcius erit
„ magis ceremoniarum, quam virtutum: bonæ
„ ſunt ceremoniæ, ſi mediocres, ſi vero nimiæ,
„ in hypocriſin deveniunt". 3*tio*. Alia eſt perfectio *viæ*, alia *patriæ*. 4*to*. Perfectio viæ alia eſt *infima*, ſeu *eſſentialis*, ad juſtitiam, & vitam animæ neceſſaria, quæ in obſervantia præceptorum, maxime in charitate, qua Deus ſic diligitur ſuper omnia, ut ſaltem quis non admittat peccatum, quod amicitiam cum Deo dirimit, conſiſtit: alia eſt *ſuperior*, & *accidentalis*, quæ in obſervatione conſiliorum conſiſtit, prout ſunt media, ut quis magis, ac magis ultra debitum in charitate proficiat. Inter utramque media dici poteſt perfectio, qua quis contendit, Deo non diſplicere per venialia. 5*to*. Quemadmodum homo aliter in infantia, aliter in juventute, aliter in virili ætate perfectus dicitur, qui ultimus ſtatus unice in homine ſtatus perfectionis dicitur, ita in via ſpiritus alia eſt perfectio *incipientium*, per quam excluditur omne, quod contrariatur charitati, ut incompatibile cum ipſa, ſcilicet peccatum mortale. Alia eſt *proficientium*, qua charitas exercitio virtutum roboratur, & augmentatur. Alia eſt *perfectorum*, per quam homo a peccatis purgatus, & paſſionibus, illuminatusque virtutibus per charitatem ſoli Deo unitur, a rebus creatis alienatus puriſſima intentione firmiter in proſperis, & adverſis illi adhærens.

Schol. 3. Hæc perfectio perfectorum eſt proprie illa perfectio, quæ ſpeciali titulo hominem perfectum, ſanctum, & in ſtatu perfectionis conſtituit, per quam homo non eſt utcunque juſtus, ſed perfectus; nec utcunque perfectus, ſed in gradu illo ſpeciali, quo in via devenire poteſt, & differt ab incipientibus, & proficientibus, ſicut vir perfectus a puero, *Perfectio proprie talis.*

ro, & juvene; ſicut nobilis reſpectu aliorum con civium in republica, ſicut ſanus, & robuſtus ab in firmo: ſicut arbor opima & fructibus onuſta a hiemali, & frondere incipiente.

Perfectio, & virtutes heroicæ. *Schol.* 4. Viri ſancti, & perfecti in ſtatu perfectioni (*Schol. præc.*) explicato dicuntur, & ſunt *Heroe* Chriſtiani, quia, uti notat Ariſtoteles *l.* 6. *Eth* *c.* 1. illi olim dicebantur heroes, aut homines di vini, *qui ob virtutis excellentiam divini efficiuntur* quales apud Gentiles dicebantur Hector, Hercu les, aliique ſemidii ob quasdam virtutes morales variis tamen vitiis deturpatas: cum econtra apu Chriſtianos illi heroes vocentur, qui juxta S. Tho mam 1. 2. *q.* 54. *a.* 3. *in* ☉. Charitatis, & alia rum virtutum actus ſtrenue, ac modo ſuperiori a communem modum exercent, qui talem heroicita tem donis Spiritus S. attribuit, quatenus per ſu pervenientes novas, & extraordinarias inſpiratio nes aliquis movetur ad recte operandum ſupe communem modum, quo alii juſti operantur. Qu pacto etiam *q.* 61. *a.* 5. Theologicam reddit illa aliam Plotini Philoſophi Platonici doctrinam, qu virtutes dividit in politicas, vel pure humanas, & *exemplares*, ſeu pure divinas, aliasque medias quas vocat *purgatorias*, quæ pertinent ad non dum perfectos, & alias *purgati animi*, quæ ſun perfectorum, & 3. *p.* *q.* 7. *a.* 2. *ad* 2. ait: *Dicen dum, quod habitus ille heroicus, vel divinus non dif fert a virtute communiter dicta, niſi ſecundum pe fectiorem modum: in quantum ſcilicet aliquis eſt d ſpoſitus ad bonum quoddam altiori modo, qua communiter omnibus competat . . . ſicut etiam Pl tinus poſuit quemdam ſublimem modum virtutum quas eſſe dixit animi purgati.*

Quid ad heroicitatem, & canonizationem requiratur. *Schol.* 5. Ex hoc colligit P. Reguera *in Prax. Theo Myſt.* cum SS. D. Benedicto XIV. in opere *ſerv. Dei beatif. l.* 3. *c.* 21. & 22. *imo.* Quod n ad perfectionem, nec ad canonizationem ſuffici vitæ excellentia, quæ utcunque ſit ſupra vir

n

naturæ; quia hoc omni juſto, & actui ſupernaturali commune eſt, & nonniſi late heroicitas dici poteſt: ſed quæ in ipſo ordine ſupernaturali ſit modus vivendi excellens. 2. Quod nec ut aliquis ſit perfectus, nec ut ſit canonizabilis, ſufficiat; quod ſit perfectus etiam cum heroicitate in uno, vel altero actu; aut una, vel altera virtute: quia hoc etiam in incipiente, proficiente, imo etiam nondum juſto reperiri poteſt. 3. Quod, tam ut ſit perfectus, quam canonizabilis, requiratur, quod ut plurimum perfecte operetur, maxime in charitate, & virtutibus ſuæ vocationi propriis, cum præparatione animi ad actus reliquarum virtutum pro rerum opportunitate perfecte exercendos: quia in charitate principaliter ſita eſt omnis perfectio, & ſanctitas, ſimul tamen cum modo univerſali vivendi a tepido, & imperfecto diverſo. 4. Quod, qui ſic operatur, poſſit dici heroice operari ſaltem in vitæ cumulo: quia excedit modum communem operandi, & ſæpe magis arduum eſt, ſic continuo perfecte operari, quam ſemel pati martyrium. 5. Quod pro canonizatione non aliter in ſingulis, & omnibus virtutibus heroicitas requiratur, niſi penes hunc modum frequentem perfecte operandi: quia perfectio Evangelica, & heroicitas Evangelica idem omnino ſunt. 6. Interim tamen ultra modo dicta etiam ad canonizationem requiritur, ut hæc perfectio, & heroicitas, quæ coram Deo eſſe poteſt, coram Eccleſia probetur. Item ut canonizandus in aliqua ſaltem virtute ita ſingulariter ſit perfectus, ut Eccleſiæ velut ſpecialiſſimum exemplar proponi poſſit; & ut perfectio uſque ad ultimum perſeveraverit, id quod miracula poſt obitum, quaſi voces de cœlo pro hac veritate clamantes, teſtari debent. Illud adhuc obſervandum, perfectionem, & heroicitatem non eſſe menſurandam penes auſteritatem, & ſimilia exteriora exercitia, quæ niſi diſcretione ſpiritus dirigantur, etiam periculoſa evadunt, uti notat *S. Thom.* 2. 2. *q.* 188. *a.* 6. Nec requiritur ad actum heroi-

heroicum, ut ejus materia ſpectet ad conſilium; neque ab heroicitate excluduntur, quæ fiunt ex præcepto, inſtituto, vel voto: quia ad hæc omnia quo ad heroicitatem requiſita concurrere poſſunt.

Perfectio, quos actus involvat. *Schol.* 6. Ex his omnibus ſequitur, perfectionem etſi præcipue charitatem importet, non tamen in illa ſola, prout talis perfectio eſt, integraliter conſiſtere, ſed prout bene notat P. Kazenberger *in ſua ſcient. ſalut.* c. 1. §. 2. perfectio chriſtiana hujus vitæ, quantum ex S. Scriptura, SS. Patribus, & Aſcetis colligitur, ſi integraliter ſumatur, ſex actibus conſtat: ſcilicet 1. cognitione Dei, & ſui per fidem Theologicam. 2. Actu ſpei divinæ. 3. Actu charitatis Dei infuſæ, ſeu Theologicæ. 4. Renuntiatione omnium rerum creatarum. 5. Actu reſignationis ad omnia, quæ Deus vult. 6. Perfecta elaboratione omnium noſtrarum actionum in omni loco, & in omni tempore.

§. 17.

Perfectio abſolutiſſima in vita haberi nequit. *Perfectio abſolutiſſima*, quæ creaturæ competere poteſt, eſt propria *patriæ*, nec in hac vita haberi poteſt. Eſt de fide. Probatur I. ex S. Scriptura. *Philipp.* 3. *v.* 12. ubi S. Paulus de ſeipſo dicit: *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus ſim: ſequor autem, ſi quomodo comprehendam.* Si ergo nequidem S. Paulus aſſecutus eſt perfectionem beatorum, ſeu comprehenſorum, quomodo alius viatorum ad eam pertingere præſumet? nam uti hic notat S. Thomas *lect.* 2. quod hic dicitur, intelligitur de perfectione patriæ. Item 1. *Cor.* 13. 10. ait Apoſtolus: *Cum venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt. Cum eſſem parvulus loquebar ut parvulus, ſapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: quando autem factus ſum*

vi

vir, evacuavi, quæ erant parvuli. Nimirum uti exponit S. Thomas, *lect.* 3. „ Cum venerit „ perfectio gloriæ, evacuabitur, quod ex par„ te eſt, id eſt, omnis imperfectio tolletur. Et „ eſt attendendum, quod Apoſtolus hic com„ paret ſtatum præſentem pueritiæ propter im„ perfectionem: ſtatum autem futuræ gloriæ „ propter perfectionem virili ætati “. Cujus ratio petitur ex ſtatu viæ, in quo viator per merita ſemper tendit in melius, juſtificando ſe magis, & magis juxta Trident. ſeſſ. 6. cap. 10. ex illo Apocal. 22. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Cum econtra hoc ſit, perveniſſe ad terminum, acquiſiviſſe ſtatum immutabilem perfectionis, qui, utpote inamiſſibilis, & inaugibilis, perfectior eſt. *Prob. 2do.* Ex eo, quod perfectio potiſſimum conſiſtat in præcepto dilectionis Dei, quod ſolum in patria cum omnimoda perfectione impletur, quia juxta S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 3. *Hæc perfectio attenditur ſecundum totalitatem abſolutam ex parte diligentis, prout ſcilicet affectus ſecundum totum ſuum poſſe ſemper actualiter tendit in Deum: & talis perfectio non eſt poſſibilis in via, ſed erit in patria:* quia ut idem S. D. *q.* 28. *a.* 8. *in* ⊙ ait: *In hac vita impoſſibile eſt propter humanæ vitæ infirmitatem, ſemper actu cogitare de Deo, & moveri dilectione ad ipſum. Tertio.* Patet ex illo magno defectu fomitis peccati, qui procul eſt a ſanctis, & perfectis in patria, & nunquam omnino ab iis diſcedit in via ad agonem, ut, qui legitime tota vita certaverint, coronam in altera vita recipiant. Uti docet Trid. *ſeſſ.* 5. *can.* 5. *Quarto.* Patet ex alio illo defectu hujus mortalis vi-

tæ, in qua nemo juſtus ſine ſpeciali Dei priv legio poteſt vitare omnia peccata venialia, u probatum fuit; (*Comp. Theol. t.* 1. §. 349. a quo tamen vita immortalis omnino eſt lib ra; uti pariter oſtenſum eſt. (*Comp. Th. t.* §. 403.)

Hæreſes Pelagianorum. *Schol.* 1. Sæculo 5to Pelagiani, ex ſchola Stoicoru prodeuntes, docuerunt; quod juſti ad eum ſtatu devenire poſſint, in quo nec ullum peccatum v niale committant, nec ullo fomite, nec ullis p ſionum perturbationibus, nequidem indeliberati afficiantur; quæ omnia per ſuam ſtoicam apathia excludebant. Hic error damnatus fuit a Concil Milevit. II. *can.* 6. 7. & 8. Trident. *ſeſſ.* 6. *can.* 3 &c. uti videri poteſt (*cit. Comp. Th.* §. 349.) eumq docte refutat P. Honoratus a S. Maria *in Tradit. P de Contemplat. t.* 2. *p.* 3. *diſſ.* 8.

Beguardorum. *Schol.* 2. Sæculo 13tio Beguardi, & Beguinæ doc bant, *quod homo in vita præſenti tantum, & tal perfectionis gradum poſſit acquirere, quod reddet penitus impeccabilis, & amplius in gratia profice non valebit.* Qui error damnatus fuit a Concil generali Viennenſi an. 1311. uti patet ex Cle *Ad noſtram* de hæret.

Illuminatorum. *Schol.* 3. Sæculo 16. ſuborti ſunt in Hiſpania, p mum Cordubæ, deinde Hiſpali, ſic dicti *Illumin ti,* quorum errores numero 76. damnati ſunt c præcipuis eorum perſonis ab Inquiſitione gener Hiſpaniæ an. 1623. inter quos etiam eſt ſequen *Quod poſſit homo ad eum perfectionis gradum p venire, ut gratia animæ facultates ſubmergat, poſſit omnino vel progredi, vel regredi.*

Quietiſtarum. *Schol.* 4. Sæculo 17. orti ſunt *Quietiſtæ,* qui ſub M chaele Molinos illuminatos ſuſcitarunt, usque d ab Innocentio XI. ille cum ſuis erroribus dam tus fuit an. 1687. inter quos numero 68. nota error 62. *Per viam internam pervenitur ad conti*

conſiſtendum immobiliter in pace quadam imperturbabili. (vid. *Comp. Theol. t.* 2. §. 592.)

§. 18.

Perfectio proprie dicta in vita obtineri poteſt.

Licet autem perfectio abſolutiſſima patriæ ſit reſervata. (§. 17.) Perfectio tamen, per quam homo a peccatis, & paſſionibus purgatus, & virtutibus illuminatus, per charitatem ſoli Deo unitur, & a rebus creatis alienatus puriſſima intentione in proſperis, & adverſis firmiter illi adhæret, (§. 16. *Sch.* 2. 3. 4.) in hac via obtineri poteſt. *Primo* enim hoc docet S. Scriptura Deut. 18. v. 13. *Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo.* Et Gen. 17. v. 1. *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Matth. 5. v. 48. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Et c. 19. v. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende, quæ habes . . . & ſequere me.* 1. Cor. 5. v. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et 2. Cor. 13. v. 11. *Fratres, gaudete, perfecti eſtote.* Unde etiam in S. Scriptura plurimi ut perfecti, & ſancti, ſeu exemplaria perfectæ ſanctitatis proponuntur: ſic *Eccli.* 44. *ſeq. ſap.* 10. *ad Hebr.* 11. longus SS. Patriarcharum, Prophetarum, Regum, & aliorum texitur catalogus. Quo eodem ſpiritu Eccleſia conſuevit ſanctos canonizare, eosque ut heroicos fidei noſtræ teſtes, & virtutum heroicarum ideam nobis proponere, ut nimirum, ſicut infert Apoſtolus Hebr. 12. *Nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* *Secundo.* Hoc docent PP. S. Chryſoſt. *hom.* 20. *in Matth.* ait: *Nihil eſt, quod propter terrena-*

rum rerum habitaculum ad ſupernarum virtut[...] perfectiones prohibeat pervenire: eſt quippe poſſib[...] le, ut in terrarum adhuc regione degentes, qu[...] jam in cælis habitent, ita cuncta perfician[...] S. Thomas 1. 2. *q.* 61. *a.* 5. *in* ☉ exponit vi[...] tutes animi purgati, *ita quod prudentia ſola d[...] vina intueatur, temperantia terrenas cupiditat[...] neſciat, fortitudo paſſiones ignoret, juſtitia cu[...] divina mente perpetuo fœdere ſocietur, eam ſcilic[...] imitando.* Et ſubdit: *Quas quidem virtutes dic[...] imus eſſe beatorum, vel aliquorum in hac vita pe[...] fectiſſimorum. Tertio.* Ratio eſt, quia charitati[...] præceptum, *quod eſt vinculum perfectionis* Coloſ. [...] v. 14. erga Deum eo modo, quo Deus eſt nobis diligibilis, juxta S. Th. 2. 2. *q.* 24. *a.* [...] *in* ☉ ita impleri poteſt, *ut homo ſtudium ſuu[...] deputet ad vacandum Deo, prætermiſſis aliis, ni[...] quantum neceſſitas præſentis vitæ requirit, quæ e[...] perfectio charitatis, quæ eſt poſſibilis in via, no[...] tamen eſt communis omnibus habentibus charitaten[...]* Item erga proximum maximam charitatem qu[...] exercere poteſt, *ut animam ſuam ponat quis pr[...] amicis ſuis.* Joan. 15. v. 12. Deinde perfecti[...] & virtutes heroicæ (§. 16. *Sch.* 4. *ſeq.*) i[...] hac vita acquiri poſſunt, uti in multis ſancti[...] veteris, & novi teſtamenti manifeſtum e[...] Rurſus dominium paſſionum ſatis perfectum i[...] hac via obtineri poteſt; licet enim fomes pe[...] cati, ceu paſſionum origo, per apathiam e[...] tingui omnino non poſſit, nec prorſus ligari i[...] hac vita, ita, ut paſſiones ſubinde per mot[...] inordinatos, & indeliberatos non exorbiten[...] mortificationis tamen, & aliarum virtutu[...] exercitio magis, ac magis coerceri valet, it[...]

ut omnimodæ perfectioni non officiat, & aliquis cum S. Paulo Gal. 2. v. 20. dicere poſſit: *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Accedit, quod licet nemo perfectam munditiam ab omnibus peccatis venialibus, ſaltem ſubreptionis, in hac vita habeat (Comp. Th. t. 1. §. 349.) eo tamen quis devenire poteſt, ut raro venialia cum plena deliberatione admittat, quod ad ſpecialem perfectionem in via ſufficit; nam *beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Pſ. 118. v. 1. Denique licet in hac vita perfecta, & completa beatitudo haberi non poſſit; (Comp. Th. t. 1. §. 396. n. 1.) aliqua tamen beatitudo inchoata in hac vita agnoſci debet, quia ipſa S. Scriptura quosdam jam in præſenti tempore beatos prædicat (Ibid. n. 2. 3.) & Chriſtus Matth. 5. octo beatitudines a nobis in vita acquiſibiles, quæ ſunt actus præſtantiores donorum Spiritus S. recenſet, uti videri poteſt: (Comp. Th. t. 1. §. 370.) ergo etiam perfectio purgati animi, ſeu perfectorum in via obtineri poteſt.

Perfectio variis modis exercetur.

Schol. 1. Perfectio eximia modo deſcripta multipliciter in via eſt aſſequibilis, & defacto a perfectis ſecundum utrumque charitatis præceptum exercetur. 1. *Intenſive* interius intenſiſſimo erga Deum, & proximum charitatis igne flagrando. 2. *Extenſive*, optando ſine fine Deo, ſive ad gloriam Dei, quidquid ipſi gratius eſſe cognoſcitur. 3. *Imperative*, omnes alias virtutes ad opus ſeu in- ſeu externum, quantumcunque arduum, & inſolens applicando. 4. *Indeſinenter*, & indefeſſe, quantum fragilitas humana patitur, mortificationi, orationi, & animarum ſaluti inſiſtendo. Unde amare Deum ſuper omnia, prout excludit omnem gravem of-

 fen-

ſenſam, nondum eſt perfectio ſpecialis, cum ſi præceptum omni Chriſtiano commune. Amar autem Deum ſuper omnia, prout omnem culpar leviſſimam excludit, majoris quidem, ſed nondur plenæ perfectionis eſt, cum hoc idem omnibus licet ſub levi, præcipiatur. Amare vero Deur ſuper omnia, prout excludit omne diſplicens, ve etiam minus placens Deo, & prout inducit effica citer ad omne majus Dei beneplacitum, eſt plen& ſpecialis perfectio, quæ in vita dari, & inten di poteſt.

Perfectionis gradus fixus a nobis non eſt deſignabilis.

Schol. 2. Non eſt a nobis deſignabilis, ſed ſoli De reſervata fixa illa charitatis, aliorumque donorur menſura, quæ animam in gradu perfectionis con ſtituunt. Et licet meritum, & gratia in infinitun creſcere poſſit, tamen ex lege finita eſt, prou Deus quemque auxiliis ſuis ad perfectionis men ſuram vocationi ſuæ proportionatam juvare decre vit; quare ſumma quædam menſura fuit pro hu manitate Chriſti, ſumma etiam, licet inferior, pr Bma. V. Maria: longe inferior pro SS. Apoſtolis adhuc inferior pro cœteris Sanctis, ſi S. Joſephum & S. Joannem Præcurſorem excipias. Deind excepta Chriſti humanitate, ac SS. Deipara nem menſuram ſuæ perfectionis implevit, cum nem alius ab omni veniali culpa immunis fuerit, ne ab omni imperfectione morali, conſequenter om nis adhuc in perfectione plus creſcere potuit, quar defacto crevit, ſi ſcilicet reſpondiſſet, prout po tuit, omnibus, & ſingulis gratiis ſibi a Deo in va riis occaſionibus conceſſis.

§. 19.

Ad perfectionem omnes tendere debent.

Ad hanc *perfectionem* in via aſſequibiler (§. 18.) *omnes Chriſtiani*, pro ſtatu quisqu ſuo, & gradu ſub gravi obligatione *tendere* te nentur. *Primo* hoc innuit Apoſtolus; qu *Eph.* 1. *v.* 4. ait: nos electos eſſe, *ut eſſemu ſancti*

ſancti. Et S. Petrus 1. *ep. v.* 5. omnibus fidelibus ſcribit, & præcipit: *Ipſi in omni converſatione ſancti ſitis, quoniam ſcriptum eſt: ſancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* Quid autem aliud eſt ſanctitas, niſi perfectorum perfectio? (§. 16. *Schol.* 4.) Et ne S. Scriptura videatur nos ſolum de nomine velle inſtruere, docet nos etiam de rebus, quæ magnam perfectionem ab omnibus chriſtianis exigunt: ſic 1. *Joan.* 2. *v.* 15. omnibus præcipitur: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt.* Et 1. Cor. 7. v. 29. *Ut & qui habent uxores, tanquam non habentes ſint . . . & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Et Luc. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quod præceptum certe non ſolum Religioſos, ſed omnes fideles etiam maritatos ſtringit, uti notat S. Baſil. *ſerm. de abdic. ſæc.* Et Matth. 16. 24. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Quod iterum ſine diſtinctione laicorum, & Clericorum ad totam Eccleſiam dictum eſt, uti notat S. Auguſtinus *ſerm.* 47. *de div. c.* 7. *Secundo* hoc docent SS. Patres, pro quibus ſufficiat S. Chryſoſtomus, qui *lib.* 3. *adv. vituper. vitæ mon. poſt med.* hoc ex profeſſo probat ex allegatis, & aliis textibus, & tandem concludit: *Itaque quod ad eandem vitæ diligentiam multis in rebus, ſupremumque perfectionis faſtigium per divinas leges pariter, & ſæcularis, & Monachus cogantur, neminem jam, quantumlibet ille ſit contentioſus, contradi-*

ſturum exiſtimo. *Tertio.* Conſonat Concilium Aquisgranenſe *an.* 816. *c.* 114. dicens: *Non ſolum monachis, & Clericis, verum etiam omnibus, qui Chriſtiano cenſentur vocabulo, per hanc arctam, & anguſtam intrandum eſſe viam.* Accedit huic illa abrenuntiatio ſatanæ, & omnibus operibus, & pompis ejus, quam in Baptiſmo initiandus, per ſe, vel per ſuum Patrinum facit, quæque gravem obligationem renuntiandi mundo cum ſuis pompis, utpote diabolicis, inducit, uti Marchantius *tr.* 2. *tit.* 1. probat, quod ſine tendentia ad perfectionem fieri nequit. Ex his *Quarto* patet ratio aſſerti: cum enim omnes Chriſtiani conari debeant, ut ſint ſancti, & perfecti; ſic in mundo vivere, tanquam non ex mundo, parati omnia potius mundana amittere, quam Deum: ſic fervere charitate Dei, ut pro non amittenda ejus amicitia per peccatum parati ſint conjunctiſſimos quoque cum ipſa vita exponere; crucem ſuam patienter ferre, inimicis ſuis ignoſcere, renuntiare ſpiritui ſatanico ſuperbiæ, ſpiritui concupiſcentiæ, ſeu amoris proprii, & ſpiritui mundi, & induere Dominum Jeſum Chriſtum; ergo omnes ad eximiam perfectionem tendere tenentur.

Perfectio, in quo gradu omnes obliget.

Schol. Ex his patet 1. quod cum mandatum charitatis Dei omnes in aliquo gradu obliget, nempe in amore Dei appretiativo ſuper omnia; cumque in illo ſimpliciter perfectio chriſtiana eſſentialiter conſiſtat, omnes Chriſtianos ad perfectionem in aliquo gradu obligari. 2. Patet, gradum hunc eſſe illum, quo ſic appretiative Deus diligitur ſuper omnia, ut ab affectu hominis omne illud excludatur, quod huic charitati contrariatur, vel cum ipſa eſt incompoſſibile, ad quod requiritur, ut nihil

ſupra

ſupra, vel contra Deum, aut æqualiter ut Deus diligatur. 3. Patet in hoc eodem gradu perfectionem obligatoriam conſiſtere ſimul eſſentialiter non in conſiliis, ſed in præceptis omnino neceſſariis ad ea removenda, quæ charitati contrariantur. 4. Conſequenter patet in eodem gradu perfectionem obligare omnes Chriſtianos ſecundum præparationem ad obſervanda etiam conſilia, quando neceſſitas id requirit. 5. Patet, totam hanc perfectionem non minus obligare omnes tam Religioſos, quam ſæculares, ac illos obligat præceptum diligendi Deum ex toto corde, quod juxta gradum modo expoſitum præcipit, facere, quidquid boni poſſumus. Differentia autem inter Religioſos, & ſæculares eſt in eo, quod Religioſi, ut facilius perfectioni ſtudeant, ſe ſponte ad quædam conſilia obligent, omnia mundi eo modo, quo fieri poteſt, etiam actu relinquentes; cum econtra ſæculares Chriſtiani ab ipſo ingreſſu Baptiſmi debeant tendere ad perfectionem, non quidem actu omnia mundi relinquendo, bene tamen animo, ita ut parati ſint, omnia potius defacto, quam Deum amittere, qui animus ſine ſeria paſſionum mortificatione, contemptu mundi cum pompis ſuis, & reliquis virtutibus Evangelicis haberi non poteſt.

§. 20.

Ad perfectionem per opera ſupererogatoria tendendum.

Ab obligatione hac, tendendi ad perfectionem, modo dicto, (§. 19. *cum Sch.*) & per præcepta, facile deficiet Chriſtianus quilibet, niſi ad eam etiam modo non obligatorio per conſilia circa melius, & *opera ſupererogatoria* contendat. Ratio eſt. *Primo* Pſ. 83. v. 6. dicitur: *Ibunt de virtute in virtutem.* Eph. 4. v. 15. *Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.* 1. Cor. 10. v. 12. *Quis ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.*

 Apoc.

Apoc. 22. v. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & ſanctus, ſanctificetur adhuc.* In quibu textibus unice nobis datur ſecuritas ad ſaluten in aſcendendo de virtute in virtutem, in creſcendo per omnia, in non ſtando ſine motu, i magis, ac magis nos juſtificando, & ſanctificando. *Secundo.* Ex his ſententiis S. Scripturæ emerſit apud Patres myſticum illud axioma *In via Dei non progredi, regredi eſt.* Ita S. Auguſtinus *ſerm.* 15. *de verb. Apoſt.* ait: *Remanet qui non proficit.* S. Hieronym. ep. ad Demetri *Noſtrum non progredi, jam reverti eſt.* S. Le ſerm. 8. de Paſſ. *Qui non proficit, deficit* S. Bernardus ep. 341. *Non proficere, ſine dubio deficere eſt.* Cum igitur is, qui per oper ſupererogatoria ad perfectionem non tendit non progrediatur, regreditur, & ſic obligatio ni ſuæ non ſatisfacit. *Tertio.* Ratio hujus eſt quod ſemper, aut fere ſemper media non ſin ſufficienter efficacia, ad obtinendum finem, præciſe ſufficientia eligantur; tum quia rar hæc ſufficientia in puncto determinato a nobi cognoſcitur: tum quia cum mediis præciſ ſufficientibus occurrentes in executione diffi cultates, & contraria ſuperari vix poſſun Ergo a fine perfectionis ad ſalutem animæ ne ceſſariæ facile deficiet, qui ſolum per medi obligatoria eligit, quod ſibi videtur ſufficere niſi ad melius per conſilia extendatur; qui vel eum fallit opinio, quod ad hoc non obl getur: vel tepor, & debilitas, ad præcept implenda, vel difficultas, ea implendi, & tenta tiones in contrarium a conſecutione finis eu impediunt.

Schol.

Schol. 1. Chriſtianus plus, vel minus proximum periculum incurret, graviter, aut leviter deficiendi a perfectione obligatoria, prout plus, vel minus univerſaliter, & obſtinato animo deſierit ad perfectionem per conſilia, & opera ſupererogatoria contendere: & quia hoc periculum proximum, & ſub gravi culpa vitandum, non conſiſtit in deficiendo a ſingulis conſiliis, ſed a collectione eorum, quæ unicuique juxta ſuum ſtatum, ad melius obſervanda omnia præcepta, conveniunt, & maxime in defectu animi, & voluntatis, tendendi per conſilia ad perfectionem conſiſtit; nec obligatio, vitandi periculum, provenit ex objecto conſilii, ſed ex objecto præceptorum, poſtulantium juvari per conſilia: ideo non conſiliis, ſed præceptis tribuitur obligatio, per conſilia ad perfectionem tendendi. Quo modo etiam indifferentia ex objecto, & conſilia ratione periculi graviter, vel leviter mala, vel præcepta fieri poſſunt. *Quando quis negligendo conſilia deficiat a perfectione.*

Schol. 2. Quia autem ex modo dictis Chriſtianus quilibet etiam per conſilia, & opera ſupererogatoria ad perfectionem tendere debet, hinc licet conſilia Evangelica in genere, & ex objecto ſuo ſub gravi, aut levi non obligent, tamen hic, & nunc in individuo, practice, & attentis omnibus circumſtantiis ſæpe ſub gravi, vel levi peccato obligare poſſunt: ſicui enim conſcientia dictet, ſe a Deo deſertum iri, niſi conſilia Evangelica ſequatur, ſe periturum, ſi in ſæculo manſerit &c. Divinæ vocationi non obtemperare, grave peccatum erit; quia hoc vix fieret ſine contemptu interpretativo, quaſi quis diceret: nolo ſequi conſilium Dei vocantis. Sane nequidem ipſi parentes poſſunt excuſari a culpa, & ſæpe gravi, ſi filium ad Religionem vocatum ab ea ſine vi, fraude, vel metu, ſed ſolum diſſuadendo retrahant, quia ſe exponunt periculo, ne eum incitent ad id, quod ejus conſcientiæ repugnat: ergo nec ipſe vocatus a gravi culpa liber erit. Unde etiam Novitius, qui ſine *Etiam ad conſilia Evangelica quis ſubinde obligatur.*

ſine juſta cauſa Religionem deſerit, vix a gra
peccato excuſari poteſt, quia gratiæ divinæ infid
lis, & ingratus eſt, graviſſimis periculis anim
ſuæ ſalutem exponit, & ad ſæculum revertit
non ſine ſui ludibrio, & ſcandalo aliorum. Sar
dives ille adoleſcens a Chriſto ad perfectione
vocatus, & triſtis recedens, *Matth.* 19. nonnu
lis Interpretibus graviter peccaſſe videtur: & il
ad cœnam magnam invitati excuſantes ſe *Luc.* 1
v. 24. eam ſententiam retulerunt: *Nemo viroru*
illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.

Inſpirationes etiam ad conſilia, & ad melius ſequendæ.

Schol. 3. Ex eodem principio fluit, quod univerſal
ter recedere a conſiliis, prout hic, & nunc pe
divinas inſpirationes, aut aliter divina voluntas d
re aliqua ut meliori nobis intimatur, raro, mora
liter loquendo, a peccato ſaltem veniali excuſe
tur: tum quia raro ex S. Scriptura, & Patribu
colligitur, aliquid fuiſſe imperfectum moraliter
quin colligatur ſimul fuiſſe culpabile, uti Lanciciu
opuſc. ſpir. 3. *c.* 1. probat, dum in S. Petro repre
henſa fuit, ut imperfectio, illa avocatio Chriſti
morte: illa ſollicitatio de permanentia in loc
transfigurationis; illa reſiſtentia in lotione pedum
& ille affectus nimius erga humanitatem Chriſti i
Apoſtolis, quæ nonniſi ob indeliberationem, ve
aliter a culpa levi excuſari poſſunt: ergo nec ne
glectus divinarum inſpirationum ad conſilia, & a
melius. Sane, quæ nobis meræ imperfectiones vi
dentur, ſunt frequenter in oculis divinis culpabi
les: unde etiam viri ſpirituales, & timorati ſe d
illis laudabiliter in confeſſione accuſant, uti Lug
d. 16. *de Pœnit. n.* 103. contra Sanctium bene pro
bat. Et quia practice loquendo vix apparet, e
quo motivo non venialiter vitioſo poſſit, vel omi
ti actus bonus, vel melior, licet non præceptu
clare tamen a Deo inſpiratus, quia fere ſemp
negligentia, & torpor culpabilis, vel per noliti
nem, vel per moralem æquivalentiam nolitio
intercurrit, quæ etiam in cauſa eſt, quod abun
tiores a Deo gratias non accipiamus.

Schol.

Schol. 4. Si jam quæras, an aliquoties ſaltem, & quomodo, recedere a divinis conſiliis, & Inſpirationibus, excuſari queat ab omni culpa etiam veniali, vel fieri poſſit ille receſſus, operando bene, licet minus bene. Reſpondeo cum Reguera *Th. Myſt. t.* 1. *l.* 1. *q.* 10. *n.* 1234. aliquem excuſari poſſe ab omni culpa. 1. Si perfectius in ſe non ſit perfectius operanti ob ſuam indiſpoſitionem, ſicuti incontinenti non expedit communiter, quod voveat abſolutam caſtitatem. 2. Si quis, maxime in rebus præcipui momenti, non experiatur in ſe vocationem ſpecialem ad id, quod perfectius eſt; ſine qua vocatione communiter non expedit v. g. ingredi Religionem. 3. Si res ſit parvi momenti, quatenus parum, aut nihil refert, quod hæc, vel illa fiat, hoc, vel illo modo v. g. unum roſarium recitare, vel duo, in hac, vel illa Eccleſia: imo etiam ad perfectionem præſtat in hujusmodi minutis bona fide eligere, quod primo intuitu congruum videtur, quam paſſim inanibus ſcrupulis, aut etiam ſuperſtitioſis præpediri. 4. Si tam in parvis, quam magnis alicui non ſatis conſtet de magis perfecto, ſive in ſe, ſive relate ad operantem, huic ſufficiet, procedere cum præparatione animi ad illud, quod ſibi aliquando determinatam Dei voluntatem eſſe innotuerit, implorando ad eam cognoſcendam lumen divinum per quotidianam orationem, *fiat voluntas tua.* 5. Si deſit auxilium luminis, & inſpirationis divinæ, quæ non omnibus dantur ad omnia meliora, ſed unicuique ad ea, quæ ſibi expediunt juxta ordinem divinæ providentiæ: ſane non cuicunque ſeries auxiliorum ad menſuram Apoſtolorum data eſt. Quippe in parabola talentorum Matth. 25. v. 15. *Unicuique ſecundum propriam virtutem* majora, & minora diſtributa ſunt. *Quandonam a conſiliis recedere liceat.*

Corollar. Ex omnibus his colligitur, quam craſſus ſit error illorum Chriſtianorum ſæcularium, qui putant, perfectionem ad ſolos Religioſos pertinere, eorumque ſolum eſſe extra mundum, & leges, ut *Adhortatio ad Chriſtianos ad ſtudium perfectionis.*

ut ajunt, ſæculares vivere. Annon S. Jacobus i ſua Epiſtola *c.* 1. *v.* 27. omnibus præcipit? *Imm* *culatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo:* id eſt, uti exp nit Cornel. a Lapide „ A ſæculari, animali, „ carnali vita, qualis eſt hominum mundanorum „ qui ſe opibus, deliciis, & honoribus hujus mu „ di ambiendis, & fruendis dedunt “. Annon i Baptiſmo omnibus mundi pompis abrenuntiarunt Non dico, quod ſæculares a mundo exire debean ut Religioſi vitam pauperem, caſtam, obediente colere, ſacco indui, auſteraque obſervantia mac rari, niſi ad Religionem ſpecialiter vocati ſin alia tamen media ad perfectionem chriſtianam co ducentia adhibere tenentur, ſcilicet, uti hoc mu do, tanquam non utantur, eſſe humiles cord mites, abnegare ſemetipſos, ſuas paſſiones mort ficare, tollere, & patienter ferre crucem ſuam ſuperflua reſecare, &, quod ſupereſt, dare pauper bus, eleemoſynis peccata ſua redimere, modeſt habitu incedere, non delitioſam, ſed piam vita degere, locum non dare diabolo ſive in redden malum pro malo, ſive in cibo, & potu, ſive ſolo etiam nomine luxuriæ, ſive in jurando, me tiendo, & omni, quod a malo eſt: ad quæ in plenda, orationi, Sacramentorum frequentiæ, continuo virtutum exercitio vacare debent: qu omnia ex S. Scriptura paſſim, & ubique manifeſt ſunt. Studeant proinde omnes, *quos Deus pr ſcivit, & prædeſtinavit, conformes fieri imagin Filii ſui*, Rom. 8. & frequenter hæc quatuor a tente conſiderent: Chriſtus inops, & ego dives Chriſtus famelicus, & ego ſatur, ac bene paſtus Chriſtus nudus, & ego bene, ac decore veſtitus Chriſtus feſſus, ac defatigatus, ego laboris, defatigationis expers: & quia omnes ſunt mem bra Chriſti, caveant, uti monet Apoſtolus 1. Co 6. v. 15. *Tollere membra Chriſti, & facere memb meretricis.*

§. 2

§. 21.

Quodſi Chriſtiani omnes (§. 19.) multò magis *Religioſi* ſub gravi obligatione tenentur *tendere* ad faſtigium *perfectionis*, Probant hoc *primo*, & quidem multo ſtrictius omnes rationes (§. 19.) allatæ. His *ſecundo* accedunt omnes Theologi, & Patres. Inter quos S. Hieron. *ep.* 5. ait: *Perfectum monachum eſſe nolle, delinquere eſt.* Et Et Euſebius Emiſſ. Hom. 1. de Epiph. *Venire ſiquidem ad Religionem ſumma perfectio eſt, ſed in ea non perfecte vivere, ſumma damnatio eſt.* S. Bernardus ep. 253. *O Monache non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? nequaquam. Quid ergo? ſic, inquis, vivere volo, & manere, in quo perveni, nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod eſſe non potes? quid enim ſtat in hoc ſæculo?* S. Thomas fuſe hanc veritatem declarat, 2. 2. q. 186. *art.* 2. *in* ⊙ ubi ſupponendo ex *art.* 1. quod etiam Religioſa perfectio conſiſtat in adhæſione totali Deo per charitatem, docet ad hanc perfectionem requiri eſſentialiter *perfectam obſervantiam præceptorum charitatis, & inſtrumentaliter, & diſpoſitive paupertatem, continentiam, & alia hujusmodi*, ſcilicet vota Religioſa, quibus mediis, *qui ſtatum Religionis aſſumit, non tenetur habere perfectam charitatem, ſed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat charitatem perfectam.* Item *art.* 7. *in* ⊙ exponit, quomodo vota ſubſtantialia ſint media inſtrumentalia ad perfectionem conſequendam: & *ad* 2. exponit, quomodo reliquæ obſervantiæ regulares ad hæc eadem vota ordinentur: & *ad*

Religioſi ad perfectionem tendere debent.

ad 1. repetit, quod ſtatus, vota, & omnia Religione ordinentur ad perfectionem charitatis, & addit: *Ad quam pertinent omnes interiores actus virtutum, quarum mater eſt charita ſecundum illud 1. Cor. 13. Charitas patiens benigna eſt: & ideo interiores actus virtutum, ta humilitatis, patientiæ, & hujusmodi non dunt ſub voto Religionis, quod ordinatur ad ip ſicut ad finem. Tertio.* Ratio eſt, quia ſtat Religioſus ex ſua definitione eſt fidelium christianæ charitatis perfectionem tendentiu editis vobis perpetuæ paupertatis, caſtitati & obedientiæ, ſtabilis in communi viven modus, ab Eccleſia approbatus. (*Comp. T t. 2. §. 831. & 836.*)

Et quidem in gradu ſuperiori, quam ſæculares.

Schol. Religioſus igitur 1 obligatur ad aliquam totalitatem perfectionis, ſicuti ſæculares (§. 19.) in gradu ſuperiori, quæ perfectio eſſentialiter charitate conſiſtit, qua Deus diligitur ſuper omn eo modo, quo dictum eſt. (§. 19. *Schol.*) 2. T talitas perfectionis Religioſorum propria, non m do ſecum affert perfectam obſervantiam præcept rum charitatis, cum ſæcularibus illis communer ſed etiam obſervantiam votorum ſubſtantialium, eorum, quæ cum illis neceſſario connectuntur; lic enim hæc vota ſolum ex conſilio fiant, ut facilius, perfectius habeatur charitas, ſemel tamen facta a inſtar aliorum præceptorum obligant. 3. Cum a tem hæc vota, & reliquæ graves Religionis o ſervantiæ ſint tantum media, inſtrumenta, & ſpoſitiones, Religioſus non ſolum ad illa tenet ſed & obligatur tendere ad perfectam ſui grad charitatem tanquam ad finem. Unde 4. cum hunc finem vota cum reliquis Religionis obſerva tiis gravibus, prout cadunt ſub obligatione reg lari externa, ſolum juvent, & conducant, qu tenus animantur interius, & actibus internis v

tut

tutum ſociantur, reliqua nihil proſunt, ut Religioſus ſuæ vocationi ſatisfaciat, niſi ſerio ſit intentus exercitio virtutum Evangelicarum, ſine quibus quis Religioſus ſolo habitu, & nomine, non vero reipſa erit: quare interius ſtudere perfectioni non ſolum conſilii, ſed ſtrictæ obligationis eſt. Vid. Ludov. a Ponte. *t.* 3. *Chriſt. perf. tract.* 7. *c.* 5.

§. 22.

Religioſus tenetur ad perfectionem tendere per obſervationem regularum &c.

Religioſus non ſolum per vota, & præcepta gravia Religionis rite obſervata; ſed etiam per *obſervationem conſiliorum, & regularum* de ſe ſub culpa non obligantium tenetur tendere ad perfectionem. *Primo* enim Religioſus dicitur a regula: ergo regulam ſui ordinis obſervare debet, alias erit ſolum æquivoce Religioſus, & Religioſi nomine prorſus indignus. *Secundo.* Regulæ ordinum Religioſorum ſunt vincula, quibus tria vota ſubſtantialia colligata conſervantur: ſunt ſepimenta, quibus lex Dei munita circumſepitur: ſunt nervi, & oſſa Religionis, ſine quibus myſticum corpus Religionis non conſiſtit: ſunt ſcala tot gradibus diſtincta, quot ſunt particulares regulæ, quæ Religioſum obſervantem ad culmen perfectionis attollit: ſunt aphoriſmi ſpirituales, in quibus continentur præceptiones, curandi morbos ſpirituales: ſunt fulcra, quibus ædificium religioſæ perfectionis fulcitur: ſunt ſpeculum, in quo Religioſus videre poteſt, qualis ſit, pulcher, an deformis, juſtus, ſive injuſtus, utrum proficiat, an deficiat; utrum Deo placeat, an diſpliceat. Ergo Religioſus eas obſervare tenetur: alias enim non tendit ad perfectionem,

ſi hæc vincula diſſolvat, ſepimenta deſtrua hanc ſcalam in terram projiciat, hos aphori mos practice ignoret, hæc fulcra dejiciat, h ſpeculum in minutiſſimas partes frangat.

Quandonam Religioſus ad perfectionem tendat.

Schol. 1. Ex dictis fluit, quod perfecta adimpletio o ligationis tendendi ad perfectionem conſiſtat perfecta cujuscunque ſtatus exercitiorum, & op rum per Religionem ordinatorum executione, in ſtudio, ut opera quotidiana, & exercitia or nis; uti Pſalmodia, meditatio, examina, lect ſpiritualis &c. ex charitate Dei, aliarumque virt tum interno etiam exercitio, modo, quo fieri p teſt, perfectiori executioni mandentur: hæc eni ſunt media aptiora ad finem conſequendum: ha Deo magis placent, & unicuique magis proficiun hæc conſilia a Religioſo ſequenda ſunt, quæ culmen perfectionis ducunt; alia, ſi ab his imp diant, tanquam minus proportionata ad ſuum nem relinquenda, imo & opera ſupererogatori eum eis compatibilia, non omittenda quidem, ſ ordinaria præſcripta omnino peragenda ſunt. Vi Rodericium *in exercit. perf. t.* 1. *tr.* 2. *c.* 2.

Quando mortaliter contra hanc obligationem peccat.

Schol. 2. Sed inquires, quando mortaliter peccet R ligioſus contra hanc obligationem tendendi ad pe fectionem. *Reſp.* 1. Peccat mortaliter, quanc conſilia, media, & regulas ſui ſtatus, & quæcu que ad perfectionem conducentia, ex contemp relinquit; quia licet ad culpam venialem, vel nu lam obligent, ea tamen ex contemptu prætermi tere mortale eſt: tunc autem juxta S. Thom. 2. 186. *a.* 9. *ad* 3. *Aliquis transgreditur ex contem tu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinatio legis, vel regulæ; & ex hoc procedit ad faciendu contra legem, vel regulam: quando autem e conve ſo propter aliquam particularem cauſam, puta, co cupiſcentiam, vel iram inducitur ad aliquid facie dum contra ſtatuta legis, vel regulæ, non peccat contemptu, ſed ex aliqua alia cauſa, etiamſi freque*

tur ex eadem cauſa, vel alia ſimili peccatum iteret. Verum in hoc ultimo caſu, in frequenti transgreſſione ſingularum etiam regularum, ſæpe contemptus gravis timeri poteſt, ad quem ipſa frequentia diſponit. *2do.* Peccat mortaliter Religioſus, quando regulam transgreditur eo fine, ut perfectionem impediat: quia ſic certe non tenderet ad perfectionem. *3tio.* Si firmiter apud ſe ſtatuat, nullo modo curare de perfectione, volens in inferiori gradu manere; quia ſemper ad perfectionem tendere, & nunquam quieſcere tenetur. *4to.* Si nullam curam vitandi venialia adhibeat. *5to.* Si neceſſarium mortificationis ſtudium cum periculo, multum deficiendi, deponat. *6to.* Si ſtudium acquirendarum virtutum per notabile tempus, aut omnino intermittat, aut parum curet. *7timo.* Si media ad perfectionem, uti meditationem, examina, lectionem ſpiritualem, opera obedientiæ, vel omittat, vel ſine fervore obiter tantum, ſine fructu peragat: quia cum his omnibus ſtudium, & tendentia ad perfectionem ſtare nequit.

Schol. 3. Ulterius quæritur, an Religioſus graviter peccet contra obligationem, tendendi ad perfectionem, qui vellet ſervare omnia, ad quæ ratione votorum, & aliorum gravium præceptorum ſub mortali obligatur; conſuetudinem tamen habet, omittendi alia regulæ, vel conſtitutionum mandata ſub mortali non obligantia: vel hoc in animo ſtatueret, dicta ſub mortali obligantia obſervare, de aliis vero non curare, vel illa prætermittere. *Reſp.* Affirmative cum Tamburino, de jure Abb. l. 3. *diſp.* 3. *q.* 6. Reguera *Th. Myſt.* *t.* 1. *l.* 1. *q.* 10. &c. contra Suarez, Sanchez, Salmantic. &c. Ratio eſt *1mo.* quia S. Thomas 2. 2. *q.* 186. *a.* 2. 3. 4. aſſerit, Religioſum, contemnentem progredi ad perfectionem per media ſuæ regulæ, & conſtitutionum, peccare; nec requirit, ut ex contemptu formali contra ea agat; quippe aliud eſt contemnere media perfectionis, aliud ex contemptu con-

An Religioſus peccet, volens ſolum gravia præcepta ſervare.

tra illa agere: ille autem, qui media ſua regul nihil curat, illa contemnit, manifeſte indicat per eorum transgreſſionem conſuetudinariam, quo nihil illa æſtimet; ergo peccat mortaliter. 2do. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Reg. c.* 1. jubet, u *omnes Regulares, tam viri, quam mulieres, ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant, & componant; atque imprimis, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, ac ſi quæ aliæ ſunt alicujus regulæ, & ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum reſpective eſſentiam, nec non communem vitam, victum & veſtitum conſervanda pertinentia fideliter obſervent.* Quod grave præceptum ille transgreditur qui nonniſi ea, quæ in ordine ſuo ſub gravi obli gant, ſervare vult. 3tio. Suffragatur Dionyſiu Carth. *de reform. clauſtral. a.* 6. qui poſt enumeratas transgreſſionum regularium, & venialium cul pas ſubdit: *Conſuetudo excedendi, ſeu aſſiduitas delinquendi in iſtis, & non curare, nec emendare, no poteſt a mortali excuſari peccato; imo tota vita eorum eſt quaſi quoddam peccare continuum.* 4to. Patet hoc ex ipſa etiam confeſſione illorum Authorum, qui talem Religioſum a mortali excuſar volunt: ſic Suarez *t.* 4. *de Relig. tr.* 8. *l.* 1. *c.* 4 *n.* 12. addit: „ Quamvis moraliter loquendo vi: „ fieri poſſit, ut talis Religioſus habeat debitan „ intentionem ſalutis propriæ, quin hoc etian „ intendat “. Scilicet omnia vel aliqua ſervare quæ ſub gravi nec promiſit, nec ſibi ſpecialite præcepta ſunt. Sanchez item *l.* 6. *in Decalog. c.* 4 *n.* 18. tantum ait: „ Si poſſibile eſt (id quod mo „ raliter impoſſibile eſt) nullam ſequi Religioni „ ruinam, nec periculum transgreſſionis votorun „ nec contemptum ex univerſali decreto, no „ ſervandi ſtatuta Religionis ad mortale non obl „ gantia, tale decretum non eſſet mortale. De nique etiam Salmanticenſes *t.* 4. *tr.* 15. *c.* 1. *punct.* 2. *n.* 28. Advertunt, talem Religioſum: „ E „ aliis capitibus mortale committere poſſe, ni

„ illiu

„ illius malæ conſuetudinis correctionem efficaci-
„ ter procuret; quando nimirum vel ſibi, vel Re-
„ ligioni ex ſuo licentioſo, & irregulari modo
„ vivendi grave nocumentum fieri advertit: quia
„ ſcilicet Religioni officit in diſciplina regulari,
„ aliis occaſionem ſuo pravo exemplo dans, re-
„ gulas paſſim violandi, & illam privans fructu,
„ & utilitate, quam ex illo Religioſo ſperabat
„ percipere, qui ſuis pravis, & relaxatis mori-
„ bus ſe inutilem Religioni reddit, & ſibi ipſi valde
„ nocivum: tum quia ſe exponit periculo probabi-
„ li transgreſſionis votorum, aut præceptorum,
„ ut frequenter contingit, & etiam deveniendi ad
„ formalem contemptum; *frequentia enim peccati*,
„ inquit S. Thomas 2. 2. *q.* 186. *a.* 9. *ad* 3. *diſpo-*
„ *ſitive inducit ad contemptum ſecundum illud Prov.*
„ 18. *impius, cum in profundum venerit peccatorum,*
„ *contemnit.* Et timere poteſt, ſe ad eum ſtatum
„ venturum, ut ob eam cauſam debeat tanquam
„ incorrigibilis, & boni communis perturbator a
„ Religione expelli, quod ſub peccato mortali
„ tenetur evitare ".

Quando non peccetur graviter regulam violando.

Schol. 4. Licet autem Religioſus nolens in genere ea, quæ ſub gravi in Regula obligant, obſervare, ex dictis graviter peccet; non tamen ſtatim erit mortale, ſi aliquas regulas ex pravo uſu, & conſuetudine in rebus parvæ materiæ transgrediatur, quæ leviter perfectionem retardant: nec ſtatim etiam erit mortale, hoc, vel illud præceptum regulæ ad mortale non obligans frangere, ſi in reliquis obſervantem ſe exhibeat: quia ſaltem per obſervantiam aliarum regularum adhuc ad perfectionem tendere poteſt, uti notant Salmanticenſes, *loc. cit. n.* 22. bene tamen obſervat Reguera *Theol. Myſt. t.* 1. *l.* 1. *q.* 10. *n.* 1166. & 1187. Vix, aut nunquam talis transgreſſio levi culpa vacabit, quia fere ſemper torpor, negligentia, concupiſcentia, & amor proprius intercurret: quin etiam, dum movetur quis titulo boni moralis, raro a culpa im-

munis erit, ſiquidem v. g. contra expreſſam regulam a lectione abſtinere, ut quis orationi vocali vocet, ſpecies quædam illuſionis eſt; ad ſummum culpa abeſſet, ſicut cauſa rationabilis a regula diſcedendi per epikiam videretur. Denique licet non omnis frequentia violandi hanc vel illam regulam ſi fiat cum animo ſe emendandi, ſit formalis, vel interpretativus contemptus, ad eum tamen diſponit, & tandem, ſi nimia ſit frequentia, & nulla emendatio, arguit contemptum interpretativum in ſe, cum animo verbali, & ficto, non autem vero, & ſerio proficiendi.

Adhortatio ad perfectionem pro Religioſis.

Corollar. Ex his colligant Religioſi, quo ſtudio ad perfectionem in altiori ſupra ſæculares gradu ſtatui competentem contendere debeant. Cogitent ad ſe maxime ſpectare, quod S. Paulus de ſe dicebat, Gal. 6. v. 14. *Mundus mihi crucifixus eſt & ego mundo.* Verum *quo pacto mundus crucifigitur homini?* quærit S. Dorotheus *ſerm.* 1. & reſpondet: *Cum homo abrenuntiat mundo, mundum deſerit.* Cumque iterum quærat: *Quo pacto homo crucifigitur mundo?* Reſpondet: *Cum ſcilicet homo, poſtquam mundi rebus exceſſit, certat adverſus mundi concupiſcentias, adverſus voluptates, adverſus propriam voluntatem, ſubigitque innatas paſſiones, & vitia. Nos videmur quidem nobis ipſis mundum crucifixiſſe, quia reliquimus eum, & ad Monaſterium divertimus: at nolumus nos mundo crucifigere; adhuc enim in animo noſtro vigent illius blanditiæ, adhuc in nobis ipſius affectum abſcondimus.* Sint Religioſi homines amantes orationis, & mortificationis, pro edomandis paſſionibus, & virtutibus excolendis; ſint humiles corde, mites, charitate erga Deum, & proximum ferventes, mundo mortui, quorum vita ſit abſcondita cum Chriſto in Deo: hæc eſt perfectio, ad quam debent tendere; in hunc finem vota, regula, & obſervantia exterior, velut media, & inſtrumenta diriguntur, dummodo interiori ſpiritu animentur, ne non moriei

riendo ſibi habitum mortui exterius in vanum circumferant. Conſulant S. Bonaventuram *de profectu Religioſ. l.* 1. *c.* 3. qui Religioſos dividit in *imperfectiſſimos*, qui exterioribus obſervantiis contenti laxam vitam quoad corporis commoda ducunt, in quantum ſalva ſalute licet: *& tales proclives magis ſunt ad lapſum peccati . . . & qui incaute, & minus trepide per eam viam* (ſalutis) *incedit, cito pedem in præcipitium ponit.* Alii ſunt Religioſi *imperfecti*, qui duram vitam in corporali exercitatione ducunt: *Et putant hoc ſummum in Religionis obſervantia eſſe, interioris dulcedinis ignari, de veris virtutum ſtudiis, quæ in ſpiritu, & mente ſunt, parum curant.* Alii ſunt Religioſi *perfecti*, qui ſtudent, interiorem hominem componere per exercitium virtutum, & extirpationem vitiorum, cum exercitiis operum externorum, in quibus tamen ſubinde aliqua remiſſio, & intermiſſio datur: *Sed in virtutum ſtudiis nulla remiſſio datur, quia nunquam indulgetur nobis, ut ſimus invirtuoſi, elati, immites, invidi, acedioſi, avari, guloſi, vel non caſti.* Denique notent, quæ idem S. D. *l.* 2. *c.* 12. ait: *Dubia interpretatio præcepti periculoſa eſt, ſicut pons ſemiputridus aquæ præcipitis, & profunda, de quo dubium eſt, an ſub tranſeunte corruat, aut ſubſiſtat. Quare vult aliquis, qui majora pro Chriſto decrevit ſubire certamina, & omnia derelinquit in hoc ſæculo, ſe committere periculo, pro modico motu propriæ voluntatis, & pro parvo commodo in incerta opinione ſui, vel alterius? ut ſi Deus approbet illam opinionem, evadat ſine lucro meriti: ſi autem reprobet eam, damnetur: maxime cum tales opiniones quandoque periculoſiores ſint, quam apertæ transgreſſiones; quia ubi ſcit ſe homo delinquere, inde facile corrigitur: ubi autem neſcit, ſe peccare, & inſuper credit licere, inde nec in morte pure conteritur propter falſam ſpem, quod forte ſibi licuerit, vel minus in eo peccaverit, baculo arundineo, & confracto innitens.*

§. 23.

Eccleſiaſtici ſæculares ad perfectionem majorem tendere debent.

Supra ſæculares laicos, & Religioſos *Ec cleſiaſtici* ſæculares, Clerici, Sacerdotes, Pa rochi, & Prælati majores, Epiſcopi, au Cardinales *ad perfectionem in gradu altiori ten dere tenentur.* Nam *Primo.* S. Thomas 2. 2 *q.* 134. *a.* 5. *in* ⊙ docet ex S. Dionyſio, Epi ſcopos eſſe in ſtatu perfectionis in gradu perfe ctiori, quam Religioſos, ſcilicet non ſolum u ſtudentes perfectioni, & ſeipſos, ſed etiam u Doctores perfecti, licet adhuc perfectibiles alios perficientes: quod ipſum *art.* 6. ad Paro chos extendit, qui etiam actus perfectioni exercent, paſcentes oves ſibi commiſſas, & *art.* 7. facta comparatione ad Religioſos docet ſtatum Prælatorum Eccleſiæ eſſe perfectiorem ſtatu Religioſorum, & majorem ſanctitatis per fectionem requiri in Prælatis, Epiſcopis, & Parochis, quam in Religioſis; uti oſtenſum fuit. (*Comp. Th. t.* 2. §. 831. *Sch.* 2.) E denique *opuſc.* 18. & *in Matth. c.* 5. diſtingui varias perfectiones, & inter alias perfectionem excellentiæ vitæ, & ait: *Ad hanc tenentu Clerici ſuper laicos.* Accedit *ſecundo* Conciliu Tridentinum, quod *ſeſſ.* 6. *de ref. c.* 1. de Ep ſcopis ſtatuit: *Ad Eccleſiarum regimen, om quippe Angelicis humeris formidandum, qui max me digni fuerint, quorumque prior vita, ac omn ætas a puerilibus exordiis usque ad perfectiores an nos per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſticæ laudabil ter acta, teſtimonium præbeat, ſecundum venerab les beatorum Patrum ſanctiones aſſumantur.* A inferiores vero Eccleſiaſticos *ſeſſ.* 22. *c.* 1. ai

Qu

Quapropter ſic decet Clericos in ſortem Domini vocatos, vitam, moresque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliisque omnibus rebus nil niſi grave, moderatum, ac Religione plenum præſeferant; levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Et *ſeſſ.* 25. *c.* 1. *de ref.* ab omnibus Prælatis, & beneficiatis Eccleſiaſticis requirit modeſtiam, frugalitatem, ſimplicitatem, Dei zelum, & vanitatum contemptum, & omnis carnalis affectus ad locupletandos ſuos conſanguineos de rebus Eccleſiæ depoſitionem.

Schol. Epiſcopi igitur ſunt ſimpliciter in ſtatu perfectionis exercendæ, & ideo tenentur tum jam *Quomodo perfecti*
eſſe perfecti, cum ad Epiſcopatum aſſumuntur, *eſſe de-*
tum in perfectione proficere, ut animas ſibi com- *beant.*
miſſas regimine, & exemplo in ſacratiſſimis ſuis miniſteriis perficere poſſint. Ad quorum inſtar etiam inferiores Prælati, & Parochi, quin & ſimplices Sacerdotes proportionate ſunt in ſimili quaſi ſtatu perfectionis; tum quia ratione miniſterii ſui, conſecrandi, & offerendi Corpus Chriſti, ad altiorem rerum divinarum contemplationem, & majorem animi puritatem obligantur: tum quia ratione prælationis tenentur ſaluti proximorum procurandæ incumbere. Quæ ratio proportionatam quoque vim habet, ut a prima tonſura incluſive per ſubſequentes gradus, & ordines minores, majoresque, quicunque vult eſſe Clericus, ad perfectiorem vitam diſponatur.

Corollar. Tria ad perfectum Eccleſiaſticum ſæcula- *Adhorta-*
rem potiſſimum requiruntur. Scilicet vocatio Dei, *tio ad Ec-*
& quidem ſpecialis, ac bene examinata, ne tanto *cleſiaſticos*
muneri temere ſe committat cum periculo propriæ, *ad perfe-*
& aliarum animarum, *nec quisquam ſumat ſibi ho- ctionem.*

 norem,

norem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aar Hebr. 5. v. 4. Deinde recta intentio, *qui n non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcen aliunde, ille fur eſt, & latro: qui autem intrat p oſtium, paſtor eſt ovium.* Unde merito Catech mus Romanus *de Ord.* ut maximum ſacrilegi taxat illorum intentionem, qui ad beneficia, Sacerdotium nonniſi ex ambitione, & cupidit ducuntur. Ubinam eſt vocatio Eccleſiaſtica in lis? Quare merito in eos invehitur S. Gregori *in Paſtor.* S. Bernardus *l.* 4. *de conſid. ſerm. de co ver. ad Cler. c.* 29. & S. Chryſoſtomus præter e quæ *in* 6. *libris de Sacerd.* ſcripſit, quod dict eſt de pecunia ſimoniaca, transfert ad ambitione *in act. hom.* 3. *poſt med.* dicens: *Ambitio tua tecum in perditionem, quoniam putaſti ambitu hum no parari donum Dei.* Hinc ſancti nonniſi invi & conſilio, aut juſſu aliorum ad ſtatum ſacerdot lem, maxime vero primas dignitates Eccleſiaſt cas, gementes ſub onere, & nil curantes de h nore, trahendi erant; & bene notat Ludovicus Ponte *chr. perf. tr.* 7. *c.* 4. vocationem hanc rar fieri impulſibus, aut inſpirationibus trahentibus a Prælationem, ſed potius retrahentibus, atque im pulſus, & inſpirationes trahentes eſſe mediata per directores, aut ſuperiores. Denique vitæ pro bitas, & perfectio in Eccleſiaſtico requiritur; no loquor de Sacerdote ſcandaloſo: ſufficit non eſ exemplarem, & perfectioni ſacerdotali deditum ut ſibi vehementer timeat. Nec loquor de habe te curam animarum, qui forte eſt paſtor mutus & negligens: ſufficit eſſe Presbyterum, imo ſacris conſtitutum, ut ex officio exemplo, & pr cibus ſuis ad curam animarum concurrere debe Quid dicam de tremendo Miſſæ ſacrificio? qu ob nonnullorum Sacerdotum incuriam, aut impi tatem tam indecore tractatur, ut ſacrificantes n videantur credere, Majeſtatem Domini eſſe pr ſentem: ſic enim aliqui ſine ſpiritu, ſine affect ſine timore, & tremore feſtinatione incredil

ſacra

ſacrum perficiunt, quaſi fide Chriſtum Dominum non viderent, aut ab eo ſe videri non crederent. Quod ad Prælatos majores attinet, hortatur eos valde energice Cardinalis Bellarminus, ut ſtatus ſui perfectioni reſpondeant, dum nepotem ſuum per octo controverſias inſtruit, & in controverſia tertia ſtatuit, quod Epiſcopus debeat eſſe perfectus, concludens: „ Hæc igitur eſt veritas, ſed non „ omnes capiunt verbum iſtud. Et mox „ Hæc „ perfectio excludit ludos, venationes, lectio- „ nem librorum vanorum, occupationes tempora- „ les, & alia id genus omnia: proinde munus „ Epiſcopi eſt vita laborioſiſſima, ſed magnam „ habet remunerationem “.

CAPUT II.

Quomodo incipientes per viam purgativam, fugam peccati, & teporis, opere orationis, & mortificationis ad perfectionem chriſtianam tendere debeant.

§. 24.

Tres gradus vitæ ſpiritualis, vita activa, contemplativa, & mixta.

Conſiderata natura perfectionis chriſtianæ, & obligatione ad eam tendendi (*cap. præc.*) ad modum, ad illam perveniendi in vita ſpirituali, progredimur; cujus tres gradus ſunt, ſcilicet, *vita activa*, *contemplativa*, & *mixta*. Virtutes, quæ bonum proximi reſpiciunt, indicant vitam activam: quæ ſolum Deum reſpiciunt, indicant contemplativam; quæ ſimul Deum cum proximo reſpiciunt, vitam mixtam. Hæc diviſio fundatur *Primo* in S. Scri-

S. Scriptura, & Patribus, quatenus va
commendantur duo prædicta genera virtutu
ſeu operationum vitalium ſupernaturalium
contemplando Deum, & in juvando proxim
Sic quantum ad Deum, & vitam contempla
vam pro vita etiam præſenti Patres ſumunt
los textus Matth. 5. v. 6. *Beati mundo cor*
quoniam ipſi Deum videbunt. Et Joan. 17. v.
Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum
trem, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Quant
vero ad proximos, & vitam activam: Matth.
v. 7. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſeric*
diam conſequentur. Et cap. 25. v. 34. *Ven*
benedicti Patris mei: eſurivi enim &c. & v. 4
Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minim
mihi feciſtis. Item quatenus reperiuntur a P
tribus tam in veteri, quam in novo Teſtame
to conſpicuæ imagines prædictæ vitæ activa
& contemplativæ, quarum præcipuæ ſunt du
uxores Jacob, Lia fœcunda, figura vitæ ac
væ, & Rachel pulchra, figura contemplativa
Gen. 29. Item duæ ſorores Martha ſollici
circa frequens miniſterium, imago activæ,
Maria ſedens ad pedes Domini, audiendo ve
bum illius, *Luc.* 18. vitæ contemplativæ.
quibus ipſis imaginibus ideo etiam vitæ mixt
apparet, tum quod Lia, & Rachel, Marth
& Maria ſorores, adeoque vita activa, & co
templativa inter ſe ſociabiles eſſent: tum qu
Jacob Liam, & Rachelem in uxores duxeri
& Chriſtus ipſe utriusque vitæ perfectiſſimu
exemplar Marthæ, & ſororis hoſpes fueri
qui dum vitam contemplativam iu Maria pr
vita activa Marthæ laudavit, ſuppoſuit, utra

qu

que vitas eſſe partes, ex quibus totum ex utraque, ſeu vita mixta, conficiatur. Accedit *ſecundo* S. Thomas, *qui* 2. 2. *q.* 179. ait: *Quia quidam homines præcipue intendunt contemplationi veritatis; quidam vero intendunt principaliter exterioribus actionibus: inde eſt, quod vita hominis convenienter dividitur per activam, & contemplativam* & l. c. *art.* 2. *ad* 2. exponit, in his duabus vitam mixtam, tanquam ex utraque compoſitam, includi. Conſonat Innocent. III. *in c. niſi cum pridem.* de renûnt. Et ex PP. S. Auguſtinus l. 19. *de Civit. c.* 19. qui cum alluſione ad illud: *Maria optimam partem elegit;* agnoſcit hanc diviſionem *ex tribus illis vitæ generibus, otioſo, actuoſo, & ex utroque compoſito. Tertio* Ratio hujus diviſionis paulo ante ex S. Thoma aſſignata fuit.

Schol. Vita activa eſt laborioſa; vita contemplativa eſt proficua, mixta eſt laborioſa ſimul, & proficua, & ſicut totus homo perfectior eſt, quam ſola ipſius anima, ſolumve corpus, quia conſtat corpore ſimul, & anima; ſic vita mixta perfectior eſt, activa, vel contemplativa, quæ partes ſunt, ex quibus coaleſcit; cujus ratio eſt, quia vita mixta plures virtutes ſecum affert, quæ ſuo ſtatui annectuntur: & hæc eſt vita, quam Chriſtus Dominus noſter, Bma. Virgo Maria, Apoſtoli, virique Apoſtolici amplexi ſunt: quod tamen ſolum de perfectione in ſpecie intelligendum eſt, nam in perfectione individuali quælibet ex duabus aliis vitis longe ſuperior evadere poteſt. *Vita mixta perfectiſſima eſt.*

§. 25.

Quia vero in vita activa, contemplativa, & mixta alii incipiunt, alii proficiunt, alii perfecti *Status incipientium, proficientium, &*

perfecto-rum. fecti ſunt, ideo tres ſtatus perſonarum in diſtinguuntur, ſcilicet *incipientium*, *proficientium* & *perfectorum*. Hanc diſtinctionem *Primo* innuit S. Scriptura: nam hæ ſunt aſcenſiones quas S. David. *Pſ.* 83. deſcripſit: *Beatus vir cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lachrymarum, in loco, quem poſuit: etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* Hæc eſt illa *ſcala* myſtica Jacob *Gen.* 28 de terra ad cœlum, per quam Angeli, ſeu Angelicam perfectionem æmulantes, aſcendebant & deſcendebant. Hæc ſunt illa tria *oſcula* quæ primum in pedes, mox in manus, demum in os Domini conſideravit S. Bernardus *ſerm.* 3 & 4. *in Cantica* dicens: *In primo ſane primordia dedicantur noſtræ converſionis: ſecundum autem proficientibus indulgetur: porro tertium experitur ſola, & rara perfectio.* Hæc denique ſunt illa charismata, de quibus S. Paulus 1. Cor. 12 v. 31. *æmulamini chariſmata meliora:* ſcilicet exercitio virtutum ex charitate, uti ſeq. *c.* 13 exponit ſuo proprio exemplo v. 11. *Cum eſſem parvulus, loquebar, ut parvulus, ſapiebam, ut parvulus, cogitabam, ut parvulus: quando autem factus ſum vir, evacuavi, quæ erant parvuli. Secundo* hanc diviſionem tradit S. Auguſtinus tum *l. de nat. & grat. c.* 70. dicens: *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt: charitas provecta, provecta juſtitia eſt: charitas magna, magna juſtitia eſt: charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt.* Tum in *ep.* 15. *Joan. n.* 5. *ante med.* dicens: *Num quid mox ut naſcitur, jam prorſus perfecta eſt? ut perficiatur naſcitur: cum fuerit nata, nutritur*

cum

cum fuerit nutrita, roboratur: cùm fuerit roborata perficitur: cum ad perfectionem venerit, quid dicit? mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Ubi notandum, quod S. Auguſtinus non quatuor gradus aſſignet, quia charitas inchoata, & nata non ſunt gradus perfectionis, ſed tantum terminus a quo, & ea tantum, quæ incipit nutriri, ad incipientes ſpectat. *Tertio* Rationem diviſionis hujus dat S. Thomas 2. 2. q. 24. a. 9. *in* ⊙ dicens: *Diverſi gradus charitatis diſtinguuntur ſecundum diverſa ſtudia, ad quæ homo perducitur per charitatis augmentum. Nam primò quidem incumbit homini ſtudium principale ad recedendum à peccato, & reſiſtendum concupiſcentiæ ejus, quæ in contrarium charitatis movent: & hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas eſt nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem ſtudium ſuccedit, ut homo principaliter intendat ad hoc, quod in bono proficiat, & hoc ſtudium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem ſtudium eſt, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat, & eo fruatur, & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.*

Quomodo hi tres ſtatus diſtinguantur.

Schol. Tres hi ſtatus incipientium, proficientium, & perfectorum non diſtinguuntur penes intenſionem, & extenſionem ſolam charitatis: quia etiam imperfecte operando per diuturnam vitam illa intenſio per extenſionem plurimorum actuum acquiri poſſet; ſed diſtinguuntur penes ſtudium, plus minuſve perfecte operandi, ſemper tamen contendendo prompte, faciliter, & delectabiliter ex charitate vel eliciente, vel imperante operari, ſcilicet, quatenus homo principaliter ſtudet primo

ex

ex charitate nutriri, ad reſiſtendum tentationibus & ſuperandas paſſiones: mox ex charitate robora ri ſtudioſo incremento virtutum: demum ex cha ritate Deo magis uniri, ad quod ſubjugatis paſſio nibus ex aſſidua virtutum exercitatione jam e diſpoſitus. Merito autem diſtinctio hæc, & dive ſitas ſecundum prædicta ſtudia *principaliter* aſſigna tur: nam minus principaliter nullus eſt gradus vel ſtatus, qui non participet de alio quovis gr du, prout quis in illo eodem gradu, vel ſtatu i cipit, proficit, & perficitur.

§. 26.

Tres viæ purgativa, illuminativa, & unitiva.

Incipientes, proficientes, & perfecti ſtu dent charitati: (§. 25. *Schol.*) ad hanc ve tendunt in via Domini per exercitium virtutu per gradus quaſi per ſemitas, quæ profectu euntium ad Deum denotant. Hi gradus, hæ ſemitæ tres vias conſtituunt, ſcilicet *via purgativam*, quæ ad incipientes; *viam illumin tivam*, quæ ad proficientes, & *viam unitivam* quæ ad perfectos pertinet. Hæc diviſio *Prim* indicatur a S. Scriptura *Exod.* 19. ubi Moyſe primum expiari, ſcilicet in via purgativa, ju betur; deinde cernit clara lumina in via illu minativa: demum ad ſummum faſtigium div norum in via unitiva pertingit. (§. 2. *Schol.* Idem probant textus, & loca S. Scriptur (§. 25.) relata. Quod etiam definivit Eccle ſia, dum Innocent. XI. ſequentem propoſitio nem 26. Michaelis Molinos damnavit: *Tr hæ viæ purgativa, illuminativa, & unitiva inept eſt maxima, quæ unquam prolata ſit in ipſa M ſtica, cum non ſit niſi via unica, id eſt, via inte na.* *Secundo* Hanc diviſionem, & ſimul ratio

ne

rem illius tradit S. Dionyſius tum ſæpius, tum præcipue *l. de Eccl. hierar. c.* 5. *prope fin.* dicens: *Deus ipſe mentes, in quibus fuerit, expiat primum, deinde illuſtrat, illuſtrataſque perficit ad divinam ſimilitudinem, & imitationem.* Eademque doctrina nos imbuere intendit Eccleſia quindecim Pſalmis gradualibus, in quorum ſingulis quinque ſingulas partes hujus diviſionis probat Card. Bona *tr. de div. Pſalmod. c.* 15. nimirum eruendo doctrinam, qua & incipientes purgentur, & illuminentur proficientes, & perfecti Deo uniantur. Plura vid. apud Honorat. a S. Maria *p.* 2. *diſſ.* 1. *a.* 2. §. 2.

Via purgativa quid.

Schol. Theologiam Myſticam ſe etiam ad incipientes, & proficientes, & conſequenter etiam ad viam purgativam, & illuminativam extendere, nec in ſolis perfectis, & in via unitiva quieſcere oſtenſum fuit. (§. 2. *Schol.*) Huic igitur ſemitæ, & nos inſiſtemus, & in decurſu per viam purgativam, illuminativam, & unitivam incedentes, & progredientes, incipientes, proficientes, & perfectos informare ſtudebimus. Unde ſit.

§. 27.

Opera viæ purgativæ.

Via purgativa eſt, in qua incipientes per fugam peccati, ope orationis, & mortificationis ad chriſtianam perfectionem contendunt.

Schol. In via igitur purgativa incipientes ſe a peccatis purgant, & tum mortalia, tum venialia, ac teporem evitare ſtudent; & ad hoc orationis, & mortificationis ſtudium adhibent. Porro natura & diſtinctio peccati mortalis, & venialis ſufficienter explicata fuerunt: (*Comp. Th. t.* 2. *c.* 10. *de vitiis & peccatis*) ubi etiam (*t.* 3. *c.* 14. *de Pœnitentia*) oſtenſum fuit, quomodo ſe quis a peccatis purga-

re poſſit, & debeat. Unde ſolum reſtat, ut mod motiva, quæ ad fugam peccati tum mortalis, tu venialis unumquemque excitent, afferamus.

§. 28.

Peccatum mortale fugiendum.

Summo igitur conatu ſupra cætera omn mala *peccatum mortale* fugiendum eſt. *Prim* Quia peccatum mortale eſt ſumma injuria, o fenſa, & contemptus Dei: quippe pecca mortaliter creaturam aliquam pro fine ſuo ult mo conſtituit. Jer. 2. *Duo mala fecit popul meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, foderunt ſibi ciſternas, quæ continere non poſſu aquas.* Ubi oſtenditur, peccatorem Deo relict velle ſitim ſuam extinguere in aqua fœtid creaturæ. Et *Philipp.* 3. dicitur: *Quorum De venter eſt.* Ubi iterum aliqua creatura pro fi ultimo peccantis graviter aſſignatur. Quip taliter peccans appretiative plus creaturam quam Deum amat Joan. 12. *dilexerunt mag gloriam hominum, quam Deum.* Ergo in ea r tionem ultimi finis conſtituit. (*Comp. Th. t.* §. 525. *Schol.* 2. 3.) Adeoque Deo, auferen do ab eo rationem ultimi finis, maxima inj ria, offenſa infinita, & ſummus contempt infertur, & ſic merito peccatum mortale, m lorum omnium maximum, ſumme fugiendu eſt. *Secundo.* Patet ex immenſis damnis, qu vel unicum mortale homini cauſat. Nam privat eum gratia Dei, quæ cum ſit vita ſpi tualis animæ (§. 9.) ejus privatio morte animæ inducit. Gen. 2. v. 17. *In quocunque comederis ex eo, morte morieris.* Ubi per il verba, *in quocunque die*, ſignificatur mors pr

ſe

ſens animæ, licet ſimul mors futura corporis, & æterna includatur: unde etiam a Tridentino *ſeſſ.* 5. mortale *mors animæ* vocatur. Et *ſap.* 1. *v.* 11. dicitur: *Os, quod mentitur, occidit animam.* 2. Privat animam donis Spiritus S. & virtutibus ſupernaturalibus infuſis, & auffert ab ea jus adoptionis in filium Dei, & hæredem regni cœleſtis, quæ gratiam concomitantur: (§. 10. *ſeq.*) 3. Deſtruit omnia merita in præcedenti vitæ decurſu per adminiſtrationem, per aſperam vitæ rationem, & alio quovis modo laborioſe comparata: nam *ſi averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, nunquid vivet? omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ezech. 18. v. 24. 4. Omnia opera bona in ſtatu peccati mortalis ad æternam ſalutem conſequendam fiunt inutilia: *Cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos: & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Iſ. 1. v. 15. 5. Peccatum reddit animam, ejusque potentias ad reſiſtendum tentationibus debiliores; tollitque ab ea pulchritudinem ſupernaturalem, turpem illi maculam inducendo. (*Comp. Th. t.* 2. §. 535.) 6. Facit, ut homo ex hoc deplorando ſtatu ſe extricare non valeat, niſi Deus ab eo graviter offenſus per ſummam bonitatem ei ad reſurgendum gratuito manum porrigat. (*Com. Th. t.* 1. §. 350.) 7. Reatum duplicis pœnæ æternæ, damni, & ſenſus in inferno tolerandæ inducit: *Matth.* 25. v. 41. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* (*Comp. Th. t.* 2. §. 537.)

Coroll. Ergo tanquam a facie colubri fugiamus peccatum mortale, quod in ſeipſo malum, & tale malum *Adhortatio ad fugam pec-*

vati mortalis. malum eſt, ut ſolum vere malum ſit, & ſolum fi cit ſeipſo reliqua mala, quæcunque mala ſunt: ſo lum, in cujus comparatione reliqua mala conten nenda ſunt, & potius eligenda, quam peccatu admittendum, & ſi refugimus mala pœnæ, mo tis, & inferni, fugiamus ſuper illa amplius pe catum mortale, quod horum omnium cauſa e Uti enim S. Chryſoſtomus ait hom. 5. ad popu poſt inſt. *Humanorum nullum eſt grave malorum niſi peccatum.* Et deinde variis malis recenſitis a dit: *Hæc enim calamitatum nomina, philoſophan bus ſunt tantum nomina rebus carentia; vera aut calamitas, Deum offendere, & eorum, quæ ipſi n placent, aliquid facere.*

§. 29.

Veniale fugiendum. Præter peccata mortalia etiam *peccata v nialia*, maxime deliberata, frequentata, emendari neglecta, ſummopere cavenda, fugienda ſunt. *Primo.* Quia licet veniale parvum reſpective ad mortale: quia tamen malum morale, in ſe, & coram Deo malu adeo magnum eſt, ut omnia alia mala non m ralia, uti mortem, annihilationem, & qua cunque alia excogitabilia mala gravitate ſupe ret: unde etiam in S. Scriptura *feſtucæ* in ocu lo, *Luc.* 5. *v.* 41. quæ non pro adeo levi ma reputatur, & 1. Cor. 3. v. 15. *ligno, fœno* & *ſtip læ* comparatur, ex quibus ædificans in anin *detrimentum patietur*, quod utique pro luc univerſi mundi patiendum non eſt. *Matth.* 1 *v.* 26 certe *peccata, quæ incipientibus levia ſun perfectis viris gravia reputantur.* Ait S. Iſid rus l. 2. ſent. c. 18. *Secundo.* Peccàtum veni le eſt morbus animæ, uti docet S. Thoma 1. 2. *q.* 72. *a.* 5. & S. Franciſcus Saleſ. *l.* 4.

am

amor. Dei. c. 2. dicens: „ Charitas aliquando „ ſic ægre reſidet in corde, ut vix aliquod ex„ ercitium illius detegatur, etſi nondum deſinat „ in ſuprema regione animæ reſidere: prout „ accidit, quando ſub peccatorum venialium „ multitudine quaſi ſub cineribus opertus latet „ ignis ſancti amoris “. Quis autem morbum animæ non æque, imo magis, ac morbum corporis refugiat. *Tertio.* Veniale peccatum diſplicet Deo Amico, Patri, & Sponſo noſtro amandiſſimo, & *contriſtat Spiritum ſanctum Dei*, Eph. 4. v. 30. quæ diſplicentia ſuper omnia vitanda eſt. *Quarto.* Deus veniale ſeveriſſime in hac, & in altera vita punit: ſic in hac vita levem incredulitatem, & diſſidentiam Moyſis, & Aaron morte præmatura ante ingreſſum in terram promiſſam punivit: *Num.* 20. *v.* 12. ſic ſeptuaginta Bethſamitarum millia ob curioſum Arcæ aſpectum morte mulctata ſunt. 1. *Reg.* 6. *v.* 19. Sic ob vanam gloriam Davidis 7000. peſte deleta ſunt &c. In altera vero vita veniale in purgatorio plectitur, uti probatum fuit: (*Comp. Th. t.* 1. §. 412.) de cujus gravitate S. Cæſareus Arelat. *hom.* 8. *ad popul.* ait: *Ille purgatorius ignis durior erit, quam quidquid poteſt in hoc ſæculo pœnarum videri, aut cogitari, aut ſentiri. Et cum de die judicii ſcriptum ſit, quod erit dies unus tanquam mille anni, & mille anni tanquam dies unus: unde ſcit unusquisque, utrum diebus, an menſibus, an forte etiam & annis per illum ignem ſit tranſiturus?* Et S. Antoninus 1. *p. Sum. tit. & c.* 5. docet; quod ignis purgatorii ſit ejusdem ſpeciei cum igne inferni: & quod in ſua activitate ignem hujus vitæ ita

ſuperet, ſicut noſter ignis verus ignem pictu
excedit. *Quinto.* Sæpe quod putatur pecca
tum veniale, mortale eſt, unde facile morta
ſub colore venialis falſo exiſtimati incurritu
Teſtatur hoc S. Auguſtinus in Enchi. *c.* 7
dicens: *Quæ ſint levia, & quæ ſint gravia pe
cata, non humano, ſed divino ſunt penſanda jud
cio.* Ex qua regula probat, multa, reperir
eſſe venialia, quæ nulla peccata eſſe videntu
uti vacare operi conjugali ex ſola voluptate,
contendere etiam juſte coram judice, ob fac
lem exceſſum in modo. Et *c.* 79. multa
eadem regula eſſe mortalia, quæ venialia v
dentur, probat ex *Matth.* 5. *v.* 22. dicen
*Quis enim dicentem fratri ſuo, fatue, reum g
hennæ putaret, niſi veritas diceret.* Et ex
Gal. 4. *v.* 10. colligit; magnum peccatum eſ
vana ſuperſtitione dies fauſtos obſervare. Ce
te ſæpe nec ipſi docti Theologi veniale a mo
tali rite diſcernere poſſunt: quia in omni jud
cio humano de magno, & parvo, majori,
minori, ſicuti facile agnoſcitur exceſſus,
defectus, quando nimius eſt, ita quo plu
vel minus a medio diſtat, difficilius, vel nu
modo eſt agnoſcibilis. *Sexto.* Peccata veni
lia multipliciter ad mortalia diſponunt: na
qui ſpernit modica, paulatim decidet. Eccli. 1
v. 1. Quippe venialia ex parvitate materia
facile in materiam gravem abeunt: venialia
deliberatione imperfecta, urgente paſſione,
plenam deliberationem cito tendunt: venia
per ſe ſuo pondere ad gravitatem vergun
maxime ſi conſuetudo prava habitus vitioſ
augeat, & virtuoſos ad reſiſtendum mort

exti

extinguat, & auxiliis divinis ad vitanda mortalia obſtaculum ponat; ſi contemptus interveniat: ſi quis eo affectu venialiter peccet, ut non omitteret quantumvis mortale foret, & ſic in veniali rationem ultimi finis conſtituat. (*vide Comp. Th. t.* 2. §. 540. *& ſeq.*)

Adhortatio ad fugam venialium.

Coroll. Studeamus ergo peccata venialia omni conatu, in quantum nobis cum gratia poſſibile eſt, evitare, & abhorreamus ab affectu ad illa etiam minuta venialia, a quibus omnino depurati eſſe non poſſumus: „ Quid enim magis rationi re„pugnat, ait S. Franciſcus Saleſ. *in ſua introduct.* c. 22. „ quam quod ſpiritui generoſo placeat, „ Deo diſplicere; afficiaturque, ad diſplicendum „ ipſi, ametque velle, quod novit exoſum eidem? Sequamur monitum S. Auguſtini l. de 10. chordis c. 11. *Noli illa contemnere, quia minora ſunt; ſed time, quia plura ſunt. Attendite fratres mei, minuta ſunt, non ſunt magna, non eſt beſtia, quaſi leo, ut uno morſu guttur frangat: ſed beſtiæ plerumque minutæ multæ necant: ſi projicitur quisquam in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? ... Sic & modica peccata attendite, quia modica ſunt, & cavete, quia plura ſunt. Quotidiana ſunt iſta, quæ dico; ſed tamen peccata ſunt, & non ſunt levia, quia plura: quia vero quotidiana, & plurima, timenda eſt ruina multitudinis, etſi non magnitudinis. Cavete ergo*, inquit S. Bernardus ſerm. 1. de conv. S. Pauli: *Deinceps, nequis parva reputet, quantumlibet parva ſcienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde ſuo, levia ſunt iſta, non eſt magnum, ſi in his maneam venialibus, minimisque peccatis. Hæc eſt enim dilectiſſimi impœnitentia: hæc blaſphemia in Spiritum ſanctum, blaſphemia irremiſſibilis.*

§. 30.

Tepiditas quid.

Præter peccata mortalia, & venialia fugienda eſt ſummopere *tepiditas*, & *acedia*, per

 quam

quam illi, qui alacriter inceperunt cum perfe ctione ambulare viam Domini, poſtmodum e tædio, & triſtitia corripiuntur torpore, vel pi gritia, ne jam curent, ut antea, contender ad potiora: ſed mediocritate contenti, ſuffice re putant, non agnoſcere gravia peccata i ſeipſis, de cætero de venialibus, & imperfe ctionibus parum ſunt ſolliciti, qui proinde im perfecti, & tepidi vocantur, utpote in quibu ſaltem refriguit, ſi non omnino defecit prie charitas.

Signa tepiditatis. *Schol.* Signa tepiditatis pro Religioſis collegerun S. Bernardus *ſerm.* 3. *de Aſcenſ.* & Caſſianus *l.* 1c *Collat.* c. 2. 3. 6. Pro omnibus vero Chriſtiani cum Ludovico a Ponte 1. *p. Medit.* &c. ſequenti aſſignari poſſunt. 1. Magna quædam facilitas i omittendo exercitia pietatis, orationis, lectioni ſpiritualis, communionis ex minimo prætextu ita ut ſervitium divinum poſtremum locum occu pet, & huic obligationi tunc ſolummodo ſatisfiat quando genio placet, aut aliunde nil agendum oc currat. 2. Negligentia in operibus pietatis ex plendis: ſcilicet, irreverentia, diſtractio, & inde votio in oratione, nullus fructus in meditatione vix ulla præparatio, dolor, reſolutio, emendati in confeſſione; exigua præparatio, nulla fides vi va, nullus fervor, nulla fames in communion 3. Diſſipatio continua ad objecta vana, frivola periculoſa, vel peccaminoſa, ſine ſtudio propri abnegationis, internæ recollectionis, cum affecta ta ignorantia eorum, quæ neſciri nequeunt, & obduratione ad remorſus conſcientiæ. 4. Conſue tudo operandi ſine reflexione, ſine bona intentio ne, ſed fere ſemper pro guſtu, ex paſſione, ſen ſualitate, amore proprio, reſpectu humano, au alio fine privato. 5. Incuria in ordine ad acqui rendas virtutes, mortificandas paſſiones, & ex

ercer

cavenda bona opera ſtatui ſuo convenientia. 6. Contemptus minimorum in negotio animæ.

§. 31.

Ut autem *tepiditatem* omni ſtudio fugiamus, ſequentia motiva attente conſiderare juvat: ſcilicet, quod tepidus vel jam ſit in ſtatu peccati lethalis, vel plus minusve proxime pro ratione tepiditatis ſuæ verſetur in periculo talis peccati, vel etiam impœnitentiæ finalis, & damnationis. Probatur *primo* ex gravi obligatione cujuslibet Chriſtiani, tendendi ad perfectionem, (§. 19. & *ſeq.*) a qua tepidus vel omnino jam defecit, vel facile deficiet, niſi quamprimum reſipiſcat. *Secundo.* Ad recte, & ſine culpa moraliter operandum requiritur certitudo moralis, & ſubinde etiam ſimilis moralis certitudo de ſtatu gratiæ requiritur, vel ſaltem practica, in vehementi præſumptione fundata, quæ etiam in ferventiſſimis non eſt, niſi conjecturalis: (*Comp. Th. t.* 1. §. 377. *cum Schol.*) ſed tepidus hac certitudine vix gaudere poteſt; cum in eo ſint potius ſigna gravis defectus, & culpabilis erroris, aut ignorantiæ, quam impletionis totius legis chriſtianæ; & ideo præſumptio eſt potius de ſtatu peccati, quam de ſtatu gratiæ. *Tertio.* Acedia per ſe loquendo eſt peccatum grave, & capitale, ſi ſit triſtitia de bono divino, neceſſario per actiones pias ſibi mortali procurando; uti probant cum S. Thoma 2. 2. *q.* 35. *a.* 3. communiter Theologi: ſed tepiditas tanquam filia acediæ huic triſtitiæ, ſeu receſſui a Deo proxima eſt, ſi non ſit jam ipſe receſſus per grave peccatum. Nec

Tepiditas fugienda.

prodeſt, tepidum non velle recedere omnino a Deo: quia ſufficit, de eo dici. Prov. 13. v. 4. *Vult, & non vult piger.* *Quarto.* Tepiditas ex ſuperbia oritur, & ſuperbiam fovet, idque in gradu, qui facile ad gravitatem devenit, nec tamen ad eum deveniſſe erronee putatur: quippe dum tepidus ſe profeciſſe in via perfectionis putat, hoc ſibi, & ſuis meritis aſcribit; in poenam vero hujus vanæ complacentiæ privatur guſtu rerum ſpiritualium, & ad vana, & ſuæ ſuperbiæ blandientia convertitur: & quamdiu ejus tepiditas in aperta crimina non prorumpit, & tepidus adhucdum bona opera externa, & Sacramenta frequentare pergit, complacet ſibi in retenta, &, uti falſo putat, aucta perfectione, & alios præ ſe contemnit, qui vel minus laborarunt, & in quibus videt defectus, quos in ſe non videt. Hæc ſuperbia, & tepiditas ſubinde juſtiſſime lapſu notorio punitur, qui tamen non eſt primus coram Deo utpote quem multi alii graves lapſus occulti præceſſerunt. *Quinto.* Tepidus ad ſummum horret peccata gravia, quæ ſunt talia in particulari, non vero quæ gravia ſunt in communi, vel in radice: quis enim concipiat de tepido qui vix appretiare Deum reputatur, quod eum appretiative ſuper omnia diligat, & paratus ſit, ex vi hujus amoris ad faciendum omnia quæ præcepta ſunt, & ea fugienda, quæ amori Dei conſervando repugnant? adeoque etiam ſic diligere proximum, etiam inimicum, ut data occaſione illi benefaceret? quis credat, quod tepidus ſeipſum abnegare ſtudeat juxta præceptum Chriſti? *Matth.* 16. *v.* 24. His accedunt

pec

peccata gravia culpabilis ignorantiæ, quorum plurima in ſtatu tepiditatis incurri poſſunt, cum juxta S. Thomam 1. 2. q. 84. a. 4. ad 3. *omnia peccata, quæ ex ignorantia proveniunt, poſſint reduci ad acediam.* *Sexto.* Tepidus eſt frequenter in ſtatu impœnitentiæ, uti patet ex illo Apocalypſ. 3. v. 15. *Scio opera tua, neque frigidus es, neque calidus; utinam frigidus eſſes, aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Quod communiter ſic explicant interpretes, tepidum forte non eſſe de præſenti, aut ſaltem non putari, vel ab aliis, vel a ſeipſo ita malum, ſicut publicum peccatorem: at eſſe pejorem pro futuro, ob majus periculum impœnitentiæ; tum quia comparando ſe cum publicis peccatoribus fervere non curat: tum quia miſeriam ſui ſtatus non agnoſcit, nec ab ea ſe eripere ſtudet. *Rectiſſime ergo*, uti Abbas Daniel apud Caſſianum *Coll.* 4. *c.* 19. ait: *Pronuntiatur eſſe deterior, quia facilius ad ſalutarem converſionem, ac perfectionis faſtigium carnalis quis, id eſt, ſæcularis, vel gentilis accedit, quam is, qui profeſſus monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens ſecundum regulam diſciplinæ ab illo ſemel ſpiritualis fervoris igne diſceſſit. Ille namque corporalibus ſaltem vitiis humiliatus, atque immundum ſe ſentiens contagione carnali ad fontem veræ purificationis, ac perfectionis culmen quandoque compunctus accurrit, & horreſcens illum, in quo eſt, infidelitatis gelidiſſimum ſtatum, ſpiritus ardore ſuccenſus ad perfectionem facilius convolabit. Nam qui ſemel, ut diximus, tepido exorſus initio monachi cœpit abuti vocabulo, nec tamen humilitate, ac fervore,*

quo

quo debuit, iter hujus profeſſionis arripuit, infectus ſemel hac miſerabili lue, & in ea quodammodo reſolutus, nec ex ſeſe ulterius perfecta ſapere, nec alterius poterit monitis erudiri. Poſtremo quid diutius immoramur in his, quæ nobis experimento ſatis comperta ſunt, & probata? frequenter enim vidimus de frigidis, atque carnalibus, id eſt, de ſæcularibus, atque paganis ad ſpiritualem perveniſſe fervorem: de tepidis atque animalibus omnino non vidimus. *Septimo.* Tepidus non ſolum in qualemcunque, ſed etiam finalem impœnitentiam labitur: tum quia in eo magis radicatur cordis durities, inſenſibilitas ad pœnitentiam, & cœcitas per totam vitam: tum quia in vitæ, mortisque confinio tepidus lumine ſuperno illuſtratus miſeriam ſuam agnoſcens, cadet animo, & in barathrum deſperationis proruet: quippe S. Thomas 2. 2. *q.* 20. *a.* 4. docet, deſperationem ex acedia magis, quam ex luxuria oriri, quatenus ex nimia dejectione in homine prædominante, quis bonum arduum beatitudinis a ſe acquiri non poſſe credit. Unde S. Gregorius *in Paſtor. p.* 3. *admon.* 35. *prope fin.* ait: *Quisquis ergo amiſſo infidelitatis frigore, ſed nequaquam tepore ſuperato exardeſcit, ut ferveat, proculdubio calore deſperato, dum noxia in tepore demoratur, agit, ut frigeſcat. Sed ſicut ante teporem frigus ſub ſpe eſt, ita poſt frigus tepor in deſperatione. Qui enim adhuc in peccatis eſt, converſionis fiduciam non amittit: qui vero poſt converſionem tepuit, & ſpem, quæ eſſe potuit de peccatore, ſubtraxit.* Quippe *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.* Luc. 9. v. 62.

Corollar. 1

Corollar. 1. Omni ergo mentis conatu e miſerrimo tepiditatis ſtatu exeundum eſt, & cum gratia divina via perfectionis relicta iterum relegenda, aggregando nos incipientibus eo pœnitentiæ ſpiritu, qui præterita plangat, & plangenda non amplius committat. Dicamus cum S. David corde contrito, Pſ. 76. v. 11. *Dixi, nunc cœpi:* id eſt, uti Dionyſius Carth. exponit: „ Vere cognoſcere orſus ſum intelligendo præſentis ſæculi vanitatem, & futuri ſæculi felicitatem, vel totam priſtinam meam converſationem, profectum, & perfectionem pro nihilo arbitrando: atque cum recenti propoſito, cum novo fervore, cum ſtudio vehementi melioris vitæ ſemitas apprehendendo, ſpiritualis profectus itinera ingrediendo, imo quotidie quaſi de nova incipiendo “. Addamus autem cum Davide: *Hæc mutatio dexteræ excelſi,* bene conſcii in nobis non confidere nos poſſe, nec tamen eſſe, cur in Deo non confidamus, adhortante nos Apoſtolo Rom. 12. v. 2. *Reformamini ſpiritu mentis veſtræ:* ubi S. Auguſtinus l. 14. *de Trinit. c.* 16. addit: *Ut incipiat illa imago ab illo reformari, a quo formata eſt: non enim reformare ſeipſam poteſt, ſicut potuit deformare.* Quantumvis igitur inolitæ tepiditatis vitio inveterati ſimus, animum non deſpondeamus, nec pro impoſſibili habeamus, renaſci hominem ſenem, ac veluti in ventrem matris iterato introire, primæ converſionis exordia cum primævo vitæ ſpiritu denuo concipiendo: quod enim naturæ eſt impoſſibile, promptum eſt gratiæ, ſpirante Deo ſpiritum vitæ, uti modo vult ſpirare, dum hæc inſpirat: cum quo tantum aqua, & fletu pœnitentiæ opus eſt, ſicuti Angelo ſeu Epiſcopo Epheſi, qui S. Timotheus fuiſſe creditur, *Apoc.* 2. & 3. dicitur: *Habeo adverſum te, quod charitatem primam reliquiſti. Memor eſto itaque, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: ſin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Et Epiſcopo Pergami: *ſed habeo*

Adhortatio ad vitandam tepiditatem.

beo adverſus te pauca, & ſimiliter pœnitentiam agi. Audiamus Deum per Apoſtolum nobis clamantem Gal. 5. v. 14. *Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus:* id eſt, uti S. Thomas *lect.* 5. exponit: *Surge a negligentia boni operis, tu qui dormis.* Recognoſcamus ſtatum noſtrum in parabola decem virginum, quinque fatuarum, & quinque prudentum *Matth.* 25. *v.* 5 *quæ moram faciente ſponſo dormitaverunt omnes, & dormierunt;* quod de ſomno pigritiæ, & tepori S. Thomas cum Origene exponit. Ne autem ſimus ex numero fatuarum, quæ non modo dormitationi, ſed ſomno tepiditatis deditæ, non curant, niſi præciſe de oleo bonorum operum, ne lampas charitatis penitus extinguatur, in quo ſtatu, ſi nos mors obruerit, & lampades noſtræ extingui ceperint, fruſtra aliorum opem implorabimus, fruſtra clamabimus: *Domine! Domine! aperi nobis,* morte enim corripiemur, & dicetur nobis: *clauſa eſt janua.* Faciamus ergo ſemel aliquando hanc firmam reſolutionem, totos nos Deo in perpetuum conſecrandi. Penſemus, quid ſit Deus, quid nos, quid omnia, & non nimium, imo nimis parum a nobis exigi deprehendemus.

Media contra teporem.

Corollar. 2. Ut vero reſolutio noſtra efficax ſit, media ad teporem tum cavendum, tum excutiendum adhibeamus. Quorum 1*mum* eſt devota ad Deum oratio pro fervore ſpiritus concipiendo, & continuando. 2*dum.* Meditatio tum divinæ Majeſtatis, & bonitatis, quæ directe ferventem charitatem accendit, juxta illud Pſ. 72. *Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam:* tum propriæ vilitatis, & infirmitatis, quæ ad idem indirecte conducit, omnemque præſumptionem removet, juxta illud Pſ. 120. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* 3*tium.* In opere faciendo non feſtinare, ſed illud peragere ſicut Deus vult, eo fine, loco, tempore, & circumſtantiis, ſicut Deus vult: unde non eſt diligentia,

ſed

ſed negligentia, opus ante præſcriptum tempus, vel breviori, vel alio tempore facere: quia ſic moleſtiam, & laborem fugimus. *4tum.* Eſt meditatio brevitatis vitæ: forte enim craſtinus erit dies ultimus, adeoque opera meritoria pro æternitate colligenda ſunt, ſine quibus dies vitæ noſtræ in vanum abeunt. *5tum.* Eſt fuga omnis inordinati terreni affectus, curioſitatis, & occupationis ſtatui noſtro non competentis. *6tum.* Eſt conſtantia, & fervor in exercitiis ſpiritualibus etiam tempore ariditatis. *7timum.* Fuga otii, & obſervatio ordinatæ temporis diſtributionis. *8vum.* Examen generale quotidianum, & particulare circa ſpeciale vitium. *9num.* Fuga inutilium colloquiorum, diſtractionum, & familiaritatum. *10mum.* Exercitia ſpiritualia octiduana ſemel per annum, & ſingulis menſibus uno die recollectio menſtrua. Plura ſuppeditant paſſim Aſcetæ.

§. 32.

Oratio in genere quid.

Porro ad declinandum a malo, & fervorem ſpiritus tum accendendum, tum fovendum, præcipuum, & *primum medium* eſt *oratio*; quæ in genere ſpectata definiri poteſt, ſermocinatio, & converſatio noſtræ animæ cum Deo circa negotium noſtræ ſalutis, & perfectionis. Ita orationem deſcribit S. Gregorius Nyſſ. *or.* 1. *de orat. Dom.* dicens: *Oratio converſatio, ſermocinatioque cum Deo eſt.* Et S. Chryſoſtomus *hom.* 30. *in Gen. verſ. fin.* ait: *Oratio colloquium eſt cum Deo. Pſ.* 103. *v.* 35. *Jucundum ſit ei eloquium meum.* Conſonat S. Thereſia *in via perf. c.* 22. & S. Franciſcus Saleſ. *l.* 2. *de amor. Dei c.* 1. Unde etiam *Exod.* 34. *v.* 29. Moyſes de monte poſt 40. dierum orationem facie ſplendida deſcendens deſcribitur, *ex conſortio ſermonis*

nis Dei: ſcilicet, uti Cornelius a Lap. expon
„ Ut vim, & fructum orationis Deus oſten
„ ret". Sic etiam in humanis audientiam
Rege habere ad colloquendum cum eo, & :
quid poſtulandum ab illo, oratio dicitur.
datam definitionem tendit etiam illa recepti
ma S. Joan. Damaſc. l. 5. fid. orth. c. 14. *O
tio eſt aſcenſus mentis in Deum, aut eorum*, q
conſentanea ſunt, poſtulatio a Deo.

Orationis partes eſſentiales. *Schol.* 1. Partes eſſentiales orationis, ex quibus e eſſentia componitur, ſunt aſcenſus, ſeu eleva mentis ad Deum, & petitio, quas S. Paulus *Tim* *v.* 1. nomine *orationis*, & *poſtulationis* deſign niſi enim petitio fiat aſcenſu, vel elevatione me tis, oratio erit inefficax, ſicca, & infructuoſa: vero elevationi mentis non accedat petitio, ſola erit ſpeculatio, aut ſtudium, vel non erit p prie, & ſtricte oratio, nam teſte S. Iſidoro *l. origin. c.* 19. *Orare eſt petere, ſicut exorare im trare.* Hoc ipſum ex ſacra Scriptura apparet; q orationem vel per locutionem cum Deo, id e elevationem mentis ad Deum exprimit, Gen. 1 v. 27. *Loquar ad Dominum meum:* vel per elev tionem animæ, manuum, oculorum ad Dominu Pſ. 24. v. 1. *Ad te levavi animam meam.* Item *Pſ.* 6 *v.* 5. *Pſ.* 85. *v.* 4. *Pſ.* 122. *v.* 1. vel per petitionem Matth. 7. 7. *Petite, & dabitur vobis.* Partes ve

Partes integrales. Sacra v. g. integrales orationis ſunt, *obſecratio*, qua veni peccatorum petimus, vel Deum per bonitate ſuam, conteſtamur: *& gratiarum actio*, qua g tos nos pro acceptis beneficiis exhibemus, q optima eſt ad nova accipienda ratio. Quibus p tibus Lauræa opuſc. 1. de orat. c. 1. *orationem l dis addit*, quæ tamen ad obſecrationem, prout conteſtatio Dei per ſacra, revocari poteſt. Un adæquata hæc orationis definitio formari pot

Definitio orationis. *Oratio* eſt elevatio mentis ad Deum, qua vel bo a Deo, aut veniam delictorum per merita Chri

pe

petimus; vel pro acceptis beneficiis gratias illi agimus; vel eum laudamus. Notat tamen hic Suarez *t.* 2. *de Relig. l.* 2. *c.* 3. „ Orationem poſſe „ in una ratione aliqua aſſignatarum partium prin„ cipalius exerceri, & intendi nunc unam, nunc „ aliam. Imo interdum poteſt tota mentis, aut „ vocis oratio, etiamſi prolixa, & diuturna ſit, „ in uno tantum illorum actuum occupari: quia „ nulla eſt obligatio, ſeu neceſſitas, conjungendi „ ſemper omnes illos; & alioqui poteſt interdum „ major fructus, aut ſpiritualis devotio ſentiri, „ vel ſperari ex continuatione unius actus, quam „ ex variatione plurium, & ideo tunc quieſcen„ dum eſt potius in uno actu, quam multiplicitas „ affectanda “.

Oratio eſt actus intellectus & Religionis.

Schol. 2. In Compendio Th. (*t.* 2. §. 779. *Sch.*) dictum fuit, orationem formaliter eſſe actum intellectus; quia per orationem homo ordinat, & diſponit, Deo deſiderium ſuum manifeſtando, ut aliquid faciat: originaliter vero, & præſuppoſitive eſt actus voluntatis vi deſiderii, aliquid a Deo obtinendi, intellectum ad petendum applicandis. Item oratio eſt actus Religionis; quia juxta S. Thomam 2. 2. q. 83. *Per orationem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum ſcilicet ei ſe ſubjicit, & profitetur orando, ſe eo indigere, ſicut authore ſuorum bonorum.*

§. 33.

Oratio omni Chriſtiano eſt neceſſaria.

Oratio omni Chriſtiano ad vitam chriſtiane agendam eſt *neceſſaria.* Probatur *primo* ex S. Scriptura *Matth.* 6. Chriſtus, ſuppoſito hoc præcepto, docuit nos, quomodo orare debeamus, quod præceptum expreſſe dedit. c. 7. v. 7. *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis &c.* & c. 26. v. 41. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Eph. 6. v. 17. *Galeam ſalutis aſſumite . . . . per omnem orationem, & ob-*

ſecrationem orantes. Ergo oratio ad ſalutem ob tinendam, & tentationes vincendas, & con ſequenter chriſtiane vivendum neceſſaria eſt *Secundo.* Subſcribunt PP. S. Dionyſius *l. de di nom. c,* 3. dicit: *Oportet nos orationibus primum ad ipſum* (Deum) *ſicut boni principem produci etenim univerſa* (Trinitas) *univerſis adeſt, no autem omnia ipſi adſunt.* Id quod per ſimilitu dinem catenæ ad elevandum ſe in altum, & navis ad portum attingendum neceſſariæ con firmat. S. Cyprian. *l. de orat. Dom.* ait: *Inte cætera ſalutaria ſua monita, & præcepta divina a quibus populo ſuo Chriſtus conſuluit ad ſalutem etiam orandi ipſe formam dedit.* Et S. Gregorius Nyſſ. *or.* 1. *de orat.* expreſſe probat:. *Quod om nino oporteat orare: quod ad vulgi aures nondum fortaſſe pervenit.* Idem probat S. Chryſoſtomus *l. de orando Deum,* & dicit: *Quemadmodum corpus hoc noſtrum, ſi non adſit anima, profecto mortuum eſt, ac fætidum: ſic anima, niſi ſeipſam incitet ad orandum, mortua eſt, ac miſera, & graviter olens.* Eandem veritatem SS. Hiero nymus, & Auguſtinus contra Pelagianos pro bant velut adeo certam, quam certum eſt requiri auxilium gratiæ, ad quod obtinendum oratio requiritur. *S. Hier. l.* 3. *cont. Pelag S. Auguſt.* cum PP. Conc. *Carthag. ep.* 90. con ſentiente Innocentio I. *ep.* 91. *Tertio.* Acce dunt Concilia Carthaginenſe V. Arauſicanum II *can.* 3. & 6. & Tridentinum *ſeſſ.* 6. *c.* 11. dicens *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis* quod ex S. Auguſtino *l. de nat. & grat. c.* 43 deſumpſit. Quod idem declarat Catechiſmus

Rom

Rom. *de orat.* dicens: „ Primum igitur docendum eſt, quam ſit oratio neceſſaria, cujus „ præceptum non ſolum conſilii cauſa traditum „ eſt, ſed etiam neceſſarii juſſi vim habet. „ Quod & a Chriſto D. declaratum eſt illis verbis: *oportet ſemper orare.* Hanc orandi neceſſitatem ipſa etiam illo Dominicæ precationis quaſi proemio oſtendit Eccleſia: *Præceptis ſalutaribus moniti &c.* *Quarto.* Rationem dat S. Thomas *in 4. ſent. d.* 15. *q.* 4. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 1. dicens: *Amor, qui maxime voluntarius eſt, neceſſarius eſt, ſi quis velit ad ſalutem pervenire: & hoc modo etiam oratio neceſſaria eſt; & ſub præcepto cadens reſpectu eorum, quorum voluntas ſub neceſſitate prædicta cadit.* Quippe qui non orat, credit, ſe poſſe viribus naturæ ſalutem conſequi, vel Deum illam ſibi dare debere, & Deum bonorum omnium Authorem non eſſe, nec ſe illius gratia indigere, quæ omnia impia ſunt, & jam dudum ab Eccleſia damnata.

Schol. 1. Pelagiani, dum gratiæ neceſſitatem, etiam orationis neceſſitatem implicite negarunt. Wicleffiſtæ docebant; orare nihil eſſe aliud, quam bene operari. Michael Molinos hanc propoſitionem defendit: *Qui divinæ voluntati reſignatus eſt, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere eſt imperfectio.* Quæ propoſitio ab Innocentio XI. damnata fuit. (*Comp. Th. t.* 2. §. 780. *Schol.* 2.) Hæretici hi ex dictis ſufficienter refutantur. *Hæreſes.*

Schol. 2. Ex probationibus allatis patet. 1. Quod oratio ſit neceſſaria *neceſſitate medii*, quia Deus hoc medium ad ſalutem æque, ac fidem, ſpem, charitatem, merita, & auxilia gratiæ ſtatuit, quæ utpote maxime neceſſaria ſæpe non habentur, imo nec ſperari poſſunt ſine interpoſita oratione. 2. Oratio *Oratio eſt de neceſſitate medii, & præcepti.*

 tio

tio eſt etiam neceſſaria *neceſſitate præcepti* divini, & naturalis, vel potius connaturalis naturæ elevatæ: quod enim eſt neceſſarium neceſſitate medi respectu adultorum, nequit non eſſe præceptum Deo pro omni ſtatu, licet hoc præceptum, ſicu alia præcepta naturalia, in lege gratiæ clarius ex primatur. 3. Hoc præceptum obligat per ſe e virtute Religionis, licet per accidens etiam vi cha ritatis, & aliarum virtutum obligare poſſit. 4. Hc præceptum obligat in ſtatu gratiæ ad orationem ſupernaturalem, nec ſufficit ea, quæ in ſolo lum ne, & motivo naturali fundatur, qualem Semipe lagiani admittebant. 5. Obligatio hujus præcep quoad gravitatem ex noſtra neceſſitate, & honor Dei deſumenda eſt.

§. 34.

Oratio frequens eſſe debet.

Non ſolum autem neceſſaria eſt oratio omn Chriſtiano, ſed etiam ad *frequenter orandum* ol ligatur. *Primo* ex S. Scriptura Eccli. 18. v. 2 *Non impediaris, orare ſemper.* Luc. 18. v. *Oportet ſemper orare, & non deficere.* 1. Theſſa 5. v. 16. *Sine intermiſſione orate.* Coloſſ. 4. v. *Orationi inſtate vigilantes in ea.* Quos textu non quidem de continua ſine intermiſſione, se frequenti oratione interpretes explicant. (*Comp Th. t.* 2. §. 784.) *Secundo.* Idipſum cum ali Patribus docet S. Chryſoſtomus *hom. de Moy* dicens: *Oportet,* inquit, *ſemper orare, & non d ficere. Dum oportet,* dicit, *neceſſitatem induci neceſſitas autem tanta vi ſtringitur, ut quod nece eſt, etſi nolis, præterire non poſſis.* Id quod a exemplo neceſſitatis manducandi, bibendi, veſtiendi probat. S. Auguſtinus *l. de hære c.* 57. Ly *ſemper* in citatis textibus ita expo nit: *Quod ſaniſſime ſic intelligitur, ut null*

d

ſae intermittantur certa tempora orandi. *Tertio.* Patet ex ratione ex parte noſtri petita: quia enim continuo egemus Deo, ad vitam corporis, & animæ habendam, & reſtituendam, & ad utriuſque bona vel acquirenda, vel augenda; egemus continua protectione, beneficentia, & adjutorio Dei, ut continua evadamus pericula, & inimicorum machinamenta. Quod cum ſine oratione a Deo ſperare non liceat, utpote, qui nonniſi ſub conditione, ſi oremus, hoc nobis promiſit, ſequitur, frequenter orandum eſſe juxta illud Luc. 21. v. 36. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia &c.* Unde merito monet S. Zoſimus in ep. ad Epiſc. *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? in omnibus igitur actibus, cauſiſque, cogitationibus, motibus, adjutor, & protector orandus eſt: ſuperbum eſt enim, ut quidquam ſibi humana natura præſumat.* Plura dabit Rodericius *p.* 1. *exerc. perf. tr.* 5. *c.* 2. *Quarto.* Probatur ex ratione a parte Dei deſumpta; quia nimirum oratio eſt actus Religionis, per quam recognoſcitur ſuprema Dei Majeſtas, a qua dependemus tanquam a cauſa prima, ultimo fine, conſervatore, ſanctificatore, & glorificatore noſtro: ergo hanc dependentiam multiplicem per frequentem orationem conteſtari debemus, *pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo*, uti ait Apoſtolus *Col.* 3. v. 17.

Schol. 1. *Meſſaliani*, vel *Pſalliani*, ſive *Euchitæ*, *Hæreſis*. male abutentes textibus S. Scripturæ pro frequenti oratione allatis, docebant, nunquam omnino ab oratione ceſſandum eſſe, indeque prohibebant labora-

borare, & alia bona opera facere: qui ex dictis facile refutantur.

Quo tempore oratio obliget. Schol. 2. Theologi aſſignant aliquos caſus, in quibus præceptum orationis determinate obligat. Tales ſunt. 1. Pro primo inſtanti uſus rationis. 2. Tempore audiendæ Miſſæ. 3. In adminiſtratione, & receptione Sacramentorum. 4. In articulo, vel evidenti periculo mortis. 5. In gravi neceſſitate propria, præſertim ſpirituali, uti in gravi tentatione, pro qua vincenda opus eſt auxilio gratiæ 6. In gravi neceſſitate proximi. Verum licet Theologi ejusmodi caſus pro determinata obligatione aſſignent, non tamen ideo negant, imo ſupponunt obligationem indeterminatam, quæ orationem diu differre non patiatur, ſed quæ ita frequentetur, ut prudenter cenſeatur ſufficere ad obtinenda a Deo auxilia, quibus vita hominis ſemper chriſtiane inſtituatur. Imo ſæpe contingit, quod quis ſimul ex amore ſui, & proximi orare teneatur: quod tamen non obſtat, quominus etiam Religio ad hoc obliget, quia charitas ex ſuo motivo formali, & Religio etiam ex ſuo concurrere poſſunt: unde, ſi quis a tali obligatione deficiat, contra utramque virtutem peccabit.

§. 35.

Perfecte orandum eſt. Ut autem vitam chriſtianam, maxime perfectam, inſtituamus, & obtineamus, frequens noſtra oratio non *tepide*, ſed magis, ac magis *perfecte* frequentanda eſt. Probatur *primo*; quia niſi frequenti, & perfectæ orationi inſiſtamus, perfecto exercitio virtutum, ſeu perfectioni chriſtianæ inſiſtere non poſſumus, nam *Eccli.* 18. *v.* 22. poſt citata verba: *Non impediaris orare ſemper,* ſubditur: *& ne verearis usque ad mortem juſtificari: quoniam merces Dei manet in æternum.* „ Quaſi dicat, ait Cornelius a Lapide, multa „ ſolent

„ ſolent orationis impedimenta occurrere; hæc „ omnia amove, quoad potes, ut vaces crebro, & aſſidue orationi". Unde Alvarez de Paz *t.* 3. *de vit. ſpirit. l.* 1. *p.* 1. *c.* 12. comparat orationem: „Manui animæ, ſeu rationi, „ quæ velut manus, ſeu inſtrumentum univerſale, ad rectificandas ſuas operationes „ quaſi ars eſt artium: & manui corporis, qua „ anima ſeipſam armat, & ornat, qua viriliter „ laborat, & quidquid ſibi neceſſarium eſt, „ optime comprehendit". *Secundo.* Ex PP. ſufficiat S. Chryſoſtomus *l.* 1. *de oran. Deum* dicens: *Cæterum precatio ceu radix, & baſis omnibus cæteris ſubſternitur: neque ſecus ac navem, & domum ea, quæ ſubſtrata ſunt, validam reddunt, ac ne ſolvatur, continent: ita noſtram vitam orandi ſtudium continet, & ubique firmam reddit, adeo, ut abſque hoc, nihil nobis boni poſſit contingere, neque quod ad ſalutem conducat.* *Tertio.* Oratio imperfecta eſt ſignum manifeſtum tepiditatis, & hoc pro primo aſſignat Roſignolius *l.* 2. *chriſt. perſ. c.* 19. „ Orare ſine attentione, & fervore „ ſpiritus" imo *maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter*, vel juxta LXX. *negligenter.* Jer. 48. 10. *Quarto.* Chriſtus non promiſit dare petenti, & pulſanti utcunque, ſed ſi perſeveraverit pulſans, id eſt, pie, fervide, perſeveranter: ergo magis, & magis fervide, & perfecte, pro majori, & majori gratia, & pro maximo perſeverantiæ dono orandum eſt, quia neſcimus, pro qua menſura orationis Deus nos exaudire decreverit.

Corollar. Omnes igitur Chriſtiani, ut Chriſtiani, & maxime perfecti ſint, vitam ſuam, in quantum fieri poteſt, *Adhortatio ad orationem.*

poteſt, in oratione tranſigant. „ Nemo enim „ ait Card. Bona *in princ. vit. Chriſt. c. 44.* Chri„ ſtiani nomine dignus eſt, niſi ſaltem bis in die „ maxime cum ſurgit, & veſpere, antequam cu„ bitum eat, mentem ad Deum elevet, & aliqu„ ſpatio temporis ferventer oret, ut tantumder „ diei reficiendæ animæ tribuatur, quantum cor„ pori nutriendo impenditur". Profecto ipſa vita humana, & continua ejus miſeria, & neceſſitas & ingenita cordibus noſtris creatoris noſtri idea & eum colendi obligatio, frequentem, ſi non aſſiduam, orationem a nobis extorquere deberet Ah! ardent in domo corporis noſtri continuæ vitiorum flammæ, militia perpetua eſt vita noſtr ſuper terram, nec tamen in domo hac conflagrante, in ferventi hoc prælio orationis clamorem ad Deum tollimus, ejusque opem depoſcimus: ſequamur monitum S. Baſilii hom. 5. de S. Julitta *Accumbens menſæ, ora: eſitans panem, largitori gratiam rependito: ſuffulciens, firmansque infirma corporis vires vino, ejus fac memineris, qui hoc t dono impertivit, ad inferendam cordi tuo lætitiam & ad multiplicium infirmitatum non mediocre ſolamen Nulla tibi eſt ſumendi cibi neceſſitas? cave, te prætereat ejus memoria, cujus liberali beneficio ventrem expleſti. Tunicam indueris? gratias agito benigno datori. Amiciris pallio? fac in te augeſcat interior erga Deum charitas.* Et S. Chryſoſtomi l. de oran. Deum, *Oportet ſingulis horis unam precationem offerre Deo, ut orandi curſus diei curſum æquet.* Mille certe titulis ad frequentem orationem invitamur; ſive enim Deum in cœlis contemplemur, promptus eſt, ut miſeris nobis ſuam audientiam præſtet: ſive eum ubique, atque adeo in medio noſtri conſideremus, nihil nos excuſabit, ſi cum eo per orationem converſari recuſemus: Deum Chriſtum, vel ad dextram Patris, vel in SS. Euchariſtia ſpectemus, ubique Advocatum habemus apud Patrem, qui interpellat pro nobis: quid ergo ſupereſt, quod vos retardet, ne nos miſeri continuo ejus miſericordiam imploremus?

§. 36.

§. 36.

Explicata jam nunc neceſſitate, & obligatione orationis, videndum eſt, *quis orari* poſſit. Et *primo* quidem, ſi loquamur de oratione alicui facta, *quaſi per ipſum implenda*, uti loquitur S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 4. *Soli Deo orationem porrigimus.* Nam omnis noſtra oratio ordinari debet ad *gratiam*, & *gloriam*, quam ſolus Deus dare poteſt. *Pſ.* 83. Quippe ſolus Deus eſt ſupremus Dominus, nec eſt alius in cœlo, & in terra, qui ab alio, quam a Deo aliquid boni habere poſſit. *Quis orandus ſit.*

Schol. Oratio poteſt dirigi ad Deum vel ut unum, vel ut trinum, vel ad hanc, illamve perſonam divinam, dummodo ſumatur non excluſive, ſed præciſive: ita enim fert praxis Eccleſiæ, in ea ratione fundata, quod, licet Deus nihil ad extra operetur per unam, & non per alias perſonas, in ſingulis tamen aliquod motivum reperitur, ut per appropriationem, vel ex perfectione relativa nonnullæ proprietates abſolutæ tribus perſonis communes ſpeciali quadam ratione certis perſonis præciſive ab aliis accomodentur: v. g. potentia Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui ſancto. (*Comp. Th. t.* 1. §. 169. *Sch.* 1.) *Quomodo oratio ad Deum dirigenda ſit.*

§. 37.

Nihilominus etiam bonum, & utile eſt *Sanctos* in cœlo *orare*, & *invocare*, non ut per eos Deus petitiones noſtras cognoſcat, ſed ut eorum precibus, & meritis orationes noſtræ effectum ſortiantur. Dogma hoc fidei probatum eſt in Comp. Th. (*t.* 2. §. 782.) *Sancti etiam invocari poſſunt.*

Schol. 1. Eccleſia quidem ſolum deſinivit, utile, & bonum eſſe, Sanctos invocare, non vero eſſe ad ſalu- *An invocatio Sanctorum ſit*

de præcepto. ſalutem neceſſarium declaravit. Interim tam ſubinde nonnullæ circumſtantiæ occurrere poſſu ubi vel præceptum, eos invocandi, urgere, m rito timere poſſumus, vel independenter a præc pto, quod Joſephus a Spir. S., *t.* 2. *d.* 5. *q.* 3. a mittit, & probat, ad Sanctos, maxime beatiſſim Virginem, invocandos obligemur; ex eo, qu Deus juxta ſuam ordinatiſſimam providenti quædam nobis, niſi exoratus a ſuis Sanctis, da nolit: imo bene notat Bellarminus *l.* 1. *c.* 20. *ad* „ Quod ad mandatum attinet, nullum certe ma „ datum requiritur, quando ipſa neceſſitas n „ impellit". Illud tamen certum eſt, quod hoc vel præcepto, vel conſilio, invocandi Sa ctos, nullus in via ſub prætextu adeptæ perf ctionis excipiatur, uti delirabant illuminati, quo rum 39. propoſitio: *Poteſt eſſe tam perfectus, quo non egeat Sanctorum interceſſione, neque invocation* damnata eſt ab Inquiſitione generali Hiſpaniæ, refutatur a citato Joſepho a Spir. S. *q.* 4. Cer S. Paulus preces a vivis ſuis in Chriſto filiis poſtu lavit: hi vero, quaſi S. Paulo perfectiores, nec cœlitibus quidquam precari dignabantur.

Quinam Sancti orari poſſint. *Schol.* 2. Oratione publica, & authentica, vel no mine Eccleſiæ, ſolum licet orare, vel in gener omnes Sanctos in cœlo, & Angelos, uti fit in Li taniis, & feſtis omnium Angelorum, & Sancto rum: vel in individuo illos duntaxat, quibus E cleſia publicum cultum per beatificationem, v canonizationem conceſſit. Oratione autem pri ta poſſumus orare illos, de quibus prudenter, multum probabiliter opinamur, eos eſſe in cœ Sancte etiam S. Franciſcus Xaverius ſe comm dabat animabus infantium a ſe aqua Baptiſmat & mortis compendio recta in cœlum transmiſ rum, utpote de quorum æterna beatitudine ta eſt certitudo, qua nulla major poſt illam de San ab Eccleſia canonizatis habetur. Denique q etiam SS. Henoch, & Elias invocari poſſint, p

bat conſenſus Eccleſiæ, quæ RR. PP. Carmelitis feſtum, Miſſam, & officium de S. Elia indulſit.

Schol. 3. Etiam juſti adhuc viventes orari poſſunt, ut pro nobis orent: quia hoc fluit ex articulo fidei de communione Sanctorum, & hoc ſæpe fecit S. Paulus, fidelium preces pro ſe poſtulans, & Deus ipſe *Job ult. v.* 8. ad amicos hujus ſancti viri dixit: *Ite ad ſervum meum Job ... Job autem ſervus meus orabit pro vobis.* *An juſti vivi orari poſſint.*

Schol. 4. Animæ etiam in purgatorio orari poſſunt, ut pro nobis Deum rogent, præſertim: quia pie credi poteſt, has animas ob mutuæ charitatis obſequium pro illis orare, qui pro illis orant, uti oſtenſum fuit. (*Comp. Th. t.* 2. §. 782. *Schol.* 2.) Unde bene monet P. Suarez *l.* 1. *de orat. c.* 10. *n.* 28. „Si quis ad illas oret, pie credens, audiri ab ipſis, „nihil peccabit: quia operatur ex pia credulitate, „& affectione, & nulli periculo ſe exponit; quia „licet fortaſſe non ita ſit, neque animæ illæ hu„jusmodi orationes percipiant, nihilominus ora„tio ejus in ſinum ejus convertetur. Et fortaſſe „etiam verum eſt, animas illas, ſaltem cum bea„tæ fuerint, cognoſcere orationes omnes toto „illo tempore ad eas fuſas, & eis moveri, ad in„tercedendum in patria pro oratoribus ſuis. Qua„propter qui in hoc modo orandi fructum & de„votionem ſenſerit, non videtur ab illo revocan„dus; quanquam per ſe loquendo non videatur „neceſſarius: quia devotio ad animas purgatorii „magis oſtenditur ſuffragando illis per opera ſa„tisfactoria, & orando pro illis; hoc enim ſatis „eſt, ut ipſæ moveantur, ad orandum pro nobis, „quando, & quomodo potuerint juxta divinam „ordinationem". *An animæ purgatorii orari poſſint.*

Corollar. Igitur poſt Deum Sanctos invocemus, & inprimis ad beatiſſimam Virginem Mariam Deiparam ardentibus, & aſſiduis precibus recurramus, ut preces noſtræ apud Deum efficaciores reddantur: quam gratum enim Deo ſit, per Mariam no- *Adhortatio ad invocationem B. V. Mariæ, & aliorum*

bis

Sanctorum.

bis benefacere, & quam gratum ſit Mariæ, nobis per Chriſtum benefacere, ex Evangelio videmus. Sic enim *Luc.* 1. *v.* 39. voluit Chriſtus S. Joannem adhuc in utero ſanctificare, ad eum per Mariam delatus. *Luc.* 2. *v.* 16. Voluit recens natus a paſtoribus recognoſci, teſte, & præſente Maria *Matth.* 2. *v.* 11. voluit infans a Magis adorari in gremio Mariæ. *Ibid. v.* 21. Voluit ire in Ægyptum, idololatriæ ruinam incepturus, ſed duce & comite Maria. *Joan.* 2. *v.* 3. Primum miraculum converſionis aquæ in vinum patravit ad preces Mariæ. *Joan.* 19. *v.* 17. In morte ſua dedi nobis in perſona S. Joannis Mariam in matrem *Act.* 1. *v.* 14. Diſceſſurus ad Patrem voluit diſcipulis ſuis mittere Spiritum S., ſed orantibus cum Maria. Ergo & in patria potiori titulo, ubi Chriſtus noſter eſt Advocatus apud Patrem, volet habere Advocatam noſtram apud ſe Mariam, & quemadmodum ille pro nobis oſtendit Patri ſui vulnera, ſic illa pro nobis Filio exhibebit ſua ubera. P. Suarez *t.* 2. *ſect.* 3. probat ex ſenſu Eccleſiæ, beatiſſimæ Virginis interceſſionem præ omnibus eſſe utilem, & neceſſariam, eamque a nobis præ omnibus orandam eſſe. Demonſtrant hoc tot Eccleſiæ orationes ad Deiparam; uti illa ſalutationi Angelicæ adjecta: *Sancta Maria, Mater Dei* &c. *Sancta Maria ſuccurre miſeris*, & multæ aliæ. Subſcribunt Patres, ex quorum innumeris teſtimoniis pauca audire libet. S. Ambroſius *prec.* 2 *præp. ad Miſſam* ait: *Ut efficax ſit mea hæc deprecatio, B. Virginis ſuffragio peto: quam tanti meriti eſſe feciſti, ut prima inter mulieres novum munus offerret, & nulla præter ipſam tam novum acciperet.* S. Germanus Conſtantinop. *ſerm. de zona Virg.* ait: *Nemo eſt, cui donum concedatur, niſi per t*[e]. S. Bernardus *ſerm. de Nativ. Mar.* monet: *Mariam veneremur: quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Optime proinde concludit Catechiſmus Rom. *de orat.* „ Ergo nos „ exules filiæ Evæ, qui hanc lacrymarum valle

„ incolimus, aſſidue miſericordiæ Matrem, & fi-
„ delis populi Advocatam invocare debemus; ut
„ oret pro nobis peccatoribus, ab eaque hac pre-
„ ce opem, & auxilium implorare, cujus & præ-
„ ſtantiſſima merita apud Deum eſſe, & ſummam
„ voluntatem, juvandi humanum genus, nemo
„ niſi impie, & nefarie dubitare poteſt". Poſt Deum vero, & Deiparam etiam ad reliquos Sanctos per invocationem, vel ab Eccleſia præſcriptam, vel devotionem peculiarem recurramus, qui, ut ait citatus Catechiſmus *in* 1. *præcept.* „ Et perpetuo
„ Deum intuentur, & patrocinium ſalutis noſtræ
„ ſibi delatum libentiſſime ſuſcipiunt". Et quidem uti monet Gerſon *tr. de orat. p.* 1. ad eos Sanctos confugiamus peculiariter, qui ob majorem excellentiam, uti S. Joannes Baptiſta, S. Joſephus, S. Michael, Principes Apoſtolorum: vel ob majorem nobiscum affinitatem, uti S. Angelus cuſtos, Patronus nominis, Patriarcha ordinis: vel pro aliqua ſpeciali gratia voce miraculorum, vel aliter a Deo ceu ſpeciales Patroni deſtinati ſunt. Nec ſuperflua nobis videatur invocatio Sanctorum maxime inferiorum reſpectu ſuperiorum, ut enim ait S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 2. ad 8. *Oportet non ſolum ſuperiores, ſed etiam inferiores Sanctos implorare: alioquin eſſet ſolius Dei miſericordia imploranda. Contingit enim quandoque, quod imploratio inferioris Sancti efficacior eſt; vel quia devotius imploratur, vel quia Deus vult ejus ſanctitatem declarare.* Nec videatur nobis deeſſe ſpes ad orandum requiſita, quæ utpote virtus Theologica erga Sanctos eſſe nequit: nam hæc ſpes erga Sanctos ſumitur ſolum reſpective ad Deum, ita, ut per Sanctos velut inſtrumenta, & amicos Dei ſperemus a Deo primario, & ſecundario a ſanctis gratias, qua ratione etiam Pater, & ave aliæque Dei, aut Deiparæ propriæ orationes ad Sanctos, & per ſanctos diriguntur: vel ſi ſumatur ſpes abſolute, quatenus Sancti ex dono Dei ſunt amici ſui, & ad adjuvandum potentes, nobis ſuis precibus gratias obtinen-

do: tunc hæc eſt virtus moralis ſupernaturali ſpei, vel fiduciæ, ad magnanimitatem, vel forti tudinem pertinentis. Ita optime rem cum S. Tho ma 2. 2. *q.* 17. *a.* 4. explicant Theologi.

§. 38.

Conditiones requiſitæ ad orationem infallibiliter efficacem. Prima: pro ſe quis petat.

Omnes igitur homines viatores non ſolui debent, (§. 33. 34.) ſed etiam utiliter orar poſſunt, licet aliqui ſint impii, & peccatore: (*Comp. Th. t.* 2. §. 383.) Item pro omnibu hominibus, juſtis, & injuſtis, amicis, & ini micis, fidelibus, & infidelibus orandum eſt non tamen pro beatis, nec pro damnatis. (*Ibid* §. 387.) Ut autem oratio noſtra ſit efficax & vi divinæ promiſſionis infallibiliter petita ob tineat, quatuor ad eam conditiones requirun tur. Harum *prima* eſt, ut quis *pro ſe* petat Ita colligitur ex Joan. 16. *Dabit vobis:* ut enin hic *tr.* 102. ponderat S. Auguſtinus: *Exau diuntur quippe omnes Sancti pro ſeipſis, non au tem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, ve inimicis ſuis, vel quibuslibet aliis: quia non utcun que dictum eſt, dabit, ſed dabitur vobis.* Ratio nem dat S. Thomas 2. 2. q. 83. ad 2. *Contingi enim quandoque, quod oratio pro alio facta no impetrat, etiamſi fiat pie, & perſeveranter, & d pertinentibus ad ſalutem, propter impedimentum quod eſt ex parte ejus, pro quo oratur.* Allegat que textum Jer. 15. v. 1. *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad popu lum iſtum.* Et ſimilis textus eſt 1. *Reg.* 16. *v.* 1 de Samuele reſpectu Saulis.

Solvuntur objectiones.

Schol. Toletus *in c.* 16. *Joan. annot.* 30. & Suarez *l.* *de orat. c.* 17. dictam conditionem non omnino n ceſſ

ceſſariam eſſe putant, quia alii textus *Matth.* 7. *v.* 7. *Luc.* 11. *v.* 8. & *Joan.* 14. *v.* 13. loquuntur ſine reſtrictione, & ipſum Ly *vobis* non eſt reſtrictio ad ipſum petentem, quia dum pro alio etiam oramus, nobis orantibus datur, & donatur, quod pro illo petimus; unde David pro filio ſuo orans 2. *Reg.* 12. *v.* 22. ait: *Quis ſcit, ſi forte donet eum mihi Dominus, & vivat infans?* Deinde 1. *Joan.* 5. *v.* 13. dicitur ſine exceptione, quod audiet nos Filius Dei, quodcunque petierimus ſecundum *voluntatem ejus:* voluntas autem ejus eſt, ut etiam pro aliis oremus: & *v.* 15. expreſſe dicitur: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem.* Si autem dicatur, non poſſe eſſe regulam generalem, quia forte alii non ſunt diſpoſiti, videtur idem poſſe reponi ad quemlibet reſpectu ſui. Verum hæc omnia conciliari poſſunt, cum communi noſtra ſententia, dicendo; ex indiſpoſitione quidem orationem tam pro ſe, quam pro alio reddi fallibilem, ſed cum diſcrimine a S. Thoma notato, quod nimirum reſpectu ſui, ſi tres aliæ circumſtantiæ ab orante ſerventur, orans ex gratia ſit bene diſpoſitus: ſed hæ circumſtantiæ non ſufficient, ut orans faciat, quod alius diſponatur. Nec eſt ad rem caſus de Davide, qui oravit pro re non neceſſaria ad ſalutem: & merito *Jac.* 5. jubetur: *Orate pro invicem, ut ſalvemini*, quia tunc oratio infallibiliter exauditur, ſi tam hic, quam ille cum debitis circumſtantiis orent: nec erit inutile, ſi orans pro ſe poſtulet orationes alterius, hoc enim ſpectat ad circumſtantiam pietatis ad orationem requiſitæ, & plurimum ad obtinendum valet.

§. 39.

Secunda conditio eſt, petere neceſſaria ad ſalutem.

Secunda conditio, ſeu circumſtantia ad orationem infallibiliter efficacem requiſita eſt, ut quis *neceſſaria ad ſalutem* petat. Matth. 6. v. 33. *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, &*

& hæc omnia adjicientur vobis. Et Joan. 16 v. 23. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Ubi S. Auguſtinus *tr.* 37. ait: *Quodcunque petimus adverſus utilitatem ſalutis, non petimus in nomine Salvatoris . . . Quapropter quando volumus, ut faciat, quodcunque petimus non utcunque, ſed in nomine ejus, hoc eſt in nomine Salvatoris petamus: non ergo contra noſtram ſalutem petamus.* Unde etiam S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *a.* 5. docet, ea, quibus beatitudinem meremur, abſolute, & ſine conditione petenda eſſe; tum quia ſunt determinate bona, quibus male uti non poſſumus: tum quia ſunt *ſecundum voluntatem Dei,* adeoque *faciet nobis.* 1. Joan. 5. v. 13.

Hæreſis Illuminatorum.

Schol. 1. Illuminati negant, aliquid a Deo in particulari petendum eſſe, cum neſciamus, quid nobis expediat, nam *Rom.* 8. dicitur: *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.* Verum hoc ſolum intelligitur, ſæpe, ſed non ſemper ita eſſe, maxime cum ex fide, vel inſtinctu interiori ab ipſo Deo docemur, juxta id, quod citato loco ſubditur: *ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis.* Hoc idem docemur ex oratione Dominica, Pſalterio, & praxi Eccleſiæ.

Quæ nomine neceſſariorum ad ſalutem intelligantur.

Schol. 2. Nomine neceſſariorum ad ſalutem a Deo petendorum non ſolum ſtricte neceſſaria, ſed etiam utilia intelliguntur, quia etiam ſunt ſecundum voluntatem Dei. Unde 1. peti debent bona ſpiritualia, quæ ſpectant, ad gratias gratum facientes vel ad ſanctitatem, & ſubſtantialem perfectionem. Gratiæ vero gratis datæ, quæ ſpectant ad accidentalem perfectionem, & ſanctitatem, uti viſiones, revelationes, vix deſiderandæ, nedum nisi ad ſummum in nonnullis circumſtantiis ſub conditione petendæ ſunt. 2. Bona ſpiritualia ad perfectionem ſubſtantialem ſpectantia indefinite quidem

& quanta, aut qualia juxta menſuram auxiliorum a divina providentia nobis determinatam ad magis, magisque proficiendum deſideranda, & petenda ſunt: ſed petere, & deſiderare amorem Dei, & perfectionem, qualis eſt in anima Jeſu Chriſti, in V. Deipara, & in omnibus Angelis, & Sanctis, eſſet præſumptio temeraria, ſi efficaciter, abſolute affective fiat: & ad ſummum admitti poteſt aliquod ſimplex deſiderium conditionatum, per modum complacentiæ, ſimilisve petitionis per *utinam*, aut aliquid ejusmodi, *utinam poſſem! o ſi mihi datum eſſet.* 3. Petenda eſt gratia tum ſufficiens, tum efficax, quia utraque ad ſalutem eſt neceſſaria. 4. Nomine neceſſariorum ad ſalutem veniunt etiam bona temporalia, non tamen omnino abſolute, ſed quatenus conducunt ad ſalutem, & ſub hac tacita, vel expreſſa conditione, ſic enim petuntur *ſecundum voluntatem* Dei. Unde in oratione Dominica petimus: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie:* & ipſa Eccleſia in Litaniis, & aliis precibus ejusmodi per Dominum Jeſum Chriſtum rogat. Illius tamen oratio foret graviter illicita, qui ejusmodi temporalia quantumvis illicité, & in damnum ſalutis ſuæ acquirenda peteret, quo caſu non tantum ratione mali deſiderii, ſed & orationis, qua Deus in malum imploratur, peccaret. Item de temporalibus ſuperfluis, etiam ex fine benefaciendi, vix licite fieri poteſt oratio, niſi ſub expreſſa conditione, ſi cedat ad animæ ſalutem, ob grave periculum abuſus eorum. Pro vita vero, ſanitate, ſcientia, fama bona, victu, & ſubſidiis ſtatui ſuo neceſſariis ex bono fide licite oratur, ſufficitque conditio implicita in ea animi præparatione, ad illa potius amittenda, quam Deum offendendum: petere autem aliquid a Deo ob ſolam utilitatem, aut delectationem non licet; quia talis res in individuo indifferens non foret, ſed mala. 5. Nomine neceſſariorum ad ſalutem veniunt etiam mala temporalia pœnæ, uti morbi, infamia, perſecutiones, mors, quæ ſibi petere multum condu-

cere poteſt ad ſalutem, licet in ſolis perfectis, a Deo motis, tutius ſit addere, niſi aliud ma beneplacitum, & gloria Dei exigat: omnium tem optima erit oratio, hæc omnia petere reſpe ve, potius ſcilicet, quam quod permittatur lap in peccatum. Eadem mala peti a Deo poſſunt, aliis inferantur ex bono zelo correctionis, ſeu ni communis; unde a ſolis perfectis nulla perv ſa paſſione turbatis, & ſolum ſub conditione, aliter reſipiſcant, aut Deus aliter eorum, vel c muni bono provideat, hæc oratio imprecatoria ri debet.

§. 40.

Tertia conditio eſt pie petere.

Tertia Circumſtantia, & conditio ad o tionem infallibiliter efficacem requiſita eſt, quis *pie* petat, id eſt *primo ex fide* juxta text S. Scripturæ Matth. 21. v. 22. *omnia quæcunq petieritis in oratione, credentes, accipietis.* Qu idem habetur, *Marc.* 11. *v.* 24. & uterq Evangeliſta præmittit, quod ſi fides ſine hæ tatione fuerit, *quodcunque dixerit, fiat, fiet* etiamſi dixerit monti, *tollere, & mittere in m re.* Unde Jac. 1. v. 6. dicitur: *Poſtulet aut in fide, nihil hæſitans.* Et quidem cum fides initium ſalutis, & oratio efficax conferat ad ſ lutem, & ut ſit efficax, debeat eſſe de conf rentibus ad ſalutem, patet quod in fide fund ri debeat; cui accedit, quod orans ſaltem fide de promiſſione Dei, ejusque omnipotentia, miſericordia habere debeat, juxta illud, Matt 9. v. 28. *Creditis, quia hoc poſſum facere vob* Hinc S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *a.* 15. *ad* 3. co cludit: *Dicendum, quod oratio innititur principa ter fidei . . . quantum ad efficaciam impetrandi.*

Secundo. Oratio efficax pia *ex ſpe* procedere debet. 1. Joan. 5. v. 13. *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum: quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos.* Hebr. 4. v. 16. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Ubi notat S. Thomas quod fiducia in orando acuatur, ſi penſemus nos non accedere ad thronum juſtitiæ ſummi Regis in futuro, quando judicabit; ſed ad thronum gratiæ in præſenti, quando miſeretur.

Tertio. Oratio efficax aliquo modo *charitatem* requirit, quia varii S. Scripturæ textus ad orationem efficacem bonam conſcientiam, eſſe in charitate, aut non eſſe peccatorem exigunt: 1. Joan. 3. v. 21. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus.* Joan. 15. v. 17. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis.* Pſ. 65. v. 18. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Item vid. *Iſ.* 1. 15. qualis autem charitas requiratur, mox *Sch.* 3. dicetur.

Explicatur, quomodo fides ad orationem requiratur.

Schol. 1. Ut infidelium oratio ſit efficax, poſſunt, & debent illi petere donum fidei perfectæ, excitati fide imperfecta, & diſpoſitive tali; imo oratio eorum erit imperfecta, ſi comparetur cum oratione fidelium: hi enim fundantur in promiſſione Dei jam per ipſos credita, & pro ipſis facta: illi vero fundantur tantum in miſericordia, & omnipotentia Dei lumine rationis adjuto auxiliis, & gratiis diſponentibus ad fidem cognita: ſi tamen infideles modo, quo poſſunt, & orent, & diſponantur, infalli-

fallibiliter fidem obtinebunt, ſi non infallibilitat credita propria fidelium, ſaltem infallibilitate mi ſericorditer per Deum exercita, qui facienti, quo eſt in ſe, non denegat ſuam gratiam. Item fidele non fundantur in promiſſione omnino abſoluta, ſine ſpeciali revelatione non ſunt certi certitudi fidei de obtentione rei, quam petunt; ſed dubita vel ratione materiæ, an Deo placeat, vel ratio propriæ ſuæ diſpoſitionis. Quippe fideles tantu ſunt fide certi, quod a Deo non rejiciatur orati ſi res petita ad æternam ſalutem conducat, & i eam, prout oportet, petant; id quod ad proc dendum ad ſpem requiritur, ad quam magis pr prie illa dubitatio ſpectat.

Qualis ſpes ad orationem requiratur.

Schol. 2. Certitudini fidei ex parte intellectus in or tione accedere debet certitudo ſpei, aut fiduciæ e parte voluntatis; qua quis incitatur, ad potius ſi perſuadendum attenta promiſſione, & miſericord Dei, ſe exaudiendum, prout expedierit, qua attenta ſua indignitate repellendum. Non tame ideo excludi debet timor, ne forte ob propriam i diſpoſitionem non exaudiatur oratio, qui timor b ne temperatus ſpem non evacuat, ſed acuit, indiſpoſitionem per humilitatem ſupplet, quæ a efficaciam orationis multum confert, juxta illud Pſ. 101. v. 18. *Reſpexit in orationem humiliu*. Hinc ad ſpem efficacis orationis ſufficit judicium d eo, quod Deus poſſit miſereri, & forte miſerebitu Joan. 3. v. 9. *Quis ſcit, ſi convertatur.* Augetu etiam ſubinde ſpes vel ex ſpeciali divino inſtinct ad petenda, & facienda miracula, vel ex propri meritis, & teſtimonio bonæ conſcientiæ, ubi t men cavendum, ne ſpes in præſumptionem abea ſi meritis noſtris, quaſi ex nobis, & non princip liter liberalitati Dei innitatur.

Qualis charitas requiratur.

Schol. 3. Charitas ad efficacem orationem ſaltem d ſpoſitiva per auxilia gratiæ, & deſiderium juſtif cationis requiritur, quæ etiam ad peccatores e tenditur: ut enim ait S. Thomas ad Joan. 9. *De*

m

non exaudit peccatores in peccatis perſiſtentes; exaudivit tamen peccatores de peccatis pœnitentes, qui magis ſunt computandi in numero pœnitentium, quam peccatorum. Hinc ſequitur 1. quod juſti præ injuſtis habeant non ſolum majorem vim impetrandi, ſed & ſimul impetrandi, & merendi, quod meritum charitatem perfectam ſupponit. 2. Peccatores, dum ex prava intentione, vel aliter in ipſa oratione peccant, non poſſunt aliquid impetrare, ſi vero juſtus ita oraret, eoipſo non oraret ut juſtus, vel in eo fieret peccator. 3. Quando Deus peccatori concedit, quæ ille temere petit, uti divitias &c. quæ ei in malum cedunt, is non exorat Dei miſericordiam, ſed vindictam. 4. Omnes denique peccatores non ſunt prohibendi, ſed potius admonendi ad frequentes, in ſeipſis non vitiatas, orationes, quia licet in obſtinatis, conſuetudinariis, & ad pœnitendum incuriis non proficiant ex infallibili Dei promiſſione, ex pura tamen ejus miſericordia adhuc prodeſſe forte poterunt.

§. 41.

Quarta conditio eſt perſeverantia.

Quarta conditio, & circumſtantia ad efficacem orationem requiſita eſt, ut quis oret *perſeveranter;* uti patet tum a parabola amici petentis ab amico panes, de quo Chriſtus dicit Luc. 11. v. 8. *quod ſi perſeveraverit pulſans*, eos ſaltem ob importunitatem obtineat: tum ex parabola viduæ petentis a judice juſtitiam, quam ille tribuit, ut ſe a continuis precibus viduæ liberaret: ex qua Chriſtus infert, Luc. 18. v. 1. *oportet ſemper orare, & non deficere.* Item monet Apoſtolus Col. 4. v. 2. *orationi inſtate.* Et omnes Patres: S. Baſil. *in* 261. *reg. brev.* S. Chryſ. *hom.* 30. *in Gen.* S. Auguſtinus *tr.* 102. *in Joan.* cum quibus concludit S. Thomas. 2. 2. q. 83. a. 15. ad 2. *Quod tamen po-*

teſt impediri, ſi in petendo non perſeveret. Rationes vero, cur Deus preces noſtras non ſtatim exaudiat, & poſtulata concedere differat, ſol quidem illi notæ ſunt, varias tamen S. Augustinus, & S. Chryſoſtomus aſſignant: vel qui orans pro nunc necdum eſt diſpoſitus, erit autem poſtea, ſe interim diſponendo, ut utilius accipiat: vel ut res poſtulata pluris æſtimetu & ardentius deſideretur: vel ut potius fide quam experientia ducamur: vel ut oratio ſemper, humiliter, devote, & fervide inſiſtamus, agnoſcendo gratiam eſſe, non debitum quod ex pura miſericordia ſperatur, promiſſione quidem divina ſpem noſtram de obtinend ſerius, aut citius erigente; in deciſione ver menſuræ tam qualitatis, quam durationis i orando ignaviam, tepiditatem, & præſumptionem excutiente.

Quomodo perſeverandum. *Schol.* Igitur in oratione pro bonis temporalibus voluntati Dei cum ſubmiſſione conformare nos debmus, quando ex nullo effectu videmus, eſſe voluntatem Dei, quod petimus; vel gratitudinis no obliviſcamur, quando poſtulata obtinemus. Quando vero ſpiritualia petimus, aut tentationes a nobis averti rogamus, nec ſtatim optatum effectu orationis ſentimus, perſeverandum eſt in orando ut vel tandem in præmium perſeverantiæ tentio tollatur, vel ſi non ceſſet, nobis meritum victoriæ augeatur: imo licet per totam vitam ejumodi poſtulata, uti tranquillitas conſcientiæ, devotio ſenſibilis, paſſionum edomatio differantu non eſt animo deſpondendum, cum ſæpe in ho mortis, & ſemper poſt mortem vota noſtra abundantiſſime impleantur. Denique etiam pro perſeverantia finali in gratia obtinenda per totam vita orare debemus; licet enim initium orationis ſit

ſol

ſolo Deo, perſeverantia tamen in orando per, orationem, & per hanc perſeverantiam in ſpecie perſeverantia in omni genere obtinetur.

§. 42.

De oratione in genere hucusque actum fuit, nunc ad varias orationis ſpecies progredimur, quarum potiſſimæ ſunt oratio vocalis, & mentalis. Igitur *oratio vocalis* eſt ſermocinatio animæ cum Deo circa negotium ſalutis, & perfectionis, vocibus, vel aliis ſignis, uti ſcriptura, nutibus, lachrymis, tunſione pectoris, elevatione oculorum, aut manuum, & ſimilibus, voces ſupplentibus, expreſſa. Quæ proinde vel oratio laudis, vel gratiarum actionis, vel petitionis eſſe poteſt. (§. 32. *Sch.* 1.) *Oratio vocalis, quid*

Schol. Oratio vocalis dividitur 1. in *publicam*, ſeu communem, & in *privatam*, ſeu ſingularem, & utraque, majoris claritatis gratia, ſubdividitur in per ſe, & per accidens talem. *Publica per ſe* talis eſt, quæ per miniſtros Eccleſiæ in perſona totius fidelis populi Deo offertur: ad quam proinde requiritur, ut fiat a miniſtro Eccleſiæ ad orandum deputato, qui hac intentione oret, ut expleat munus ſuum, & oret nomine Eccleſiæ, modo ab ea præſcripto; quod etiam in cubiculo, & ſubmiſſa voce fieri poteſt; quia locus, & vox ad hoc nil confert. *Privata per ſe* talis eſt, quæ offertur a ſingulari perſona cujuscunque ſive pro ſe, ſive pro aliis orantis, etſi etiam in templo, vel platea, & alta voce fiat, imo etſi quis recitet horas canonicas, ſi hoc ex privata devotione faciat. 2. Oratio publica *per accidens* in ſenſu vulgari, & ratione loci dicitur, quæ fit in loco publico, & ab omnibus communiter: *privata per accidens* fit a ſingulis, vel paucis in loco privato. 3. Oratio vocalis alia eſt, quæ fit juxta verba, & formam antecedenter præ- *Diviſio orationis vocalis.*

 ſcriptam.

ſcriptam, ut eam recitando affectus moveatur, qualiter ſit oratio publica per ſe talis in Liturgia, horis canonicis, in quibus Eccleſia miniſtris ſuis formam precandi præſcribit: alia eſt, quæ incipit per affectum, & erumpit in verba ſine forma communiter præſcripta, quales ſunt orationes privatæ. Ad utramque etiam ſpectant orationes *vocales jaculatoriæ*, ſeu breves, crebræ, & fervidæ orationes in cœlum, velut ignita jacula, emiſſæ, quæ ſerviunt, tam ut ignem excitent, quam ut igne jam excitato in flammam erumpant.

§. 43.

Oratio vocalis utilis eſt.

Oratio *vocalis utilis eſt* ad vitam chriſtianam, eaque ſaltem juvari debemus, ad eam maxime cum perfectione chriſtiana agendam. Probatur *primo* ex S. Scriptura Pſ. 50. v. 17. *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Pſ. 141. v. 2. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus ſum.* Et multoties alibi Pſalmiſta ad clamandum, canendum, & pſallendum nos hortatur. Item Apoſtolus 1. Cor. 14. *Cum convenitis, unusquisque veſtrum Pſalmum habet &c. omnia ad ædificationem fiant.* Imo Chriſtus ipſe ſæpe vocaliter oravit. Joan. 12. v. 28. *Pater clarifica nomen meum*, ſicut & *c.* 17. *v.* 1. Et *Matth.* 26. *v.* 30. oravit *hymno dicto*, & *v.* 44. in horto ſemel, ſecundo, & tertio *eundem ſermonem dicens.* Et vocaliter orare docuit *Matth.* 6. *v.* 9. *Luc.* 11. *v.* 2. per orationem *Pater noſter. Secundo.* Accedit praxis Eccleſiæ publicas vocales preces miniſtris ſuis præſcribentis, & præcipientis in Miſſa, horis canonicis &c. ſicut etiam oratio Dominica ab omnibus fidelibus diſcenda in Conc. Rhem. II.

c. 2. & in Conſt. Apoſt. ter quolibet die ab omnibus dicenda jubetur *l.* 7. *c.* 24. *Tertio.* Ita docent PP. S. Auguſtinus ait ep. ad Probam c. 11. *Nobis ergo verba neceſſaria ſunt, quibus commoneamur, & inſpiciamus, quid petamus, non quibus Dominum ſeu docendum, ſeu flectendum eſſe credamus.* S. Cyprianus de orat. Dom. *Agnoſcat Pater Filii ſui verba, cum precem facimus: qui habitat intus in pectore, ipſe ſit & in voce. Quarto.* Rationes affert S. Thomas 2. 2. *q.* 83. *a.* 12. *in* ⊙ „ *Primo* quidem ad excitan- „ dam interiorem devotionem, qua mens oran- „ tis elevetur in Deum: quia per exteriora „ ſigna ſive vocum, ſive etiam aliquorum fa- „ ctorum movetur mens hominis ſecundum „ apprehenſionem, & per conſequens ſecun- „ dum affectionem. *Secundo.* Adjungitur vo- „ calis oratio quaſi ad redditionem debiti, ut „ ſcilicet homo Deo ſerviat ſecundum illud to- „ tum, quod ex Deo habet, id eſt, non ſolum „ mente, ſed etiam corpore, quod præcipue „ competit orationi, ſecundum quod eſt ſatis- „ factoria. *Tertio.* Adjungitur vocalis oratio „ ex quadam redundantia ab anima in corpus, „ ex vehementi affectione". Addit S. Bonaventura *in Breviloq. p.* 5. *c.* 10. „ Dominus „ voluit nos non tantum orare mentaliter, ve- „ rum etiam vocaliter ad noſtri affectus exci- „ tationem per verba, & ad recollectionem co- „ gitationum per ſenſum verborum". Denique qui non aſſueſcit orare vocaliter, vix aſſueſcet orare mentaliter, quod difficilius eſt, vel ſaltem in meditatione citius tepeſcet; unde non ſolum incipientibus, ſed & proficien-

tibus, & perfectis oratio vocalis utiliſſima eſt.

Hæreſes refutantur.

Schol. 1. Bogomiles, & Inſabbatati ex factione Waldenſium ſolam orationem Dominicam, ut licitam admittebant. Calvinus etiam frequentem repetitionem orationis Dominicæ irridet. Illuminati cum Molinos orationem vocalem rejiciunt, dum cum illo *prop.* 34. damnata docent: *Deo gratias agere lingua, & verbis non eſt animarum internarum, quarum eſt in ſilentio ſe tenere, non præbentes Deo impedimentum, quominus in iis operetur: & quanto amplius ſe Deo reſignant, tanto magis experiuntur impotentiam dicendi: Pater noſter.* Verum hi ex dictis refutantur, & rationes eorum facile ſolvuntur: dum enim I. dicunt, fruſtra Deo, quem nihil latet, nos ſenſa noſtra per orationem, & verba aperire. *Reſpondet* S. Thomas cit. art. 12. ad 1. *Vocalis oratio non profertur ad hoc, quod aliquod ignotum Deo manifeſtetur, ſed ad hoc, quod mens orantis, vel aliorum excitetur ad Deum.* II. Non obſtat Deum *in ſpiritu, & veritate* adorandum eſſe *Joan.* 4. *v.* 24. *Reſpondeo* enim orationem externam utique cum ſpiritu interno conjungendam eſſe juxta illud 1. Cor. 14. v. 15. *Pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* III. Dicunt, abſurdum eſſe cantu, & alta voce orare, ita ut illud nobis exprobrari poſſit, 3. Reg. 18. v. 27. *Clamate voce majore: Deus enim eſt, & forſan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. Reſp.* cum S. Thoma, quod cantus, & alta vox, præterquam quod affectum in cantante magis moveat, etiam audientes ad devotionem excitet: certe non clamamus ſicuti Ethnici, de quibus textus citatus loquitur, ut Deum, quaſi inſcium, moveamus, ſed ut moveamus nos, cum illo cœco, *Luc.* 18. *v.* 39. clamantes, *miſerere mei.* IV. Chriſtus non aliam orationem niſi Dominicam *Matth.* 6. præſcripſit. *Reſp.* Hanc orationem Dominus non inſtituit, ut his verbis ſolis in orando utere-

utéremur, ſed quia ad hæc ſola impetranda oratio noſtra tendere debet: unde etiam alios orandi modos, maxime in Pſalmis, S. Scriptura affert. V. Saltem orandi prolixitas, & repetitio iisdem verbis inepta videtur, & contra præceptum Chriſti Matth. 6. v. 7. *Orantes autem nolite multum loqui ſicut Ethnici.* *Reſp.* Prolixitas, & repetitio verborum ad nos movendos juvat, ſi interiori precationi conjungatur: creſcit quippe affectus, ſi cum citato coeco iterato multo magis clamemus.

Schol. 2. Quæritur an detur præceptum privatæ orationis vocalis. P. Suarez reſpondet,* in rigore ſcholæ vix reperiri præceptum, ſive jure naturæ, ſive divino, ſive Eccleſiaſtico ad determinate vocaliter, ſive in genere, vel ſpecie orandum; addit tamen, orationem vocalem omitti non poſſe ſine magna negligentia ſalutis animæ, & de oratione Dominica cenſet, eum, qui eam non recitaret, ſatis oſtendere, quod non recte vivat. Hinc probabilior eſt ſententia Laurææ *opuſ.* 1. *de orat.* c. 7. reſolventis: „ Exiſtimo ex traditione Eccleſiæ præceptum hoc orandi vocaliter cuilibet chriſtiano capaci impoſitum eſſe “. Additque: imo dictamen hoc a Deo, & a natura a Deo condita, cum commune ſit, provenire: ſiquidem vix chriſtianum, quin nec Machometanum reperies, qui aliquoties vocaliter non oret Deum, vel laudando, vel gratias agendo, vel bonum aliquod ab eo petendo. Accedit quod Chriſtus *Luc.* 11. dicat: *Cum oratis, dicite: Pater noſter.* Denique rationes, & argumenta pro utilitate orationis vocalis (§. 43.) allata, ejus etiam neceſſitatem, & præceptum divinum, & quaſi naturale probant.

An detur præceptum orandi vocaliter.

§. 44.

Ut autem oratio vocalis ad vitam chriſtianam perfectam juvet, & utilis ſit, debet eſſe attenta, ſeu cordis ſimul, & oris. Ita docet

Oratio attenta eſſe debet.

primo

primo S. Scriptura Pſ. 118. v. 145. *Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine.* Matth. 15 v. 8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Joan. 4. v. 24. *Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare.* 1. Cor. 14. v. 14. *Si orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt . . . Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Secundo* Subſcribunt PP. S. Cyprianus *de orat. Dom.* ait: *Claudatur adverſario pectus, & ſoli Deo pateat, cum ad orationem ſtamus. Cogitatio omnis carnalis, & ſæcularis abſcedat, nec quidquam tunc animus, quam id ſolum cogitet, quod precatur, quam quod Deo loquatur.* S. Chryſoſtomus hom. 30. in Gen. *Nos vero toti nitamur ut non ſolum verba, ſed mens verborum comes Deum accedant: nam ſi lingua quidem proferat verba, mens autem foris ſit, ſua tractans negotia, & imaginans, quæ in foro agantur, nulla nobis utilitas eſt, fortaſſis autem & major condemnatio.* Et S. Auguſtinus in Pſ. 118. conc. 29. *Clamorem ad Dominum, qui fit ab orantibus, ſi ſonitu corporalis vocis fiat, non intento in Dominum corde, quis dubitet inaniter fieri? Tertio.* Ratio eſt, quia oratio eſt elevatio mentis in Deum, quæ ſine attentione eſſe nequit. Unde etiam in Concilio Lateranenſi III. *c. dolentes.* de celebr. Miſſ. præcipitur in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter, & diurnum ſtudioſe, quantum ad officium oris, & devote, quantum ad officium cordis, celebretur. Et Tridentinum *ſeſſ.* 22. *in decr. de celebr. Miſſ.* jubet, ut fideles Miſſæ *mente etiam,*

&

& devoto cordis affectu, non ſolum corpore interſint.

Qualis attentio requiratur.

Schol. Qualis intentio, & attentio tum ad audiendam Miſſam, tum ad recitandas horas canonicas, ut præcepto Eccleſiaſtico ſatisfiat requiratur, dictum eſt: (*Comp. Th. t.* 3. §. 1034. *cum Coroll. &* §. 1187. *cum Sch. & Coroll.*) ſtudioſi chriſtianæ perfectionis de hac attentione ſequentia notare poſſunt. 1. Oratio etiam vocalis ſive voluntaria ſit, ſive præcepta, ſi fiat cum diſtractione voluntaria, eſt juxta omnes ſaltem venialiter turpis, & infructuoſa, quod ſufficit, ut a perfectione chriſtiana & ſecuritate ſalutis multum deficiamus. 2. Cum oratio etiam vocalis ſæpe ſit jure divino, & naturali præcepta: (§. 43. *Sch.* 2.) & prout conferens ad ſalutem debeat eſſe efficax, & fructuoſa, *patet,* quod tunc ſaltem ſub gravi non debeat eſſe voluntarie diſtracta; quod idem dicendum, ſi oratio vocalis ſit ab Eccleſia præcepta, quando cum nulla plane attentione interna peragitur. 3. Licet non deturpentur actus orandi formaliter diſtractione, ſed concomitanter, partim interius orando, partim per inutilia vagando, nequit tamen non eſſe moraliter irreverentia venialiter indecens, cum oratio non fiat ex toto, ſed dimidiato corde, atque ex hac parte infructuoſa.

§. 45.

Orationis vocalis tempus.

Ad attentam vero, & fructuoſam orationem multum juvant externæ circumſtantiæ temporis, loci, & compoſitionis corporis. Et *primo* quidem licet *omni tempore* orare poſſimus, pro oratione tamen vocali non omne ita opportunum eſt: unde exceptis miniſtris Eccleſiæ, quibus pro orandis horis canonicis certa tempora determinavit Eccleſia, unusquisque ſibi pro privata oratione ſecundum conſilium directoris

ctoris ſui certa tempora orationis vocalis deter minare poterit, prout ad continuandam eleva tionem mentis ad Deum cum fervore pruden ter judicaverit: ſic quippe implebit illud. Pſ. 33, 1 *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper lau ejus in ore meo. Id eſt*, uti exponit S. Thomas i *omni ſtatuto tempore*. Et illud 1. Theſſal. 5. v. 16 *Sine intermiſſione orate*. Id eſt juxta S. Augu ſtinum *ep.* 121. *c.* 9. non ſolum per vitæ æter næ deſiderium mentem ad Deum elevantes maxime per preces jaculatorias, *ſed & certis hor ad negotium orandi mentem revocantes*, nam ut notat S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 4. in ☉ *Orati tantum duret, quantum eſt utile ad excitandum in terioris deſiderii fervorem: cum vero hanc menſu ram excedit, ita quod ſine tædio durare non poſſi non eſt ulterius protendenda.*

Quodnam tempus orationi congruat.

Schol. Ut temporis opportunitas pro oratione voca magis innoteſcat, notandum eſt, 1. cum Ludov a Ponte *in duce ſpir. tr.* 1. *c.* 19. quod dum ſpecia lis Dei inſpiratio ad orandum movet, illud ſit tem pus, ſive diu ſit, ſive noctu: ſi tamen inſpirati ſit ad orandum vocaliter, alta voce, locus ſecre tus quærendus foret. 2. Quando præſens neceſ ſitas ad orandum cogit, uti in periculis corporis vel animæ, illud tempus orationi dandum eſt 3. Quando ex obligatione voti, præcepti, vel obe dientiæ tempus pro oratione vocali deſignatur, ob ſervandum eſt. 4. Non ſolum Eccleſiaſtici, ſe etiam quilibet alii quotidie ſuas ad Deum prece fundant, maxime mane, meridie, & veſpere: & S. Bonaventura *in reg. Novit. c.* 2. commendat ora tiones vocales quotidie certo numero faciendas & nonniſi ex manifeſta neceſſitate, vel infirmita te omittendas. 5. Idem S. Bonaventura *l.* 2. *de prof. Relig. c.* 60. Vult, ut quando verba fiunt

ex

ex proprio affectu formata, frequenter quidem, ſed breviter eliciantur, ne tædium creent. 6. Suarez *l.* 3. *de orat. c.* 7. notat, quod orationes vocales non oporteat nimium multiplicare, tum ne tædium afferant, & nimis celeriter deproperentur; tum ne tempus meditationi ſubtrahant, ubi potius abrumpendæ, differendæ, vel etiam omittendæ forent. Obſervat tamen cavendum eſſe; ne ſub prætextu vitandi tædii acedia ſe occultet, quæ a certo numero precum vocalium prudenter deſinito deficere nos faciat, quo in caſu contra tædium pugnare, & in bono propoſito perſeverare oportet: uti monet S. Catharina Senenſis *in Dial. c.* 65.

§. 46.

Secunda circumſtantia devotæ orationis eſt *Orationis locus.* locus, qui quidem ubique eſſe poteſt, ſi tamen ejus electio eſt libera, ille præferendus eſt, qui magis attentionem conciliet, uti præcipue templum, aut privatum oratorium, aut cubiculum ſecretum. Sic quippe in S. Scriptura modo dicitur in omni loco orandum eſſe. Pſ. 102. v. 22. *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino.* 1. Tim. 2. v. 8. *Volo viros orare in omni loco . . . ſimiliter & mulieres.* Et Chriſtus ipſe *Joan.* 4. *v.* 19. docuit Samaritanam, in lege gratiæ Deum in omni loco adorandum fore. Modo templum aſſignatur, 2. *Paral.* 6. *v.* 19. ubi ad hoc Salomon templum ædificaſſe dicitur, ut Deus ibi exaudiret preces populi ſui: & *Matth.* 21. *v.* 13. Chriſtus confirmat illud, quod de templo ſcriptum erat: *Domus mea domus orationis vocabitur.* Modo locus ſecretus deſignatur. Matth. 6. v. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum.* Quod idem commendant Patres. S. Auguſtinus in

in *cit. Pſ.* 102. ait: *Ergo in omni loco: ibi no benedicatur, ubi non dominatur: in omni loco do minationis ejus.* Templum vero, vel locum ſe cretum commendat, *l.* 2. *ad Simplic.* illud 1 Reg. 5. v. 18. *Sedit ante Dominum*, ita expo nens: *ſive propter arcam teſtamenti, ſive propte ſecretum locum ſemotum ab arbitris, ſive propte intimum cordis, ubi erat orantis affectus.* Idem docet S. Chryſoſtomus *hom.* 79. *ad popul.* E rationes pro templo affert S. Thomas 2. 2. *q.* 8 *a.* 3. *ad* 2. „ 1. Quidem propter loci conſecra „ tionem, ex qua ſpiritualem devotionem con „ cipiunt orantes, ut magis exaudiantur. (3 „ *Reg.* 8.) 2. Propter ſacra myſteria, & ali „ ſanctitatis ſigna, quæ ibi continentur. 3. Pro „ pter concurſum multorum adorantium, e „ quo fit oratio magis exaudibilis". *Matth.* 1

Quomodo locus orationis obſervandus.

Schol. Merito præcepit Eccleſia, ut SS. Miſſæ ſacri ficium, & horæ canonicæ in templo celebrentu Qui autem ad horas in choro recitandas non t nentur, & qui easdem, vel alias preces, ſeu e obligatione, ſeu devotione orant, locum eum el gant, qui devotionem conciliet, & a diſtractioni bus magis remotus ſit, qualis aliis eſt Eccleſia aliis oratorium privatum, aliis cubiculum, ali hortus &c. Quando vero locus electioni non ſu eſt, in quocunque loco preces, ſed attente, devote, perſolvantur: & maxime, quando qu ad orandum ex profeſſo ſe non accingit, ſed ſuis aliis functionibus aliquam mentis elevatione continuare cupit, in quocunque demum loco pr cipue per preces jaculatorias orare poterit.

§. 47.

Orantis compoſitio externa.

Tertia circumſtantia devotæ orationis eſt ce tus modus in *voce, geſtu,* & *habitu corporis,* q

gen

generaliter non eſt omnibus præſcriptus, nec præceptus, ſed ſolum miniſtris Eccleſiæ in Miſſæ ſacrificio, & choro celebrando, ideoque quando eſt voluntarius, ille præferendus eſt, qui devotionem magis accendat, ſive alta voce, vel cantu, ſive ſecreta, ſive flexis genibus, ſive ſtando, ſive expanſis, ſive junctis, aut plicatis manibus, ſive tundendo pectus, aut faciem, ſive clauſis, aut demiſſis oculis, aut etiam elevatis, ſive cubando, ſive proſtrata in terram facie, ſive deambulando, ſive ſedendo fiat. Sic docet S. Auguſtinus l. 1. de cur. pro mort. c. 5. *Orantes de membris ſui corporis faciunt, quod ſupplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam proſternuntur ſolo.* Et *l.* 2. *ad Simplic. c.* 4. oſtendit, non eſſe præſcriptum, quomodo corpus ad orandum componendum ſit, dummodo animus cum Deo verſetur; David enim, & Elias ſedendo, Publicanus ſtando, & rurſus David cubando orarunt. Rationem dat S. Thomas 2. 2. *q.* 84. *a.* 2. *in* ☉ „Quia exterior adoratio fit propter interiorem, ut videlicet per „ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibe„mus, excitetur noſter affectus ad ſubjiciendum ſe Deo: quia connaturale eſt nobis, ut „per ſenſibilia ad intelligibilia procedamus. Et *ad* 2. „Sicut genuflectimus, noſtram in„firmitatem deſignantes in comparatione ad „Deum: proſternimus autem nos, quaſi pro„fitentes nos nihil eſſe ex nobis“.

Schol. 1. Generatim loquendo potior modus quoad externam corporis compoſitionem eſt orare genibus flexis, quando ſine magno incommodo ſuſtineri po- *Qualis modus obſervandus.*

poteſt: ſed generalior regula eſt, ut modus nec valde incommodus, neo delicioſus: ideoque mu toties expedit, nunc genuflectere, nunc ſtar nunc modeſte ſedere, vel deambulare. 2. A geſ bus inuſitatioribus, v. g. expandendo manus, h mi ſe proſternendo, in loco publico abſtinend eſt, ſed hæc, & ſimilia in loco privato exerc poſſunt. 3. In loco publico, & communi cura dum eſt, ne modus orandi ſit juſto altior, q aſtantibus diſtractionem creet. 4. Non eſt vit perandus, qui juxta veterem conſuetudinem rationes a S. Thoma *l. c. ad* 3. allatas oraret verſ orientem: ſed nec ſcrupulus injiciendus eſt, ſi contrariam deſuetudinem id non curetur. 5. Ca remoniæ ſacræ ad modum externum orandi decer ter inſtitutæ exacte obſervandæ ſunt: illud tame curandum, ut non ibi ſiſtat noſtra intentio, qu principaliter in ſpiritum, quo hæc fiant, deb tendere.

Adhortatio ad bene perſolvendas horas canonicas.

Corollar. 1. Ex hucusque dictis colligant miniſtri Ec cleſiæ, quanta perfectione in perſolvendis hor Canonicis tam intra, quam extra chorum oratio vocali vacare debeant. Sunt miniſtri Dei ad hc officium magna ex parte, vel unice deſtinati; a hunc finem nomine Eccleſiæ deſtinantur, & no exiguis fidelium impenſis ſuſtentantur, ut quo cæteri non ita exacte præſtare poſſunt, illi ſalten ex officio nomine omnium continuo divinæ Maje ſtati perſolvant; Dei laudes celebrent, & prece multiplicent, quæ quaſi omnium ore fuſæ ad mal avertenda, & bona tum ſibi, tum cuncto popul Dei procuranda, potentiores fiant. Sunt Legati & Nuntii ab Eccleſia ad Deum in negotio ſumm momenti miſſi; ſtudeant proinde ſuam hanc lega tionem perfecte obire: tempus, locum, & modur præſcriptum, vel opportunum accurate obſervent verba ita cantent, aut recitent, ut devotionem & reverentiam ſpirent: agant, quod agunt, ne ad aliena mentem convertant. Cogitent, ſibi a Chriſto præcipi, quod Ezechias veteris legis mi-

ni

niſtris inculcavit. 2. Paral. 29. v. 11. *Filii mei nolite negligere: vos elegit Dominus, ut ſtetis coram eo, & miniſtretis ei, colatisque eum, & cremetis ei incenſum.* Sit proinde cultus hic externus eorum gravis, & decens, qui tamen cultu interno animetur per incenſationem laudum, & precum, quæ accenſo cordis igne adoleantur. Caveant præterea, ne eorum in orando ſegnitie inviſibiliter accidat, quod Moyſi, & populo ſuo viſibiliter evenit, *Exod.* 17. *v.* 11. dum enim Moyſes orans pro populo præliante manus elevabat, populus vincebat: ſin vero remittebat manus, populus ab Amalecitis vincebatur. Ex quo infert S. Hieronymus in c. *ſi quis.* d. 36. *Oret ergo Sacerdos Eccleſiæ indeſinenter, ut vincat populus, qui ſub ipſo eſt hoſtes inviſibiles Amalecitas, qui ſunt dæmones impugnantes eos, qui pie volunt vivere in Chriſto.* Quippe uti ait S. Bonaventura in ſpec. diſcipl. p. 1. c. 16. *Cura officii diligens, maxima ſtatus clericalis integritas eſt, neglectus vero officii, maxima vitæ corruptio, & maxima Religionis deformitas.* Pſallant Deo ſapienter *Pſ.* 46. & in conſpectu Angelorum, *Pſ.* 137. 2. & uti monet S. Auguſtinus in Pſ. 30. conc. 3. *Si orat Pſalmus, orate; ſi gemit, gemite; & ſi gratulatur, gaudete; & ſi ſperat, ſperate; & ſi timet, timete; omnia enim, quæ hic conſcripta ſunt, ſpeculum noſtrum ſunt.*

Corollar. 2. Omnes etiam fideles perfectæ orationi vocali ſtudeant, maxime autem per preces ab Eccleſia approbatas; quales ſunt 1. *Oratio Dominica*, utpote quæ eſt omnium præſtantiſſima tum auctoritate, quia ab ipſo Chriſto præſcripta eſt: tum brevitate, quia in compendio docet, quid credendum, ſperandum, amandum, fugiendum, & petendum ſit: tum neceſſitate, quam omnes ex præcepto Eccleſiæ diſcere debent: tum efficacia, quia Deo nihil acceptius eſſe poteſt, quam formula precandi a dilecto Filio ſuo præſcripta. Quam proinde SS. PP. S. Cyprian. *de orat. Dom.* S. Au- *Aliæ orationes vocales commendantur.*

nus V. 2. *de ſerm. Dom. in monte* &c. ſumme de prædicant, & copioſe exponunt. 2. *Symbolu Apoſtolicum*, quod licet de ſe non ſit oratio, i quantum hæc eſt petitio, merito tamen inter or tiones recenſeri poteſt, tum quia eſt elevatio me tis in Deum; tum quia in ea fides exercetur; tu quia ſingula verba ad orandum excitant. Un S. Auguſtinus *ſerm.* 215. *de temp.* monet: *Symb lum, vel orationem Dominicam, & ipſi tenete, filiis veſtris oſtendite: nam neſcio, qua fronte ſe Ch ſtianum dicat, qui paucos verſus in ſymbolo, vel oratione Dominica parare diſſimulat.* 3. *Salutat Angelica* prima ſui parte ex laudibus B. Virgi per Angelum, per Eliſabeth, & per Evangeliſta a Spiritu S. dictatis deſumpta, poſteriori vero pa te ab Eccleſia concinnata, inter Marianas prec regina eſt: de qua Catechiſmus Rom. *de orat.* n ita inſtruit: „Jure S. Dei Eccleſia gratiarum acti „ni preces etiam, & implorationem SS. Dei M „tris adjunxit, qua pie atque ſuppliciter ad e „confugeremus, ut nobis peccatoribus ſua int „ceſſione conciliaret Deum, bonaque tum ad ha „tum ad æternam vitam neceſſaria impetraret. 4. Antiphona *Salve Regina* a B. Hermanno co tracto Benedictino Reichenauenſi circa annum 105 compoſita, poſt ſalutationem Angelicam facta Marianarum precum ſolenniſſima, quam S. Berna dus commendat, & explicat, & in Eccleſia Sp renſi an. 1147. ab Angelis concini audivit, & a didiſſe fertur illa poſtrema verba: o clemens! pia! o dulcis Virgo Maria. 5. *Litaniæ de omni Sanctis* pro etymo ſui nominis ardentem precati nem ſignificant, nihilque non ſanctum, & pi continent, fueruntque non ſolum a tempore S. G gorii M. ſed etiam immemoriali in uſu Eccleſi licet ſucceſſu temporis, variis Sanctis additis, ctæ fuerint, uti notat Card. Bona in *Pſalmod.* c. & in rei confirmationem plura miracula produc Similisque ratio eſt de *Litaniis Lauretanis* prim in ſanctuario Lauretano uſitatis, & deinde

1. C

Clementem VIII. pro tota Eccleſia approbatus. 6. *Officium parvum B. Virginis*, ſeu Curſus Marianus abundat pietate, & dulcedine, ſimul cum ſua brevitate, quæ præſertim latinam linguam callentes ſine prætextu tædii quotidie quaſi per ſingulas horas ad patrocinium Mariæ recurrere docet: juxta cit. Bona c. 12. jam ante ſæculum 8: in uſu fuit, & illud, quod modo habemus, a S. Pio V. pro tota Eccleſia approbatum eſt. 7. Pſalterium Bmæ. Virginis 15. decadibus ſalutationum Angelicarum adinſtar 150. Pſalmorum Davidis, interpoſita per decades oratione Dominica, conſtat, & integrum Roſarium, quia quot orationes, tot Deiparæ ſuave olentes roſas exhibet, dicitur, & ad ſingulas decades ſingula myſteria vitæ, Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti commemorat; quem modum precandi juxta S. Pium V. in Bulla: *Conſueverunt*. S. Dominicus *Spiritu S. ut creditur, afflatus* excogitavit, & eo accepto *cœperunt Chriſti fideles in alios viros repente mutari.* Hoc Roſarium idem in ſubſtantia in varias coronas roſarum Mariæ capiti dicandas pro diverſorum devotione conformatum eſt. De facto vocari cœpit *Corona*, & RR. PP. Minoribus O. S. Franciſci aſcribitur, quæ cum alluſione ad annos vitæ B. Virginis, de quorum numero variant ſententiæ, ſexaginta tria Ave cum ſeptem Pater: vel ſeptuaginta duo, aut tria Ave cum octo Pater recitat. Roſario, & Coronæ variæ indulgentiæ a ſummis Pontificibus conceſſæ ſunt. 8. Quantum ad reliquas orationes vocales attinet, notandum, eas utiliores & ſecuriores eſſe, quæ ſumuntur ex approbatis ab Eccleſia: ex non approbatis vero, nec reprobatis, eæ pro utili uſu ſervire poſſunt, quæ bono, & ſano judicio, piæ, & ſecuræ ſunt; uti quæ ſub nomine SS. Auguſtini, Anſelmi, Bernardi, Thomæ, Bonaventuræ in orariis leguntur; vel ſunt gravium Aſcetarum, Bloſii, Granatenſis, Bonæ &c. Bene tamen invigilandum eſt, præſertim moderno tempore, ut pretioſum a vili rite ſegregetur: plurimi

enim titulo tenus pii libelli ineptiis, aut etiam erroribus ſcatent. Denique præſtat, pauca devote, quam nimis multa indevote orare, quia juxta S. Hieronymum rel. c. *non mediocriter.* de conſecr. d. 5. *Melior eſt quinque Pſalmorum decantatio cum cordis puritate, ac ſerenitate, ac ſpirituali hilaritate, quam totius Pſalterii modulatio cum anxietate cordis, atque triſtitia.*

Adhortatio ad orationes jaculatorias frequentandas.

Corollar. 3. Denique ab omnibus fidelibus *orationes jaculatoriæ* frequenter uſurpandæ ſunt: ſic enim omnes etiam illiterati, & imperfecti ſatis congruenter; perfectiores vero, & doctiores melius implere poterunt, tum illud Chriſti, & Apoſtoli præceptum, ſine intermiſſione, & ſemper orandi: tum illud PP. monitum, mane, veſpere, ad ſingula opera, & ſingulas horas orandi: tum aliud præceptum Chriſti, vigilandi, & orandi, ne intremus in tentationem; & quia neſcimus, qua hora Filius hominis venturus ſit. Erant hæ orationes jaculatoriæ Ægyptiis monachis uſitatiſſimæ, easque præter S. Auguſtinum *ep.* 121. Caſſianum *l.* 2. *Inſt. c.* 10. S. Chryſoſtomum, *hom.* 79. *ad pop.* commendat S. Laurentius Juſtinian. *de inter. conflict. c.* 10. *de ſagittis ſpirit.* dicens: *Sagittæ contra adverſarios hoc loco directæ, ignita ſunt orationis deſideria, & importuna ſupplicationum vota, quæ a Chriſti militibus in cælum corde tacito deſtinantur.* Et S. Franciſcus Saleſius 2. *p. introd. c.* 13. *in fine* ait: „ In hoc exercitio nititur magna fabrica devotionis; ipſum poteſt ſupplere defectum omnium aliarum orationum: defectus vero iſtius non poteſt reparari per aliud medium ... Quapropter hortor te, ut corde toto illud amplectaris, & nunquam in eo deficias “. Collegerunt plena manu ejusmodi aſpirationes, vel jaculatorias preces ad ſingulos ſtatus incipientium, proficientium, & perfectorum, Alvarez de Paz *t.* 3. *de vit. ſpir. l.* 4. *p.* 3. *c.* 10. Card. Bona *in via comp. ad Deum. c.* 11. 12. &c. quæ copia deſervire poteſt, ut ſi non memoria,

moria, ſaltem lectione horum affectuum inſtructus, ſimiles ſibi formare quis addiſcat. Caſſianus *Collat.* 10. c. 9. ex Abbate Iſaac, vel in ſolo illo verſu Pſ. 69. *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina*; præſentiſſimum ſubſidium pro omnibus noſtris indigentiis invenit, ſi jugiter eum in corde, & ore habeamus. S. Chryſoſt. *hom.* 79. *ad pop. ante med.* ſimile quid invenit in ea expreſſione Chananææ Matth. 15. v. 22. *Miſerere mei: filia mea* (ſeu anima mea) *male a dæmonio vexatur.* Idem S. Chryſoſtomus, & S. Bonaventura ejusmodi aſpirationes ad cujuslibet horæ ſonitum commendant, quæ ſalutationi Angelicæ, vim præcipue faciendo in illis verbis: *nunc & in hora mortis noſtræ*, pro cujusvis devotione addi poſſunt.

Corollar. 4. Denique ex omnibus hucusque de oratione vocali dictis colligit Reguera *Th. Myſt. t.* 1. *pag.* 308. præciſam orationem vocalem cum debitis explicatis circumſtantiis factam quibusdam ad altiorem orationem non vocatis poſſe ſufficere ad chriſtiane, quin & perfecte vivendum, maxime ſi quis a Deo ad eam ſpecialiter moveatur, quod ex effectu cognoſci poterit; ſi nimirum in ea affectus magis excitetur; uti enim notat S. Bonaventura in ſpec. diſcipl. p. 1. c. 12. *Ordo & modus, quem Spiritus S. ſuggerit, eſt ſervandus in oratione, & qui affectui magis ſapit.* Et de *profect. Rel. c.* 72. dicit, orationes vocales *incipientibus, & rudibus hominibus magis expedire, ut ſaltem conſuetudo moveat ad orationis ſtudium, ne ſemper vagi ad exteriora, a Deo fiant alieni, & frigidi torpeant, & nunquam aliquo devotionis igne caleſcant.* Imo etiam devotioribus orationes vocales præſcribit, *ut ex bona conſuetudine ruminentur, quando major devotio non habetur.* Quodſi ergo per totam vitam hoc modo devotio inſpiretur, unusquisque cum ſua oratione vocali contentus eſſe debet. Unde S. Thereſia *in via perf. c.* 24. *c.* 25. agens cum illis, qui ad orationem mentalem, & vitandas diſtractiones ne-

Oratio vocalis ſubinde ad perfecte vivendum ſufficit.

nequeunt ſe diſponere, ſuadet, ut conentur ſe patienter Deo præſentare, & c. 25. ait: „ Ne putetis; educi parum profectus orando vocaliter „ cum perfectione: vobis enim dico, eſſe valde poſſibile, quod recitantibus vobis, *Pater noſter*, vel „ aliam orationem vocalem „ Dominus vos exaltet ad perfectam contemplationem “.

§. 48.

Meditatio quid, & an detur.

Altera ſpecies orationis eſt oratio mentalis, ſeu *meditatio*: quæ eſt *exercitium trium animæ potentiarum, memoriæ, intellectus, & voluntatis*, quo mediante homo per memoriam ſibi proponit myſterium aliquod, vel hiſtoriam, vel veritatem ſupernaturalem; per intellectum diſcurrendo illud ſerio, & intime conſiderat, ejusque circumſtantias, objectum, & finem diſcutit, & ponderat; & denique per voluntatem convenientes pios affectus, vitæque emendandæ propoſitum elicit, concluditque per colloquia cum Deo, Bma. Virgine, aut cum Sanctis, poſtulando veniam de peccatis, gratiam ad propoſita opere explenda: laudes, & gratias agendo pro acceptis beneficiis, & terminando oratione vocali, per Pater, Ave &c. Modus hic orandi per meditationem quoad ſubſtantiam licet methodo plus, minusve variata, ab antiquis jamjam obſervatus fuit, cum omnium dogma ſemper fuerit, ultra orationem vocalem proponere omnibus mentalem, diſcurſu acquiſitam, tanquam meliorem, & ſecuriſſimam ad perfectionem. Hanc *primo* præter alia loca inferius citanda, indicat S. Scriptura illis verbis Pſ. 83. v. 6 *Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit* per quæ *beatus vir, cujus eſt auxilium a Domino*

pe

per orationem non verbis, ſed corde. & quidem aſcenſiones in corde ſuo diſponens, non volando ſine diſcurſu, ſed proprio diſcurſu meditando ad beatitudinem aſcendit. *Secundo.* Agnoverunt PP. S. Auguſtinus, vel alius Boetio poſterior *l. de ſpir. & anim. c.* 32. dicens: *Anima, quæ ſpiritu, ac ratione ſe conſpicit, meditatione, atque contemplatione ad Deum aſcendit. Meditatio ſiquidem eſt occultæ veritatis ſtudioſa inveſtigatio.* S. Bernardus, vel alius pius Auctor *de ſcala Clauſtr.* ait: *Meditatio eſt ſtudioſa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis inveſtigans.* Et S. Thomas 2. 2. *q.* 82. *a.* 3. in ☉ ait: *Homo per meditationem concipit, quod ſe tradat divino ſervitio, ad quod quidem inducit duplex conſideratio.* Scilicet bonitatis divinæ, & propriæ ſuæ infirmitatis per diſcurſus intellectus, quibus voluntas ad varios affectus excitatur. Ergo non ſolum actus voluntatis, ſed & actus, & diſcurſus intellectus orationem mentalem, & meditationem eſſentialiter conſtituunt.

Hæreſis Molinos.

Schol. Michael Molinos ſequentes propoſitiones docuit. 18. *Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in ſpiritu, & veritate.* 19. *Qui amat Deum, prout illum ratio argumentando repræſentat, aut intellectus comprehendit, non amat Deum verum.* 20. *Dicere in oratione utendum diſcurſu, & cogitationibus tunc, cum Deus non loquitur animæ, eſt ignorantia. Deus non loquitur unquam, illius loqui eſt operari, ſemperque in anima operatur, dum illa ſuis diſcurſibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.* Hæ propoſitiones ab Innocentio XI. damnatæ fuerunt: ſicuti etiam inter alios

 erro-

errores ab Inquiſitione Hiſpana a. 1623. damnatus eſt ſequens 17. *Quod quivis orans ita ſe colligere in præſentia Dei teneatur, ut nec diſcurrat, nec meditetur.*

§. 49.

Meditatio ad vitam chriſtianam juvat.

Oratio mentalis maxime *juvat*, & *utilis* eſt ad vitam chriſtianam agendam. Probatur *primo* ex S. Scriptura ubi Deus præcepta ſua populo ſuo, & præcipuum præceptum amoris Dei intimans ait Deut. v. v. 7. *Meditaberis in eis.* Et Joſ. 1. v. 8. *Meditaberis in eo diebus, & noctibus, ut cuſtodias, & facias omnia, quæ ſcripta ſunt in eo.* Et de juſto Pſ. 1. v. 2. *In lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte.* In qua praxi S. David aſſiduus fuit, uti ex Pſalmo 118. in pluribus verſibus apparet, inter quos notandus v. 92. *Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc forte periiſſem in humilitate mea.* Eccli. 14. v. 22. *Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in juſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.* Et c. 7. 40. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Iſ. 38. v. 14. *Meditabor ut columba.* Item in novo Teſtamento Luc. 2. v. 19. *B. V. Maria conſervabat omnia verba hæc, conferens,* id eſt contemplans, *in corde ſuo.* Luc. 10. v. 42. *Porro unum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit.* 1. Tim. 4. v. 15. *Hæc meditare, in his eſto, ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.* Et Hebr. 12. v. 3. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem.* Accedunt exempla Apoſtolorum, & Mariæ Matris Jeſu perſeverantium unanimiter in oratione

tione *Act.* 1. *v.* 14. Et ipſius Chriſti Jeſu in oratione detenti. *Luc.* 6. *v.* 12. & 9. *v.* 28. *Matth.* 26. *v.* 36. *Secundo.* Ita docent PP. S. Ambroſius in Pſ. 118. v. 29. *Exerceamur igitur indefeſſo meditationis uſu, exerceamur ante certamen, ut ſimus certamini ſemper parati.* S. Leo ſerm. 8. de jejun. 10. menſis. *Intereſt animæ ... ut a corporeis cupiditatibus libera in aula mentis poſſit divinæ vacare ſapientiæ, ubi omni ſtrepitu terrenarum ſilente curarum in meditationibus ſanctis, & in deliciis lætetur æternis.* S. Auguſtinus in Pſ. 148. *Meditatio præſentis vitæ noſtræ in laude Dei eſſe debet . . . non poteſt fieri, ut habeat mala facta, qui habet bonas cogitationes.* S. Proſper ſerm. 218. de medit. *Meditetur ergo, quæ Dei ſunt fidelis, cum vacat, & bene operandi ſubſtantiam quærat, ne in actione deficiat.* S. Bernardus l. 1. de conſ. c. 7. *Et primum quidem ipſum fontem ſuum, id eſt, mentem, de qua oritur, purificat conſideratio: deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat, & ordinat. Poſtremo divinarum pariter, & humanarum rerum ſcientiam confert.* S. Thereſia in via perf. c. 16. *Meditatio eſt initium acquirendi omnem virtutem, & eſt res, quæ omnium Chriſtianorum vitæ intereſt.* *Tertio.* Subſcribunt Theologi. S. Thomas 2. 2. q. 83. a. 2. ad 2. ait: *Per devotionem charitas nutritur, ſicut & quælibet amicitia conſervatur, & augetur per amicabilium operum exercitium, & meditationem.* S. Bonaventura in ſpecul. diſcipl. c. 12. *Ad orandi ſtudium meditatio provocat, & informat.* Hugo Victor. *de mod. oran. c.* 1. „ Sic „ orationi ſancta meditatio neceſſaria eſt, ut „ om-

„ omnino perfecta oratio eſſe nequeat, ſi eam „ meditatio non comitetur, aut præcedat. S. Antoninus *p.* 4. *ſumm. t.* 10. *c.* 5. „ Nullus „ quantumcunque occupatus in actibus debet „ omittere, quin aliquando vacet contempla„ tioni, id eſt, conſiderationi divinorum. Gerſon *in Myſt. Th. conſ.* 11. „ Dum etiam vocis „ ſtrepitus, aut libri deerit intuitus, ſit ipſa „ meditatio ſilens liber tuus, ſit prædicatio „ alioquin videas, ne ſemper diſcens nunquam „ ad ſapientiam pervenias “. Idem omnes Aſcetæ docent. *Quarto.* Ratio eſt, tum quia ſine meditatione vel præcedente, vel concomitante vix haberi poterit attenta, & devotio oratio vocalis: tum quia ſine meditatione praxis virtutum fidei, ſpei, charitatis, Religionis &c. & fuga vitiorum vix obtinebitur, quod vel ipſa obvia experientia probat; cum enim omnes Chriſtiani eadem fide credant, cur non omnes eadem fide vivunt, ſed tam multi Pagani ſunt moribus, tam pauci fidem ſuam operibus demonſtrant? plane quia fidei veritates nunquam attente meditantur. Cur inter ipſos multum orantes non pauci in legis adimpletione tam facile deficiunt, & occurrente occaſione a paſſionibus in præceps abripiuntur, niſi quia ſeriam meditationem negligunt. Videmus certe inveteratos peccatores per ſolum uſum exercitiorum ſpiritualium S. Ignatii in alios viros transformari, & ſi hanc rerum divinarum meditationem quotidie continuent, in bono feliciter perſeverare, qui ſane eximius meditationis fructus eſt.

An detur præceptum orationis mentalis.

Schol. 1. Diſputant Theologi, an detur ullum præceptum orationis mentalis. Qua in re certum eſt, quod meditatio pro ſalute æterna non ſit ſimpliciter neceſſaria: Chriſtus enim interrogatus, *quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* reſpondit: *ſerva mandata.* Ita cenſent Suarez *t. 2. de Rel. l. 2. c. 4.* Theophilus Raynaudus *t. 15. Heteroclit. ſpir.* & Hurtado *tr. de ver. Martyr. digr. 4. ſect. 2.* qui temeritate notat propoſitionem aſſerentem, neminem ſalvari poſſe, niſi quotidie per aliquod tempus vacet orationi mentali: ſicut etiam error eſt Illuminatorum, *quod oratio mentalis præcepto divino uſque adeo ſit injuncta, ut per eam omnia impleantur.* Nec ullum datur univerſale præceptum orationis mentalis; ſed divino, & naturali præcepto orandi Deum ſatisfit per orationem mentalem, aut vocalem, exceptis tamen iis, qui ſpeciali voto, vel inſtituto ad mentalem obligantur. Neceſſaria tamen poteſt eſſe ſecundum quid, ut loquuntur Theologi ad obtinendam perfectionem, potiſſimum quoad Religioſos, uti fatetur Hurtado. l. c. Nam S. Thomas teſte Caſtillo in hiſt. Ord. Præd. *l. 3. c. 37.* tam zeloſus erat hujus exercitii, ut impoſſibile duceret, ſine meditatione vivere, aut proficere in monaſteriis; dicebatque, Religioſum ſine oratione militem eſſe ſine armis in prælio. Et S. Bonaventura *opuſc. de perf. vit. c. 5.* ait: *Revera Religioſus orationem non frequentans aſſidue, non ſolum eſt miſer, & inutilis: quinimo coram Deo fert animam mortuam in vivo corpore.* Quod idem dicendum de quolibet Eccleſiaſtico: quomodo enim ſine meditatione vitam cœlibem, & cœlitem condigne aget? quomodo officium divinum devote perſolvet? quomodo tremendum Altaris ſacrificium cum debita reverentia offeret? quomodo oves Chriſti ſollicite paſcet, niſi ſpiritu Chriſti per meditationem imbuatur? quomodo Prælatus ſtatui ſuo non ſolum tendentis ad perfectionem, ſed perfecti reſpondebit. Merito ergo præcipit *c. ſi quis. d. 37. Hæc duo ſunt Pontificis opera, ut aut a Deo*

diſcat, legendo ſcripturas divinas, & ſæpius meditando, aut populum doceat. Et juſte dolet Gerſon *Myſt. Th. conſ.* 11. „ Unde proh dolor! tanta ra„ritas contemplantium, etiam apud literatos Ec„cleſiaſticos, ac Religioſos. imo Theologos, nil „quod vix ſuſtinet aliquis ſecum ſolus eſſe, ſe „cum ſolus meditari?

An laici ſæculares ab oratione mentali excuſentur.

Schol. 2. Ex dictis notari poteſt. 1. Quod oratio mentalis ſit magnum quoddam, & univerſale adjumentum ad chriſtiane vivendum, ſine quo quis raro, & difficulter in tuto ponet ſuam perſeverantiam: id quod ſufficit, ut dicatur medium ſecundum quid, vel moraliter neceſſarium. 2. Licet ab hac neceſſitate, orandi mentaliter, excipiantur ii, qui ad eam ſpecialiter non ſunt vocati, maxime laici ſæculares pro communi perfectione chriſtiana ſolliciti, qui revera nonniſi voce orare poſſunt, quibus proinde vocalis oratio poteſt ſufficere, (§. 47. *Coroll.* 4.) & quibus nonniſi prudenter frequens oratio mentalis proponenda eſt: non tamen in illis eſt omnimoda exceptio, qui ſaltem curare debent, vi vocum elevare mentem ad Deum, quod eſt aliqualem orationem mentalem vocali immiſcere; præterquam quod ad contritionem, & S. Communionem, ſine omni reflexione mentis, adeoque meditatione, vix ſe diſponere poſſint. Et certe frivola ſæpe eſt excuſatio eorum, qui dicunt, hoc orationis mentalis negotium literatis, & Religioſis reſervandum eſſe, ſe vero utpote ruſticos, mechanicos, aut fœminas, ab eo omnino eſſe exemptos. Nam cum omnes hi ſint rationis compotes, non poſſunt eſſe orationis mentalis incapaces. Si Chriſtianus credat, animæ ſuæ ſalutem ſuper omnia curandam eſſe, adeoque ſtudendum eſſe, ut omnia à Deo præcepta accurate impleat, ſibique hoc ſerio proponat, & ad hoc gratiam a Deo humiliter poſtulet; bonam orationem mentalem faciet Raciocinantur tam frequenter in negotiis terrenis ſæculares, omnes vias pro lucro tempo-

rali

rali excogitant, cur idem non poſſint facere in rebus ad animæ ſalutem pertinentibus? Da mihi animam ſimplicem, bene affectam erga ſpiritualia, & illa magis, quam temporalia curantem: & illa facile in oratione mentali inſtructa erit. Dolendum ſane, quod Concionatores, Parochi, & Confeſſarii, populum fidelem ſtatim a pueritia in hoc puncto non frequentius inſtruant, lucrarentur animas ad perfectionem chriſtianam in magna copia evolantes. Quippe.

§. 50.

Ad *perfectionem* chriſtianam obtinendam vel maxime juvat *meditatio.* Oſtendit hoc *primo* S. Scriptura Pſ. 34. v. 4. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.* Scilicet ille ignis, de quo Chriſtus *Luc.* 12. *v.* 49. *dixit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur.* Ignis, de quo ſcriptum eſt, Prov. 30. v. 15. *Ignis nunquam dicit, ſufficit.* Qui ergo in via Dei igne charitatis, in qua, & cum qua habetur omnis perfectio, ardere cupit, meditationi magis, magisque ſtudeat. *Secundo.* Patet ex PP. S. Gregorius *l.* 25. *Mor. c.* 7. ait: *Quia mane prima pars diei eſt, poſtpoſitis cogitationibus vitæ præſentis, hoc priori loco quisque fidelium cogitet, ut, quod in ſe jam jamque deficit, quibus valet niſibus, ſtudium charitatis inflammet.* S. Bonaventura de prof. Relig. c. 69. *Tu ergo Dei Sacerdos, id eſt, ſacris deditus, cum per noctem negligentia deprehenderis ignem devotionis in altari cordis tui tepuiſſe, mane, id eſt, apparente prima lucis cognitione, ſubjice ligna orationis, ex diverſis occaſionibus quaſi adjacentibus ſilvis collecta:* quas ſilvas dicit

Meditatio ad perfectionem juvat.

eſſe

eſſe peccata noſtra, negligentias item, virtu
tes, & gratias, quibus indigemus. *Tertio.* Ra
tio eſt 1. quia anima noſtra *vivit in omni verbo
quod procedit de ore Dei.* Matth. 4. v. 4. Id e
a Deo revelato: hoc autem animam non nutri
niſi per meditationem maſticetur, non una
ſed iterata maſticatione, & continua quaſi ru
minatione: ut enim ait S. Gregorius in Can
*Quisquis bona, quæ audit, ſive legit, non recog
tat, vacans ſanctis cogitationibus, neceſſario in
mundas congregat.* 2. Credenda quidem sun
myſteria Dei tam ſpeculativa, quam practica
etſi ſub obſcuro fidei lumine abdita, ut tame
magis magisque proficiant, humiliter ſcrutan
da, & ſedula meditatione evolvenda ſunt, i
quod fideles vulgares ab aſpirantibus ad pe
fectionem, aut jam perfectis diſcriminat, qu
bus dicitur Joan. 5. v. 29. *ſcrutamini ſcriptura*
Et ita faciebant illi, *qui ſuſceperunt verbum cu
omni aviditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas* Ac
17. *v.* 11. Et S. David Pſ. 118. *Mirabili
teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt ea anima mea*
Unde S. Gregorius in Cant. c. 1. *Sunt nonnul
li, qui ita Deum diligunt, ut ſeipſos contemnant
in interiora ſe rapiunt, ut Deum inveniant.* E
*quia Deus in ſuperficie non jacet, meditationib
laborant, ſubtiliſſime cogitationes ſuas examinan
lectionibus vacant, & quomodo Deus inveniatur, om
nibus modis perquirere non ceſſant . . . Qui ejusmo
eſt, deſiderio æſtuat, & quaſi nihil habeat, ſem
majora exoptat.* Omnia hæc complectitur
Bernardus *c.* 7. *de conſideratione*, ſeu meditat
ne dicens: *Hæc eſt, quæ confuſa diſtermin
hiantia cogit, ſparſa colligit, ſecreta rimatur,* v

ſtigat, veriſimilia examinat, ficta, & fucata explorat: Hæc eſt, quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente reſideat aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc eſt, quæ in proſperis adverſa præſentit, in adverſis quaſi non ſentit, quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ eſt. Ibi etiam advertere tibi eſt ſuaviſſimum quemdam concentum, complexumque virtutum. 3. Denique in meditatione homo ad recipiendas gratias actuales, quæ in illuſtratione ſupernaturali intellectus, & ſancta motione ſupernaturali voluntatis conſiſtunt, optime diſponitur, correſpondendo cognitionibus infuſis, per cognitiones elicitas, & affectionibus, per affectus, loquentem Deum audiens, & illi ſuaviter colloquens: ergo per eam ad perfectionem contendendum eſt.

Corollar. Omnes igitur perfectioni ſtudentes meditationi ſtudeant, maxime vero Religioſi, & Eccleſiaſtici, qui ad majorem, quam ſæculares perfectionem tendere tenentur. (§. 21. 23.) Neque ſinant ſe per ſtatus ſui officia ab utiliſſimo hoc exercitio impediri: volentibus tempus vix unquam deerit. Quis ad plura negotia diſtractus erat, quam ſummus Pontifex Eugenius III.? & huic tamen S. Bernardus per totos 4. libros de conſideratione probat, quod ante omnia ſtatis temporibus meditationi vacet, & inter alia *l.* 1. *c.* 4. ait: *Memento proinde, non dico ſemper, non dico ſæpe, ſed vel interdum reddere temetipſum tibi: utere tu quoque tecum inter multos, aut certe poſt multos.* Imo ex ipſis Principibus, ut David, Salomonem, & alios, etiam ævi noſtri, prætertream, quis majori negotiorum mole gravabatur Carolo V. Imperatore, qui tamen ultra horas canonicas perſolutas quotidie mane tres quartas horæ partes genu flexo orabat teſte

Adhortatio ad meditationem pro perfectioni ſtudentibus.

teſte Surio *in Chron. ad an.* 1558. Ex addictis ve
rò ſtudiorum diſtractioni Doctor Angelicus S. Tho
mas, & Seraphicus S. Bonaventura, & tot hodie
dum alii, tempus ſufficientiſſimum pro meditand
inveniebant. „ Quisquis ergo hæc legis, conclu
„ dit Cornelius a Lapide *in c.* 6. *Deut. q.* 4. obte
„ ſtor te per tuam, aliorumque ſalutem, ut idipſu
„ experiaris, & practices præſertim, ſi Theologu
„ ſis, aut Eccleſiaſticus, ac diſcas, & aſſueſca
„ quotidie aliquid meditari de brevitate vitæ, d
„ tua morte, judicio, æternitate, & paſſion
„ Chriſti, aut Sanctorum, indequè efficacia pro
„ poſita concipias, quod illo die, iram, ſuper
„ biam, gulam &c. mortificabis; quod te in hu
„ militate, charitate, patientia &c. exercebis.

§. 51.

Conditiones ad fructuoſam meditationem requiſitæ. 1. *lectio ſpiritualis quotidiana.*

Ut vero oratio mentalis ad vitam chriſtia
nam, & perfectam eo felicius juvet, ſequenti
obſervanda ſunt. *Primo. Præparatio*, quæ ve
remota, vel proxima eſſe poteſt. Remota eſt
lectio ſpiritualis quotidiana libri cujusdam a
profectum ſpiritus conducentis, ſive ſacri, ve
qui ex illo per Patres, & Aſceticos derivatu
Ad hanc lectionem hortatur *primo* S. Scriptur
Apoc. 10. v. 9. *Comede volumen iſtud.* Et 1. Tim
4. v. 13. *Attende lectioni. Secundo.* Suaden
hoc PP. S. Auguſtinus ſerm. 112. de temp. *I*
divinis ſcripturis, quaſi in quodam ſpeculo, hom
ſeipſum conſiderare poteſt, qualis ſit, & quo ten
dat. Lectio aſſidua purificat omnia, timorem in
cutit gehennæ, ad gaudia ſempiterna cor inſtiga
legentis. Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequen
ter debet orare, & legere: nam cum oramus, ip
cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus n
biſcum loquitur. Labor honeſtus eſt lectionis, &

mu

multis ad emundationem animi proficit: ſicut enim ex carnalibus eſcis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur, & paſcitur. Auctor *ſcalæ clauſt. c.* 10. ait: *Lectio, quaſi fundamentum, prima occurrit, & data materia mittit nos ad meditationem.* S. Bonaventura l. 2. de prof. Relig. c. 58. *Lectio talis frequentetur, de qua poſtea non ſit inutile in oratione cogitare.* Et Thomas Kempen. *ſerm.* 13. *ad Novit.* „ Ex ſacra „ lectione trahitur bona meditatio de Deo". *Tertio.* Ratio eſt, quia per quotidianam lectionem memoria repletur ſalutaribus ſpeciebus, ceu cibis in penu, ex quibus in meditatione, congruam partem comeſtioni deſtinando, anima nutritur: imo vero ſubinde lectio ipſa meditationi æquivalere poterit, ſi animam in pios affectus cum firmis propoſitis erumpere faciat.

Praxis utiliter legendi.

Schol. Ut lectio ſpiritualis fructuoſe inſtituatur, ſequentia notanda ſunt, 1. ut fiat tempore debito, certo, & deſignato; vaga enim, & inconſtans parum prodeſt. 2. Ut fiat ex libro bono, & unius cujusque ſtatui privato accomodo, qui ſecundum ordinem ex integro legatur, & ſubinde repetatur; & ut libri ab Eccleſia prohibiti, qui ſub ſpecie pietatis ſæpe graves errores inſtillant, ſollicite evitentur; ſicut & illi, qui curioſitatem potiùs, quam pietatem nutriunt. 3. Ut fiat cum invocatione Spiritus S., cum debita reverentia, & pura intentione, voluntatem Dei faciendi, & cognoſcendi, vitia eradicandi, & virtutes implantandi. 4. Ut ſit quotidiana, quieta, lenta, attenta, non nimis protracta, & non multa, ſed multum legatur. 5. Si in lectione ad punctum perveniatur, quod animum movet, paulisper ſubſiſtendum, & ruminandum erit. 6. Ut in opus, & praxin redigantur ea, quæ lecta ſunt, & una, vel altera ſenten-

tia cum reflexione notetur pro uſu in hac, vel illa circumſtantia, aut tentatione.

§. 52.

2. Præſentia Dei.

Altera remota præparatio ad meditationem eſt frequens exercitium *præſentiæ Dei.* Commendat hoc *primo* S. Scriptura Gen. 17. v. 1 *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Tob. 4. v. 6 *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum* Pſ. 15, 8. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper; quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear. Secundo.* Fructus præclariſſimos hujus exercitii Patres paſſim referunt, quales ſunt fuga peccati, victoria tentationum, elevatio mentis per preces jaculatorias, bona intentio unio cum Deo, quod Aſcetæ communiter notant, & inter eos videri poteſt Rodericius 1. p. *exerc. perf. tr.* 6. *Tertio.* Ratio eſt, quia prout quisque per diem vixerit diſtracte, vel recollecte, talis in meditatione erit; jam vero recollectionem internam vix ſervabimus, niſi per continuum præſentiæ Dei exercitium: ergo hoc optima ad meditationem præparatio erit. Ut enim ait Abbas Iſáac apud Caſſianum, collat. 9. c. 2. *Quidquid ante orationis horam anima noſtra conceperit, neceſſe eſt, ut orantibus nobis per ingeſtionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus.*

Praxis exercitii præſentiæ Dei.

Schol. Exercitium præſentiæ Dei in duobus actibus conſiſtit: uno intellectus, quo credere debemus Deum ubique præſentem eſſe: & altero voluntatis quo voluntas in ardentia deſideria, Deo ſe per amorem perfecte uniendi, & in ſanctas aſpirationes

erum

erumpit, quas jam laudavimus (§. 47. *Coroll.* 3.) & conſuli etiam poteſt Rodericius l. c.

§. 53.

Tertio. Præparatio proxima ad meditationem conſiſtit in eo, ut meditaturus ſe ad locum meditationis tempore ſtatuto conferat, & compoſito ad orationem corporis ſitu, genuflexus, ſtans, vel ſi indigeat, ſedens, ſalutifero crucis ſigno ſe muniat, diſtractas potentias, præſertim phantaſiam, recolligat, & ab omnibus creatis objectis abſtrahat; intellectum ad Deum elevet, eumque ſibi præſentiſſimum eſſe credat: coram eo ſe humiliet, actus ſpei, & charitatis, ac contritionis eliciat, & devotiſſime divinum lumen pro fructuoſe facienda meditatione imploret.

3. Præparatio proxima recollectio animi.

Schol. Præſentiam Dei ſibi quis repræſentare poterit, ut in cœlo maxime ſplendentem ſecundum Deitatem fide agnoſcendam, juxta illud Matth. 6. v. 9. *Pater noſter, qui es in cœlis;* vel etiam Chriſti humanitatem, uti vidit S. Stephanus *Act.* 7. *v.* 55. ſeque cogitet, vel introduci in regiam cœleſtem, ad orandum in conſortio Angelorum, uti S. Chryſoſtomus *l.* 2. *de oran. Deum,* & S. Bernardus *de* 4. *mod. oran.* hortantur, vel cum eodem S. Bernardo *ſerm.* 31. *in Cant.* Si per fidem intueatur S. Angelum ſuum cuſtodem, qui velut bonus nuntius interpretem inter Deum, & hominem agat: vel cum Publicano *Luc.* 18. *v.* 13. non audens oculos ad cœlum levare, conſideret Deum juxta eſſe iis, qui tribulato ſunt corde, *Pſ.* 33. *v.* 19. vel ex S. Auguſtino *l.* 2. *de ſerm. Dom. c.* 3. memor ſit, ſi forte ſit ſine peccato gravi, quod Deum per gratiam ſpeciali modo in ſe habeat. Quod ſi coram Ven. Sacramento Altaris fiat meditatio, facile erit

Modi ſe in præſentia Dei conſtituendi.

in præſentia Dei, & D. N. Jeſu Chriſti ſe conſtituere. Nec erit difficile aliqua devota imagine ad conſiderandum prototypon juvari: ac demum facile eſt, juxta illud Act. 17. v. 28. *In quo vivimus, & movemur, & ſumus*, Deum fide præſentem credere, non ſolum prope, ſed etiam intra nosmetipſos; (§. 52.) & corde dicere cum S. Saleſio: o cor meum, meum cor, vere Deus eſt hic. Unde facile ad implorandum Dei lumen pro oratione quis progredietur v. g. ex Pſ. 42. v. 3. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.*

§. 54.

4. Relectio materiæ meditandæ.

Quarto. Sic præparatus *relegat* materiam faciendæ meditationis attente, devote, quiete, & ſerio, ut intellectus ſenſum verborum magis penetrare, memoria diutius retinere, & voluntas intenſius ruminare valeat. Quodſi ſententia occurrat animum intimius movens, in ea ponderanda diutius inſiſtatur, ut animo altius imprimatur. Si animus ita diſtractus fuerit, ut ad meditandum ineptus ſit, ſaltem diutius lectioni incumbatur, & meditatio illi conjungatur: licet meditaturus utilius ſibi vim inferret, & excuſſis, prout poteſt, diſtractionibus, meditationi vacaret, ex qua tunc major fructus a Deo ſperandus foret. Quod ut præſtet, ſequatur monitum S. Laurentii Juſtin. *l. de perf. mon. c.* 18. „ In orationis hora, cum „ miles Chriſti ad orationem procedit, in ſen„ ſu cordis cogitet, propter quid accedit, ut „ quoties mens per inania defluxerit, aut „ concepto calore tepuerit, revocata ad ſe ſibi „ dicat: ad quid veniſti? confuſio namque

„ amiſ-

„ amiſſæ gratiæ, & agnitio extincti deſiderii „ ad priſtinum facile revocat devotionis exer- „ citium".

Schol. Ad orationem mentalem præcipue requiritur attentio, & quidem, quantum fieri poteſt, actualis; quia hæc oratio in actibus internis intellectus, & voluntatis conſiſtit: unde voluntarie in meditatione diſtractus ob irreverentiam erga Deum colloquentem ſibi, & impeditionem fructus meditationis, a culpa, & peccato excuſari nequit: ſicut & ſi ſine rationabili cauſa meditationem interrumpat, aut decurtet, aut ſe non debito modo ad eam præparet. Si quis autem involuntarie diſtrahatur, hoc non officit, quominus attentionem moraliter, virtualiter, & ſufficienter ad aliquos effectus, & fructus meditationis retinere cenſeatur. *Meditatio attenta eſſe debet.*

§. 55.

Quinto. Ea, quæ lecta, ſerio *meditanda* ſunt: & quidem ſi meditationis materia ſit res ſenſibilis, v. g. Paſſionis Chriſti, ea per potentiam imaginativam, & memoriam ſimul repræſentari debet, ut eo intimius animo imprimatur: ſi vero fuerit materia inſenſibilis, uti perfectiones divinæ, per ſolam memoriam proponi poteſt, licet etiam phantaſia imagines quasdam, ſed valde improprias fabricare ſoleat. Itaque per memoriam, & vivam fidem divinam materia meditanda cum perſonis, verbis, operibus, loco, tempore, & aliis circumſtantiis intellectui proponenda erit, qui hæc omnia diſcutiet, ponderabit, & examinabit, & exinde concludet, quid diſcendum, quid faciendum, quid fugiendum, quales affectus eliciendi, quænam virtutes exercendæ, & quænam vitia in parti- *5. Ponderatio, diſcurſus, & affectus cum propoſito.*

 culari,

culari, & occaſiones peccandi evitari debeant. Denique voluntas, ſequens ductum intellectus, congruos meditationis affectus, & actus elicit, v. g. humilitatis, pœnitentiæ, charitatis, ſpei, gaudii &c. item propoſita, hoc vel illud vitium eradicandi, hanc, vel illam virtutem, in hoc, vel illo loco, aut tempore exercendi.

Meditatio ad particularia, & affectum, & via propoſita tendat.

Schol. Meditatio præcipue ad illas virtutes acquirendas, & exercendas, & illa vitia extirpanda dirigenda eſt, quæ magis, & quidem in particulari meditanti neceſſariæ ſunt: deinde maxime notandum, quod mens in diſcurrendo, & ponderando non ſiſtere, vel nimium morari debeat, ſed in cordis motione, & affectu. Quapropter ubi orans ſe moveri ſenſerit, ibi ſiſtere debet, in quocunque puncto fuerit, nec ad aliud punctum tranſeat, niſi priori affectu exhauſto; ſimulque curandum, ut affectus non ſit ſolius dulcedinis, ſed utilitatis: nec inefficax, ſed efficaciter ad praxin deducens.

§. 56.

6. Gratiarum actio.

Sexto. Meditationem ſequitur *gratiarum actio* pro beneficiis tum in præſenti meditatione acceptis, tum pro illis, circa quæ ipſa meditatio verſabatur, v. g. creatione, conſervatione &c. tum pro omnibus per totam vitam a Deo collatis: propter quæ Deus laudetur, adoretur, glorificetur, & ad eum benedicendum omnes omnino creaturæ cœli, & terræ invitentur.

§. 57.

7. Oblatio.

Septimo. Ex gratiarum actione fluit *oblatio* ſuipſius in perpetuum mancipium pro omnibus gratiis conceſſis. Offerat proinde meditans Deo

ſuc

ſuo ſeipſum, corpus, & animam, intellectum, & voluntatem, ut ſecum ſecundum divinum ſuum beneplacitum diſponat. Offerat inſuper omnes ſuas cogitationes, verba, & opera ad majorem Dei honorem, & gloriam. Denique offerat Deo unigenitum ſuum Filium, cum tota ejus vita, paſſione, & morte, una cum meritis beatiſſimæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, quibus ſua uniat, & conjungat.

§. 58.

Octavo. Oblationi ſuccedat *petitio*, qua a Deo per interceſſionem Bmæ. Virginis, & Sanctorum, maxime Patronorum ſuorum, meditans humillime petat gratiam, propoſita in meditatione ſacra exequendi, virtutes exercendi, & peccata emendandi, ac fugiendi. Item ut Deum omnes homines agnoſcant, ament, laudent, adorent, eique fideliter ſerviant. Item oret pro tota Eccleſia catholica, Summo Pontifice, Epiſcopis, Imperatore, Regibus, Clericis, Religioſis, parentibus, amicis, benefactoribus, inimicis, juſtis, peccatoribus, tribulatis, morientibus, & denique pro ſeipſo, ut Deus ſuam ſibi gratiam largiatur, ſe in ea conſervet, peccatorum veniam, virtutes, gratiam finalem, & beatam mortem, ac vitam æternam propter ſuam infinitam bonitatem, per merita Jeſu, Mariæ, & omnium Sanctorum impertiatur. *8. Petitio.*

Schol. 1. Poſt meditationem peractam juvat, breve examen ſuper eam inſtituere, hauſta in illa lumina pro praxi, & executione notando, & inquirendo, quomodo meditatio ſucceſſerit; & ſi quidem *Reflexio, & examen ſuper meditationale,*

ſtam inſti- tuatur.

male, cauſa cum pœnitudine, & emendationis propoſito inveſtigetur: ſin bene, grates Deo agantur, cum propoſito, ſimiliter impoſterum procedendi.

Tempus, & ſpatium ejus pro meditatione declaratur.

Schol. 2. Circa *tempus* meditationis faciendæ notandum 1. quod a S. Scriptura, & PP. vel maxime commendetur tempus matutinum Pſ. 87. v. 14. *Mane oratio mea præveniet te.* Eccli. 39. v. 6. *Cor ſuum tradet, ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur.* Favetque ratio, tum ut primitiæ diei mille titulis Deo debitæ, illi reddantur: tum ne detur locus pigritiæ, quæ omnem diurnam bene vivendi formam nimium in lecto ſtertendo ſolet perdere: tum quia poſtquam homo externis actionibus cœpit diſtrahi, vix tempus ad quietam meditationem aptum invenire ſolet. 2. Summe intereſt per ſingulos dies aliquo tempore meditationi vacare: & licet temporis ſpatium etiam de conſilio pro omnibus certo determinari vix poſſit, cum neque omnes ſint æque capaces, nec ſtatus, nec actiones, vel occupationes ſint ejusdem rationis; pro ſingulis tamen ex conſilio boni directoris determinari poterit, niſi jam in aliqua communitate certa regula præſcripta fuerit, a qua pro modo obligationis non eſt recedendum, imo ultra illam progredi multis expediet. Card. Lauræa *opuſc.* 2 *de orat. c.* 12. Dimidiam horam, veluti ut plurimum ſufficientem, præſcribit. S. Bonaventura in *reg. Novit. c.* 2. Et S. Saleſius *Introd. p.* 2. *c.* 1 integram horam exigit. S. Petrus Alcantara *c.* 1. de *medit. c.* 11. *admonit.* 6. ait melius eſſe ſemel meditari diutius, quam bis breviter, & quidem per unam & dimidiam, vel duas horas. Suppleri quidem poterit meditatio quieta quodam modo per lectionem, preces vocales, & jaculatorias, examina, & reflexiones in illis, qui revera ob infirmitatem, incapacitatem, temporis, & loci defectum, quietæ meditationi vacare non poſſunt, ſe-

tur

tunc curandum eſt, ut hæc cum tali attentione fiant, quæ ſit veluti implicita meditatio, & ut quis, quam primum poſſit, veræ meditationi incumbat; ſed cavendum, ne acedia, & tepor ſub prætextu impotentiæ ſe occultent: quæ ſi non fucata fuerit, poterit quis ſaltem juvari aliquo libro, ut lecto puncto, & illo clauſo, diſcurrere, & moveri incipiat, uti S. Thereſia per 18. annos ſuæ ariditatis cum magna utilitate fecit, ipſa teſte *in vita c. 4.* vel legat cum intermiſta reflexione, & affectione libros, qui meditationes continent, vel ruminet elementa practica Catechismi, uti præcepta Dei, & Eccleſiæ &c. vel ponderet aliquam ex orationibus chriſtianis, pauſando in ſingulis earum verbis, & ad ea piam aliquam aſpirationem interponat.

§. 59.

Materia meditationis pro incipientibus ſunt 4. noviſſima.

Supereſt modo, ut *materiam* meditationis, ad purgandas animas maxime incipientium, potiſſimum convenientis conſideremus; quæ eſt *meditatio de quatuor Noviſſimis*, ſcilicet morte, judicio, inferno, & cœleſti gloria. Probatur *primo* ex S. Scriptura. Eccl. 7. v. 40. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Item Eccl. 38. v. 21. *Ne dederis in triſtitia cor tuum, ſed repelle eam a te, & memento Noviſſimorum.* Deut. 32. v. 29. *Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent. Secundo.* Ex PP. Rabanus *in Eccl. l.* 18. c. 15. ait: *Ne occupet triſtitia ſæculi cor tuum, quæ mortem animæ operatur; ſed abjice eam a te, & memento noviſſimorum temporum.* Auctor ſpeculi peccatorum inter opera S. Auguſtini citatum textum Deut. 32. *utinam ſaperent* &c. ut ſpeculum proponit dicens c. 2. *Si te ſæpius in hujusmodi ſpeculo proſpexeris, eris absque dubio*

Sam-

Samſone fortior, Davide cautior, Salomone ſapientior: illi autem in hoc ſpeculo ſe ſæpius conſiderare neglexerunt, ideo in carnis ſuæ deſideriis cæcati corruerunt. Et S. Bonaventura in ſuo Faſcicular. init. noviſſima frequenter meditanda devotis proponit, dicens: *Memoria mortis, qua omnia hujus mundi oblectamenta, gloriam, & honorem, altum ſtatum vilipendant. Memoria extremi examinis, qua inflammantur ad bona opera peragenda, ut tunc cum juſtis mereantur accipere præmium meritorum. Memoria pœnarum infernalium, qua omnia illicita, licet dubia reſpuant timore tormentorum. Memoria cæleſtis gloriæ, qua, ut hic quieſcant, & exultent in ſpe, ac, ut illinc ſint digni gloria, nitantur ſe veris virtutibus adornare. Tertio.* Ratio eſt timor, & ſpes, maxime prout pœnam æternam, & præmium æternum reſpiciunt, quod eſt totum objectum Noviſſimorum, omnino ut diſpoſitiones ad juſtificationem, præſertim primam, & incipientium requiruntur, juxta Tridentinum ſeſſ. 6. c. 6. *dum peccatores ſe eſſe intelligentes, a divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur.* (*Comp. Th. t.* 1. §. 374.) Sed ad hos actus nequit moveri homo, niſi expendendo bene motiva, & accurata Noviſſimorum meditatione: ergo hæc meditatio ad purgandas animas incipientium maxime, uſurpanda eſt.

Quomodo meditatio Noviſſimorum ſit neceſſaria. *Schol.* Meditationes de Noviſſimis paſſim Aſcetæ exhibent: alii per puncta brevia tantum excitando ut S. Ignatius in ſuis exercitiis, S. Saleſius, S. Petrus de Alcantara, & Godinez in *Praxi Theol. Myſt.* uti magis congruit iis, qui per ſeipſos cum gra-

gratia Dei panem hunc cum cortice maſticare poſſunt. Alii per fuſiores meditationes procedunt, uti Granatenſis, a Ponte, Molina Carthuſianus, ut doceant, moveant, & debiliores adjuvent. Alii plenos tractatus de Noviſſimis inſtituerunt, uti Dionyſius Carthuſianus, Drexelius, Alvarez de Paz &c. Illud de Noviſſimorum meditatione notandum, quod juxta P. Reguera *Th. Myſt. t.* 1. *pag.* 428. ſit neceſſaria ſaltem neceſſitate præcepti, imo aliquo modo, ut quis ex toto corde convertatur, & in juſtitia perſeveret, neceſſitate medii, ratione actus timoris, & ſpei. Interim tamen hæc meditatio non in ſola ratione humana, ſed in fide de præmio ſupernaturali viſionis Dei, & pœna ejus privativa fundari debet; experientia enim docet, in ſtatu naturæ corruptæ parum prodeſſe ſolum lumen rationis, multum vero lumen fidei, ſi cum meditatione conjungatur. Atque eadem experientia etiam probat, quod Noviſſimorum ex fide meditatio ita ſit fundamentalis ad vitam chriſtianam rite inſtituendam, & ſuſtinendam, ut nihil ſine ea firmum ſit.

§. 60.

Pergendo vero ad noviſſima in ſpecie, *primo meditatio mortis* ad purgandas animas maxime incipientium plurimum juvat, & neceſſaria eſt. *Meditatio mortis.* *Primo* enim certum eſt ex ſcriptura, 1. quod omnes nullo excepto ſimus morituri. Gen. 2. v. 17. *Morte morieris.* Pſ. 88. *Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem?* (*vid. Comp. Th. t.* 1. §. 270.) 2. Omnes non pluries, ſed ſemel ſumus morituri. Hebr. 9. v. 27. *Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* 2. Reg. 14. v. 14. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Job. 7. v. 7. *Memento, quia ventus eſt vita mea, & non rever-*

revertetur. Nonnulla vero exempla mortuorum reſuſcitatorum, & ſecundo morientium, ſunt exceptiones extraordinariæ, quæ regulam ordinariam non infringunt; & quas in ſe nullus ſine ſtulta temeritate expectare poteſt. 3. De modo, loco, & tempore mortis omnino incerti ſumus. Luca 12. v. 40. *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet*, & *v.* 39. mors furi comparatur, de quo neſcit paterfamilias, qua hora venturus ſit. Conſtituit quidem Deus in ſecreto conſilio ſuo terminos vitæ noſtræ cum omnibus circumſtantiis ſuis. Job. 14. v. 5. *Breves dies hominis ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt: conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Sed hoc nobis omnino occultum eſt, cum pauciſſimorum exceptione, quam nonniſi temere de ſe quis cogitabit. Profecto hæ veritates ſeria meditatione expenſæ ad vitam chriſtianam inſtituendam efficaciſſimæ, & neceſſariæ ſunt, juxta illud Domini præceptum, Marc. 13. v. 33. *Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim, quando tempus ſit.* Et Eccli. 38. v. 23. *Memor eſto judicii mei, ſic enim erit & tuum: mihi heri, tibi hodie. Secundo.* Confirmant hoc PP. S. Hieronymus *ep.* 3. *ad Heliod. poſt med.* allegata illa ſententia Platonis, *omnem ſapientum vitam meditationem eſſe mortis*, & præferendo illam S. Pauli: *quotidie morior*, infert: *debemus igitur & nos animo præmeditari, quod aliquando futuri ſumus, & quod velimus, nolimus, abeſſe longius non poteſt.* Ut enim idem ad Paulin. *ep.* 135 ait: *Facile contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe eſſe moriturum.* Quippe S. Auguſtinus *l.* 2. *de Geneſ. cont. Manich. c.* 28. notat: *Nihil ſic ho-*

mines revocat a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio. S. Bonaventura in ſoliloq. c. 3. *Conſidera frequenter, volve, & revolve diligenter, quod mors non poteſt declinari, quod hora mortis non poteſt inveſtigari, quod tempus a Deo præordinatum non poteſt immutari.* Et S. Climacus in ſcal. grad. 6. *Quemadmodum ex omni genere ciborum panis eſt maxime neceſſarius, ita ex omnibus actionibus meditatio mortis.* Omnia hæc libellus de imit. Chriſti *l.* 1. *c.* 23. complectitur. *Tertio.* Ratio eſt. Mors eſt ſummum quoddam naturæ malum, & momentum, unde pendet æternitas: ergo omnis prudentiæ ratio poſtulat, ut eam ſerio præmeditemur, & mature conſilium capiamus de modo, quo tantum malum in maximum bonum nobis cedat, & momentum tribulationis, vertatur in æternitatem exultationis. Modus autem hic in eo conſiſtit, ut mortem certo, ſemel, licet incerto tempore futuram ſemper meditemur; unde fiet, quod ſemper veluti morituri vivamus, & ita, ſicuti morientes vixiſſe optabimus, quod non tam mortem, quam malam mortem timeamus, & bene vivendo bonam faciamus: quod per mortificationem nobis moriamur, quæ morti nihil aliud, quam præcidere laqueum, quo ligamur, faciendum relinquat; quod denuum vigilando, & orando fortiter aſſueſcamus vincere inimicos noſtros, & pulchram oppetere per vulnera mortem.

Schol. Potiſſimus fructus meditationis mortis eſt, inſtitutio vitæ chriſtianæ, ut *qualis vita, finis ita.* Ad hoc vero requiritur ſeria mortis meditatio, & vix ad propriam inſtructionem, & vitæ correctionem *Quomodo mors meditanda.*

nem volatilis mortis memoria, aut ſola frequentia mortuos, & eorum oſſa inſpiciendi proficiet, uti notarunt Climacus, & Carthuſianus: quia hæc externa facile in meram cæremoniam abeunt, niſi ſancto meditationis exercitio animentur; nam etiam Ethnici in ſuis conviviis varia mortis ſpectra proponebant, nec tamen ita mores ſuos corrigebant, imo ex ipſa mortis imagine perfide inferebant cum illis ſtultis, Sap. 2. v. 6. *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Uti probat Raynaudus *l.* 6. *de virtut.* §. 2. *c.* 5. Deinde nec ſatis proficua erit meditatio mortis, ſi mere humana fuerit, prout eſt finis vitæ præſentis, ſed lumine fidei altius erigenda eſt, & mors prout eſt initium æternitatis beatæ, vel infelicis conſideranda eſt, quæ animam immortalem, & corpus noſtrum poſt reſurrectionem expectat. Hoc quippe fidei ſingulare privilegium eſt, ut ſupra id, quod videmus, certificet nos de eo, quod non videmus. Unde Apoſtolus nos monet 1. Cor. 15. v. 32. *Evigilate juſti, & nolite peccare.* Et 1. Cor. 7. v. 29. *Tempus breve eſt, reliquum eſt, ut, qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.* Porro licet id, quod aliqui opinantur cum Innocentio III. *l.* 2. *de contemptu mundi c.* 42. Scilicet in articulo mortis omnibus ſe viſibilem præbere diabolum, ut tentet, & Chriſtum crucifixum, ut conſoletur bonos, & terreat malos, in regula generali non ſatis fundatum ſit, uti probat Granado *in* 3. *p. contr.* 13. *tr.* 1. *d.* 1. ſufficit tamen quod ita fieri poſſit, & ſæpe inviſibiliter Chriſtus crucifixus conſcientiam redarguat, & diabolus vehementiſſime tentet. Si quando vero hoc in malis & tepidis non contingat, ipſum non increpari, nec tentari major increpationis, & tentationis modus cenſendus eſt. Denique ne quis ſacrum timorem mortis cum naturali confundat, notandum eſt cum S. Climaco, quod non excludatur metus naturalis mortis, qui eſt paſſio naturalis, & etiam in S. humanitate Chriſti locum habuit: nec excludit

metu

metus mortis in motivo ſupernaturali fundatus, ratione incertitudinis bonæ, vel malæ mortis, & ſubſequentis felicis, vel infelicis æternitatis, qui eſt timor etiam Sanctorum: ſed uterque hic metus, & timor, maxime poſterior, ita debet in meditatione mortis ordinari, ut ſpe in Deo concepta moveat nos, ad eam, quæ haberi poteſt, ſalutis noſtræ certitudinem per conſtantem vitæ emendationem quærendam, ita ut creſcente in nobis charitate, uterque timor minuatur, & in ſancta deſideria mortis, imo & in dulciſſimam mortem tranſeat.

§. 61.

Secundo. Meditatio judicii eodem dicto modo (§. 60.) juvat, & neceſſaria eſt. Judicium hoc duplex eſt; *particulare*, quod cum ſingulis animabus immediate poſt mortem, & *univerſale*; quod in fine cum omnibus poſt reſurrectionem mortuorum inſtituetur. Utrumque oſtendit, & ad ſalutarem meditationem proponit *primo*. S. Scriptura; & quidem particulare Eccli. 11. v. 28. *in fine hominis denudatio operum illius*, & Hebr. 9. v. 27. *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium.* (*Comp. Th. t.* 1. §. 410.) Univerſale vero Joan. 5. v. 28. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in reſurrectionem judicii.* Et hoc idem judicium minutatim deſcribitur. *Matth.* 24. *a. v.* 27. *&c.* (*Comp. Th. t.* 1. §. 415.) Cum ergo in hoc judicio operum omnium noſtrorum ſtrictiſſima ratio reddenda ſit, & tempus illius nos lateat, ſerio meditandum eſt, quomodo chriſtiana vita ita in-

Meditatio judicii.

inſtituatur, ut hanc rationem judici ſuo c
reddere poſſit. Ita *ſecundo* monent PP. S. H
ronymus ep. 5. ad Florent. *Ego cunctis pe*
torum ſordibus inquinatus, diebus, ac noctibus c
rior cum tremore, reddere noviſſimum quadr
tem. Et in *regul. Monach.* ex S. Hier. collect
Igitur ſive leges, ſive dormies, ſive ſcribes,
vigilabis; Amos tibi ſemper buccina in auri
ſonet, & Apoſtoli, qui hunc horrendum diem i
piis, & peccatoribus prævidere meruerunt,
c. 30. *ſemper tuba illa terribilis veſtris perſtre*
auribus: ſurgite mortui, venite ad judicium.
Gregorius hom. 1. in Evang. *Illum ergo di*
fratres chariſſimi, tota intentione cogitate, vit
corrigite, mores mutate, mala tentantia reſiſte
vincite, perpetrata autem fletibus punite. A
ventum namque æterni Judicis tanto ſecurio
quandoque videbitis, quanto nunc diſtrictionem
lius timendo prævenitis. S. Hippolitus M. or.
conſum. mund. *De judicio ſollicite cogiten*
quotidie, hoc diu noctuque meditemur, in domib
in plateis, in Eccleſiis, ne in horrendo illo ju
cio, in quo nulla eſt perſonarum acceptio, abjecti
ac triſtes adſtemus condemnati. *Tertio.* Ratio e
meditatio mortis eſt utiliſſima, & Chriſtia
neceſſaria: (§. 60.) Ergo multo magis me
tatio judicii, quia mors potiſſimum propter j
dicium eam ſubſequens metuenda eſt: „ cu
„ judicium, teſte Carthuſiano, multo terri
„ lius ſit ipſa morte corporali, & tempora
„ imo & pœnis inferni ad tempus juxta illu
„ Jobi 14. v. 13. *Quis mihi hoc tribuat, ut*
„ *inferno protegas me, & abſcondas me, do*
„ *pertranſeat furor tuus* “? Deinde aſſid
ju

judicii memoria, uti notat S. Thomas 2. 2. q. 12. *a.* 2. *in* ☉ „ Avertit hominem ab „ electione peccati, quia habet juſtitiam cum „ miſericordia: & per ſpem, quæ conſurgit „ ex conſideratione miſericordiæ, remittentis „ peccata, & præmiantis bona: & hoc tolli- „ tur per deſperationem". Nam ſolus ille deſperat, qui vel non credit futurum judicium vel de illo non cogitat, ne timore compungatur; cum econtra credenti & cogitanti timor ad chriſtiane vivendum, facto recurſu ad Deum, conſequenter etiam ad ſperandum magnus ſtimulus ſit.

Schol. Ut meditatio judicii eo vividior ſit, juvat ejus etiam circumſtantias bene conſiderare, quarum 1. *judicium* eſt *locus*, qui pro judicio particulari eſt ille, ubi unusquisque moritur: ſcilicet ibi, ubi naufragus in mari perit, viator a prædone, duellans ab adverſario, miles ab hoſte, alius a fulmine occiduntur, ibidem a Deo ubique præſente judicantur. Ibi in tuo lecto, in quo ad delicias, & forte nefandas, decumbis, ibidem cito jacebis cadaver, & judicaberis. Proh Deum immortalem! quid cogitamus, quando ſummum hoc animæ noſtræ negotium non ſerio recogitamus? 2. *Tempus* judicii, quod erit in ipſo inſtanti, quo incipit verificari, quod anima non ſit amplius unita corpori, ubi homo non amplius eſt in via, nec mereri, nec demereri poteſt: unde viſiones judicii ſubinde habitæ ante mortem non ſunt de judicio tunc facto, ſed imminente, & figurato per propriam viſionem viatorum; idque vel ex nutu Dei, ad morientis profectum, vel ope diaboli, ut illum in deſperationem mittat: ſicuti & viſiones habitæ de judicio alterius, non ſunt de judicio, quod tunc ſit, ſed quod prius in momento factum eſt. 3. Quando Patres, & Aſcetæ figurant judicium adinſtar humanorum *Quomodo judicium meditandum.*

inſtituatur, ut hanc ratio … nt pro captu no-
reddere poſſit. Ita *ſecu* … ſed modo altiori
ronymus ep. 5. ad F … ſcilicet per viſio-
torum ſordibus inq … infuſam, qua ſe, om-
rior cum tremor … cogitationes, verba, &
tem. Et in *re* … videat (quo modo etiam
Igitur ſive le … *Deiparam*, S. Michaelem, & S.
vigilabis; … *extendi* poteſt) & pronuntia-
ſonet, & … ſpiritualem ſententiam perci-
piis, … alterius notat P. Reguera *Theol.*
c. 30. … *pag. 438.* Judicem hunc, qui ante ad-
auri … *Chriſti* fuit Deus, ut præciſe Deus, jam
G … *etiam ut hominem* eſſe, & licet in judicio particu-
f … *lari, ut opinari* licet, Chriſtus ut homo non ve-
niat perſonaliter, & ſenſibiliter ad ſingulos judi-
candos, venit tamen, quatenus prædicta viſione
intellectuali, non quidem faciali propria beatorum
ſed alia quadam ſublimi, qualis ſubinde in via com-
municatur, detegitur reo præſentiſſimus judex, u
Deus quidem, tanquam reipſa præſens, ut hom
vero, quatenus præſentatur, quaſi præſens ille ip-
ſe, qui eſt ad dexteram Patris. 4. Judicium ho
particulare in uno momento fiet, modo ſublimior
& terribiliori, quo a nobis nunc cogitari poteſt
quia ille modus erit proprius animæ independente
a ſenſibus, & per ideas proprias infuſas ſpirituali
cognoſcentis; cum econtra in vita nonniſi pe
ſpecies alienas a ſenſibus hauſtas hoc judicium no
bis repræſentemus, quæ a vero magis, quam p
ctum a vivo diſtant. Nec terrorem minuet, quo
judicium hoc in momento abſolvatur, ſed eum p
tius augebit, quia erit cum majori exceſſu, cu
judicem ſuum non extra ſe, ſed intra ſe invenie
5. Pro judicio univerſali accedit publica illa co
fuſio coram toto mundo, cui quidquid latet app
rebit. Quæ omnia ſatis urgent, ut faciamus, qu
Abbas Amon *in vit. PP.* apud Rosweidum *l.*
monet: „ Cogita quaſi reus in carcere, tibiq
„ dic: væ mihi, quomodo habeo aſtare ante t
„ bunal Chriſti? & quomodo habeo, actu
„ me

..m reddere rationem? ſi ſic ſemper medi-
..ris, poteris ſalvus eſſe".

§. 62.

..atio *inferni* ad vitam chriſtia- ..nſtituendam non minus prodeſt, ..a eſt. Docet hoc *primo* S. Scriptu- .. præterquam quod pœnas inferni im- ..manentes ſæpius inculcat, præſertim in illa ſententia finali. Matth. 25. v. 41. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* (*Comp. Th. t.* 1. §. 196. *ſeq.*) Meditationem inferni in variis locis commendat, uti Pſ. 54. v. 16. *Deſcendant in infernum viventes.* Ubi Auctor *l.* 1. *ad frat. de monte c.* 4. inter opera S. Bernardi, ſubjungit: „Ne deſcendant morientes, de- „ſcendant viventes, aſſidue contemplando do- „lores inferni, ut horreant, & refugiant". Et S. Bernardus *ſerm.* 42. *de diver.* „Vivens „igitur ad infernum deſcende, percurre men- „talibus oculis tormentorum officinas. Deinde 1. *Reg.* 2. *v.* 6. dicitur: *Dominus . . . deducit ad inferos, & reducit.* Ubi S. Gregorius in 1. *Reg. l.* 2. *c.* 1. *notat:* „Tunc quippe peccare „deſinimus, cum ſuperna gratia mollitis cor- „dibus, futura tormenta formidamus, & ab „inferis reducimur, cum interno viſitati ſola- „tio ad ſpem veniæ de pœnitentiæ lamento „reſpiramus". Idem confirmat deſcriptio [illegible] a Chriſto Domino occaſione divitis in [illegible] ſepulti facta, *Luc.* 16. ut nimirum eum ſe- [illegible] conſideremus, id quod nobis plus proderit, [illegible] ſi eum oculis cerneremus, aut aliquis damnatorum reſurgens ex mortuis eum nobis

Meditatio inferni.

enarraret, ut enim ibidem *v.* 31. dicitur: *Si Moyſen, & Prophetas non audiunt, neque ſi qui ex mortuis reſurrexerit, credent. Secundo.* Ad hanc meditationem hortantur PP. S. Chryſoſtomus *hom.* 2. *in* 2. *Theſſ.* ait: *Si perpetuo gehennam recogitaremus, non ſtatim in illam incideremus. Propterea ſupplicium minatus eſt Deus niſi aliquid profectus in ſe haberet gehennæ reputatio, utique jam non eſſet illam minatus Deus. Verum quoniam illius recordatio magna poteſt efficere propterea comminationem illius quaſi ſalutare quoddam pharmacum animis noſtris impoſuit.* Et deinde monet, ut hæc cogitatio, & horror inferni a prima ætate pueris inſtilletur. S. Proſper *l.* 3. *de vit. contempl.* de pœnis inferni ait: *Hæc & his ſimilia libenter audire, vel legere, jugiter ante oculos mentis adducere, futura credere, ſine ulla perturbatione metuere, cogitare, quale malum ſit, ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi &c. Hæc & his ſimilia multa cogitare, nihil est aliud, quam vitiis repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrœnare. Tertio.* Ratio eſt damnatis *ſempiternus* inferni *horror*, Job. 10 v. 22. *ignis æternus* Matth. 25. v. 41. *locus tormentorum*, Luc. 16. v. 28. & omnia ejus damna aſſiduo ante oculos verſabuntur, eaque ſemper conſiderabunt, & exinde incomparabilem mærorem, & dolorem percipient: ergo nihil rationabilius eſt, quam ut nos utiliter faciamus, quod illi inutiliter, nos per modica vitæ momenta, illi per immenſa ſæcula; conſiderando nimirum omnia illorum damna, & tormenta, quæ poſſunt etiam eſſe noſtra: unde maximum peccati, quod gehennam meretur odium

odium, luctum, & pœnitentiam concipiemus; nam aut pœnitendum, aut ardendum eſt, & ad vitam chriſtianam perfecte inſtituendam excitabimur.

Quomodo infernus meditandus.

Schol. Tria ſunt, quæ de inferno ſerio meditanda ſunt: ſcilicet 1. Pœna damni, quæ conſiſtit in privatione viſionis beatificæ: (*Comp. Th. t.* 2. §. 536. 537.) quæ tantum malum eſt, quantum bonum eſt Deus, quo damnati privantur, & ob cujus amiſſionem ineffabiliter torquentur. 2. Pœna ſenſus, ſeu ignis, de qua vide (*Comp. Th. t.* 1. §. 197. *ſeq.*) Si enim pro toto mundo corpus noſtrum ad horæ unius ſpatium igni non traderemus, *quis poterit habitare de vobis cum ardoribus ſempiternis?* Iſ. 33. v. 14. quæ flamma iræ, luxuriæ &c. hoc igne non extinguetur. *Hæc recordare*, ait S. Auguſtinus, vel alius ſerm. 181. de Temp. c. 18. *& illum ignem gehennæ iis, quæ te nunc exagitant, flammis libidinis, & cupiditatis oppone.* „Ut major ardor „minorem ardorem ſuperet". 3. Æternitas „pœnarum, quæ probata fuit (*Comp. Th. t.* 1. §. 200.) de qua S. Bernardus *l.* 5. *de conſid. c.* 12. ita ſcribit: *Quid tam pœnale, quam ſemper velle, quod nunquam erit, & ſemper nolle, quod nunquam non erit? Quid tam damnatum, quam voluntas addicta huic neceſſitati volendi, nolendique? In æternum non obtinebit, quod vult; & quod non vult, in æternum nihilominus ſuſtinebit.*

§. 63.

Meditatio cœleſtis gloriæ.

Quarto. Denique ad perfectionem chriſtianam valde excitat meditatio *cœleſtis gloriæ.* In quo hæc conſiſtat, fuſe explicatum fuit. (*Comp. Th. t.* 1. *cap.* 7.) Pro hoc autem aſſerto ſtat primo S. Scriptura, quæ nobis hoc præmium æternum ob oculos ſemper proponit, ut ad

bene vivendum excitemur, uti Pſ. 118. v. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Vult item, ut ad eam ſitibundi anhelemus. Pſ. 41. v. 2. *Sitivit anima mea ad Deum fortem* (alii fontem) *vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.* Et Pſ. 16. v. 15. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Vult, nos ad eam ſpem noſtram erigere. Job. 19. v. 26. *Videbo Deum meum . . . repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Luc. 12. v. 36. *Vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum.* Vult, nos pro ea obtinenda orare, & ibi mente converſari. Matth. 6. v. 9. *Pater noſter, qui es in cœlis . . . Adveniat regnum tuum.* Philipp. 3. v. 19. *Noſtra converſatio in cælis eſt.* Unde bene monet Catechismus Rom. in Expoſ. Symb. „ Quare „ Parochi in erudiendis fidelibus nunquam in„ termittent, præmiis æternæ vitæ propoſitis „ eorum animos accendere; ut quæcunque „ vel difficillima Chriſtiani nominis cauſa ſub„ eunda docuerint, facilia, atque adeo jucun„ da exiſtiment, promptioresque ad parendum „ Deo, & alacriores reddantur". *Secundo* Suadent hoc PP. Tertull. l. ad Mart. c. 2. *Quoties viam ad gloriam ſpiritu deambulaveris, toties in carcere non eris: nihil crus ſentit in nervo, cum animus in cœlo eſt.* S. Hieronymus ep. 18. ad Euſtoch. *Quotiescunque te vana ſæculi delectaverit ambitio, quoties in mundo aliquid videris gloriosum, ad Paradiſum mente transgredere: eſſe incipe, quod futura es.* S. Gregorius Hom. 37. in Evang. *Si conſideremus fratres chariſſimi, quæ & quanta ſunt, quæ nobis promittuntur in cœlis*

vile

vileſcunt animo omnia, quæ habentur in terris. Ven. Beda ſerm. 18. de Sanctis. *Conſideremus ergo inclytam illius urbis felicitatem, in quantum conſiderare poſſibile eſt.* S. Bernardus ſerm. 5. de SS. *Sic nempe portio noſtra in terra viventium, nec modica ſane portio, ſi tamen, ut docet, memoriam affectio comitetur. Sic inquam converſatio noſtra in cælis eſt.* S. Thomas in 2. Cor. 4. lect. 4. *Licet hæc, quæ ſperamus, futura ſint, & interim corpus noſtrum corrumpatur, nihilominus tamen renovamur, quod non attendimus ad iſta temporalia, ſed ad cæleſtia.* S. Bonaventura in ſoliloq. c. 4. *Revera æſtimo o anima, ſi hæc cæleſtia gaudia jugiter in mente haberes; de hoc exilio quoddam ſuburbium cæleſtis regni conſtrueres, in quo illam æternam dulcedinem quotidie ſpiritualiter prælibando deguſtares: quia cum aliquid æternum mente capimus, jam non in hoc mundo, ſed in cælo habitamus.* *Tertio.* Ratio eſt: nomine cœleſtis gloriæ intelligitur finis hominis ultimus, ejus beatitudo, in qua omnia ejus deſideria quieſcunt, omnis rationalis appetitus ſatiatur: (*Comp. Th. t.* 1. §. 397. *ſeq.*) ſed hanc appetere continuo in omnibus, & ad eam tendere ſemper debemus; quod cum ſine frequenti, & ſeria ejus meditatione fieri non poſſit, quia ignoti nulla cupido, hæc omnino requiritur, & uti concludit S. Auguſtinus l. 19. de civ. c. 4. *ad illam adipiſcendam recte nobis vivendum eſt.*

[illegible] Gloria cœleſtis qualis, & quanta ſit, vix concipi poteſt poſitive, ſed tantum negative, in quantum ſcilicet eſt ſupra omnem conceptum, quem de rebus creatis infra gloriam habemus, quæ omnium *Quomodo cæleſtis gloria meditanda.*

nium earum æſtimationem tranſcendit. Quippe *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum.* 1. Cor. 2. v. 9. Nec enim, quæ ibi ſunt maxime ſpiritualia, ſunt talia, qualia hæc ſenſibilia, ſed longe altioris ordinis, ſicut etiam quæ ibi ſunt ſenſibilia, ſunt eo modo ibi, quo hic, ſed longe aliter. Ita de corpore in reſurrectione loquitur S. Paulus ſecundum quatuor gloriæ dotes 1. *Cor.* 15. *a. v.* 42. penes quas evadet quaſi ſpirituale. (*Comp. Th. t.* 1. §. 404.) Ita in Apoc. 21. & ſæpius cœleſtis illa civitas deſcribitur, vel ſymbolice per ea, quæ noſtris rebus ſunt ſimilia cum ineffabili tamen exceſſu, v. g. per portas ex margaritis &c. vel melius terminis negativis, v. g. quod non egebit ſole, neque luna, & mors ibi non erit &c. adeoque inutile eſt, inquirere de his, quæ in cœlo ſunt, per conceptus poſitivos, ſufficit nobis, ut fide credamus, & attente meditemur, quod negative nobis proponit Apoſtolus paulo ante citatus: *Nec oculus vidit* &c. ut in omni rerum eventu cum SS. Martyribus cum rebus cæteris etiam vitam noſtram contemnamus, ut vitam æternam conſequamur. Accedit beata illa æternitas, & ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, & viſio beatifica, quæ verbis, & cogitationibus comprehendi non poteſt, cum juxta P. Reguera *Th. Myſt. t.* 1. *pag.* 449. ſit majus bonum, quam ſit malum carentia illius, licet hæc ſit majus malum, quam reliqui cruciatus, ſi quidem cruciatus ſunt compoſſibiles cum hac viſione, uti patet in humanitate Chriſti in via beata ſimul, & tamen acerbiſſimos dolores in paſſione ſua ſuſtinente, non vero carentia viſionis beatificæ, de qua S. Chryſoſtomus *hom.* 24. *in Matth. poſt med.* ita ſcribit: *Novi, quia plurimi pertimeſcunt gehennam: ego tamen illius gloriæ amiſſionem amarius, quam ipſius gehennæ dico eſſe ſupplicium. Si vero id non poſſum ſermone monſtrare, nihil eſt omnino mirandum, namque non novimus illorum beatitudinem præmiorum,*

ut infelicitatem quoque de eorum amiſſione ſcire non poſſimus . . . Nos autem hoc absque dubio diſcemus, cum experimentis cœperimus doceri . . . Intolerabilis quidem res eſt etiam gehenna, quis neſciat? & ſupplicium illud horribile: tamen ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus eſt, quale eſt, a beatæ illius gloriæ honore repelli. Teſtis eſt ipſe diabolus, qui aliquando, narrante Drexelio *l.* 1. *de cœlo c.* 10. libenter ſe inferni proprii, & reliquorum dæmonum pœnas usque ad diem judicii ſubiturum dixit, dummodo ſibi aliquando Deum videre concederetur.

Corollar. Duo potiſſimum ex Noviſſimorum meditatione colligenda ſunt. *Primo* ſummum quoddam odium, & abominatio contra peccatum concipiendum eſt, utpote cauſa omnis mali, in meditatione Noviſſimorum conſiderati. Nam peccatum mortis origo eſt, & mortem malam, imo peſſimam facit. Rom. 5. v. 12. *Per peccatum mors.* Et Pſ. 33. v. 22. *Mors peccatorum peſſima.* Sine peccato, quod eſt vera mors, vix nomen meretur mors corporis, quæ etiam utut acerbiſſima ad vitandum peccatum contemnenda eſt, & non turpis, ſed felix, & pretioſa evadit, Pſ. 115. v. 5. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Unde S. Bernardus ſerm. 41. ex parvis. *Mors peccatorum mala in amiſſione mundi. Pejor in diſſolutione carnis . . . peſſima in tormentis inferni. Econtra bonorum mors optima: quoniam quidem fit ibi quies a labore, fit jucunditas de novitate, fit ſecuritas de æternitate.* Quantum ad judicium, peccatum procul dubio eſt, quod illud ita terribile reddit, imo quod facit judicium condemnationis; tolle peccatum, vel pœnitendo de commiſſo, vel abſtinendo a committendo, & occurret tibi Dominus non *tanquam fur.* Apoc. 3. v. 3. Sed velut *ſponſus* Matth. 25. v. 6. non in furore, minitans necem, ſed in amore, invitans ad amplexum. *Si enim nosmetipſos judicaremus*, ſcilicet judicio diſcuſſionis, & condemnationis, judicando ſevere nosmetipſos, & peccata noſtra

Adhortatio ad meditationem Noviſſimorum, & fructus ejus.

puni-

puniendo, *non utique judicaremur:* ſcilicet a Deo judicio condemnationis, quin vix judicio diſcuſſionis, ſed tantum judicio abſolutionis, quod non tam judicium, quam corona eſt; quod ſibi optat S. Bernardus ſerm. 55. in Cant. *Bonum judicium, quod me illi diſtricto, divinoque judicio ſubducit, & abſcondit. Prorſus horreo incidere in manus Dei viventis: volo vultui iræ judicatus præſentari, non judicandus.* Quantum ad *infernum*, peccatum facit infernum, & peſſimum inferni peccatum eſt. Vermis ibi non moritur, quia nutritur carie memoriæ inamiſſibilis de peccatis aliquando commiſſis: ignis non extinguitur, quia peccata ligna ſunt flatu iræ Dei ſuccenſa: ibi diaboli ſunt, qui erant Angeli, quia per peccatum diabolus eſt, & homines per peccatum ex patre diabolo ſunt, totidem quaſi diaboli effecti. Denique quantum ad gloriam cœleſtem peccatum nos hoc maximo bono privat, quia peccatum eſt cum gloria incompatibile. (*Comp. Th. t.* 1. §. 403.) Alterum, quod ex hac meditatione elicere debemus, eſt continua abnegatio noſtri ipſorum, & inordinatarum paſſionum noſtrarum, juxta illud, Joan. 12. v. 25. *Qui amat animam ſuam*, id eſt, qui in mundo abſurdis ejus cupiditatibus obtemperat, & præter debitum ei indulget, *perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Id eſt, qui non paret ei, cum aliquid perperam jubet. S. Chryſoſtomus *hom.* 66. Et quia caro noſtra eſt ille animæ noſtræ hoſtis domeſticus, quem maxime horrere debemus, crucifigatur cruce Chriſti, in qua eſt ſalus, & vita. Cogitemus mortem, & moriemur in vita, ut in morte vitam inveniamus. Cogitemus judicium, & judicemus nosmetipſos, ut non utique judicemur. Cogitemus infernum, & nosmetipſos puniamus, vel puniri in vita amemus, ut non puniamur in æternum. Cogitemus gloriam cœleſtem, & quantumcunque multa agimus, vel patimur, pauca eſſe reperiemus, ut ſupra illud multi conſtituti intremus in gaudium Domini noſtri.

§. 6

§. 64.

Quatuor ſunt potiſſima impedimenta quæ occurrunt, qui orationi vacant: ſcilicet, diſtractio, ſcrupuli, ariditas, & deſolatio. His duobus ultimis plerumque proficientes, & perfecti vexantur, de quibus proinde ſuo loco tractabitur. Diſtractio vero, & ſcrupuli incipientes maxime infeſtant, de quibus hic agendum eſt. Et primo quidem de *diſtractione*, quæ eſt evagatio quædam, & remotio intellectus a materia, vel objecto orationis, dum imaginatio rebus inutilibus præocupatur.

Diſtractio primum impedimentum orationis, definitur.

Schol. Diſtractio contra omnes ſpecies orationis militat, & attentionem ad eam requiſitam tollit, de qua (§. 44.) actum fuit. Maxime vero meditationi officit, & niſi diſtractiones in quacunque oratione excuti curentur, oratio nulla eſt, & infructuoſa; imo quando attentio actualis etiam inculpate in aliqua parte orationis deeſt, ſaltem *refectio ſpiritualis mentis*, ſeu *lætitia ſpiritualis* non percipitur juxta S.Thomam 2. 2. *q.* 83. *art.* 13. Unde S. Iſidorus l. 3. ſent. c. 7. ait: *Tunc veraciter oramus, quando aliunde non cogitamus: ſed valde pauci ſunt, qui tales orationes habeant: & licet in quibusdam ſint, difficile tamen eſt, ut ſemper ſint.*

Diſtractio vitanda.

§. 65.

Radices, unde diſtractiones in oratione oriuntur, ſunt *primo. Imaginatio*, potentia magis belluina, quam libera, quæ rationis jugum, & alligationem excutiendo, illi objecto, quod ſibi magis placet, adhæret, maxime, ſi alicui humori, vel paſſioni prædominanti conforme ſit. Sic ſi paſſio iræ prædominetur, & cieatur humor cho-

Diſtractionis 1ma radix imaginatio, & paſſio.

cholericus, diſtractiones erunt, imaginari vindictas, contentiones, querelas, rixas &c. Si paſſio prædominans fuerit gula, diſtractiones erunt, imaginari convivia, & cupedias ſub prætextu neceſſitatis. Si paſſio fuerit appetitus ſenſualis, imaginationes diſtractivæ erunt res turpes, & objecta abominanda repræſentata, quæ animum diſtrahunt, torquent, & contriſtant.

2. Senſus externi. 2. *Secunda* radix ſunt communiter *ſenſus externi non bene cuſtoditi*, quorum operationes imaginationem ad ſe rapiunt, & imaginatio intellectum.

3. Paſſiones. 3. *Tertia* ſunt *paſſiones* cum humoribus eis correſpondentibus, quæ animam valde inquietant, & diſtrahunt, quoties ſuis objectis applicantur, v. g. ſi ambitioſus occupatus ſit in quærendo honore: ſi inhoneſtus fœminas, & facies decoras facile intueatur; ſi non diſcedat quis à locis, perſonis, & occaſionibus quæ illum inquietare poſſunt: hi tales ſemper inquieti, & diſtracti erunt.

4. Ingenium vagum. 4. *Quarta* radix ſolet eſſe parvum *ingenium inquietum*, curioſum, & in negotia externa, & ſæcularia nimium effuſum: homines talis ingenii ſibimetipſis ſunt perpetua diſtractio.

5. Magiſter ſpiritualis imperitus. 5. *Quinta* radix ſolet eſſe *Magiſter ſpiritualis*, in materia orationis, præſertim mentalis parum verſatus, qui ſe, ſuamque orationem velut præciſam normam, aliis vult obtrudere unde diſcipulum tentatum, & perpetuò diſtractum reddit.

6. *Se*

6. *Sexta* radix ſolet eſſe quædam *benevola probatio Dei*, qua ſuos probat, ut magis erga illum, quam ſua dona afficiantur, indeque illos in patientia, & humilitate educat. *6. Probatio Dei.*

7. *Septima* radix eſt ſuggeſtio & *tentatio dæmonis*, nam uti S. Nilus *c.* 47. *de orat.* ait: *Univerſum bellum, quod inter nos, & dæmones conflatur, non eſt de alia re, quam de oratione; eſt enim illis oratio valde adverſa, & odioſa, nobis vero ſalutaris, & valde benigna.* Hinc S. Marcellus Abbas audivit inſonare tubam, & a diabolo percepit, tunc ſe cum ſuis ad arma provocari, cum Monachi ſigno campanulæ ad divinam Pſalmodiam vocantur. *Rosweidus in vit. PP. l.* 18. *c.* 152. *7. Tentatio dæmonis.*

Schol. S. Moyſes Abbas apud Caſſianum *coll.* 1. *c.* 17. notat, impoſſibile quidem eſſe, mentem in oratione non omnibus interpellari cogitationibus; ſuſcipere vero eas, vel reſpuere omni ſtudenti cum gratia divina poſſibile eſt: *nec enim totum vel incurſui, vel illis ſpiritibus tribuendum eſt.* Quare faciendum, quod *c.* 18. ſimilitudine molendini declarat: *cui ſi arena imponatur, exterminat, pix inquinat, palea occupat. Sic cor noſtrum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat, & fatigat.* Ait Auctor *medit. c.* 9. inter opera S. Bernardi. Et Auctor lib. de amor. Dei *c.* 1. inter eadem opera, a ſimilitudine Abraham Gen. 22. v. 5. *Curæ, ſollicitudines, anxietates, labores, pœnæ, ſervitutes, expectate me hic cum aſino, corpore iſto, donec ego cum puero, ratio ſcilicet cum intelligentia, usque illuc properantes, poſtquam adoraverimus, revertamur ad vos.* Ut vero radices diſtractionum feliciùs evellamus, remedia ſequentia adhibenda. *Diſtractiones omnes non quidem præcaveri, attamen rejici poſſunt.*

§. 66.

§. 66.

Remedia diſtractionum.

Remedia contra diſtractiones ſunt: *Primo*. S diſtractio oriatur ex evagatione imaginationi per peccatum ſauciatæ, & ità deſtructæ, u objecta paſſioni prædominanti congrua ſectan do, vix unica oratio Dominica ſine omni di ſtractione perſolvi poſſit; hoc ipſum, quod pa timur, in materiam humilitatis vertere opor tet, fragilitatem noſtram humiliter agnoſcentes quæ humiliatio optima erit oratio, ſi ſine no ſtra culpa imaginatio noſtra evagetur, nosqu eam a vanis illis objectis purgare pro poſſibil cum gratia conemur.

Secundo. Si diſtractio oriatur ex ſenſibu externis non rite cuſtoditis, illi per mortifica tionem refrænandi ſunt, de qua inferius ſei mo erit.

Tertio. Si oriatur ex paſſionibus, mortifi cationi earum pariter ſtudendum eſt, objecti earum removendo, quæ illas excitant, ſicut item inferius oſtendetur.

Quarto. Si proveniant ex nimia applicatio ne ad negotia externa, & ſæcularia, ſi no ſint neceſſaria, relinquenda erunt; ſi vero ſin neceſſaria, aut quis vitæ mixtæ fuerit, qu nimio conatu ſtudiis incumbit, lectioni, v converſationi cum proximo, non eſt remediu has occupationes relinquere, ſed nimietatei in illis vitare: ſi enim cum debita moderatior exerceantur, bonæ diſpoſitiones ad frequei tandam perfectius orationem erunt.

Quint

Quinto. Si Magiſter ſpiritualis habeat diſcipulum adultiorem, intellectus craſſi, & exigui diſcurſus, qui orationi mentali ſine diſtractionibus vacare non poſſit, applicet eum orationi vocali Roſarii, & aliarum devotionum pro tempore, quo alii orationi mentali vacant: quia præſtat aliqua, quam nulla oratione proficere. (§. 47. *Coroll.* 4.)

Sexto. Si diſtractio ex permiſſione Dei ad probationem noſtram proveniat, ſi orans aliud facere non poteſt, pacato animo muſcas abigat importune occurrentium cogitationum, & Deo non exiguum cultum exhibebit: ſicut Domino ſervus toto prandii tempore muſcas ab epulis abigens, aut Abraham volucres a ſacrificio ſuo repellens. *Gen.* 15. *v.* 11. Offerat Deo ſuum deſiderium, comitandi ferventiſſimas orationes Sanctorum; cogitet, ſe velle obſequium præſtare Deo, ad comburendum paratus: humiliet ſe eo magis, quo forte ob occultam culpam ſuam ſe ineptiorem ad orandum reperit: oret patienti animo cum plena in Dei voluntatem reſignatione cum Bloſio *Inſt. ſpir.* c. 7. n. 1. „ Domine! etiamſi omnibus diebus „ vitæ meæ, & usque ad extremi judicii diem „ absque aliqua conſolatione, te ita ordinante, „ permanere deberem: paratiſſimus tamen per „ gratiam tuam eſſe vellem, ad graviora quæ„ que pro tui amore perferenda ".

Septimo. Si diſtractio a tentatione dæmonis oriatur, *reſiſtamus ei fortes in fide.* 1. Petr. 5. v. 9. Clamemus cum cæco, uti monet S. Gregorius hom. 2. in Evang. *Jeſu fili David miſerere mei;*

& ſi nos prætereuntes increpent, ut taceamu quatenus deſideriorum carnalium, turbæ, ti multusque vitiorum tentationibus ſuis cogit tionem noſtram diſſipant, multo magis clam mus: *Fili David miſerere mei: nam cum in or tione noſtra vehementer inſiſtimus, tranſeuntem J ſum menti figimus* . . . *quia dum adhuc turb phantaſmatum in oratione patimur, Jeſum aliqu tenus tranſeuntem ſentimus: cum vero orationi v hementer inſiſtimus, ſtat Jeſus, ut lucem reſtitua quia Deus in corde figitur, & lux amiſſa reparatu*

Alia remedia. *Schol.* Præter hæc remedia contra diſtractiones, a adhuc aſſignant Aſçetæ, & aliqua jam allata fu runt petita a circumſtantiis temporis (§. 45. *c Schol.*) loci, (§. 46. *cum Schol.*) geſtus corpo (§. 47. *cum Schol.*) a præparatione per lection ſpiritualem (§. 51. *cum Schol.*) præſentia I (§. 52. *cum Schol.*) recollectione (§. 53. *cum Sc* selectione materiæ meditandæ (§. 75. *cum Schol* quibus addi poteſt mortificatio corporis, ſine q oratio ægre conſervatur, quæ nequit reſidere domicilio animæ, niſi hoc jugiter ſcopa pœnite tiæ emundetur, & mortificatione exornetur. ludque notat Reguera *Theol. Myſt. t. 1. pag.* 3 *n.* 1051. non opus eſſe, objecta diſtrahentia per qui, ſed melius eſſe illa, etſi turpiſſima, vel catellos in via latrantes contemnere: nulla en brevior oppugnatio, quam redire ad orandum; ire, ac redire, licet millies, optima quædam o tionis ſpecies eſt.

§. 67.

Devotio quid. Inter omnia autem remedia, tum ad rep lendas diſtractiones, tum ad bene orandu ſingulariſſimum eſt *devotio*, quæ juxta S. Th mam 2. 2. q. 82. a. 1. *eſt voluntas, prom faciendi, quod ad Dei ſervitium pertinet.*

Sch

Schol. 1. Nomen devotionis in uſu Theologico ſumitur pro peculiari quadam animi propenſione ad Deum, & derivatur a verbo *devoveo*, quod ſignificat, ſe offerre, vel tradere in ſervitium, cultum, & obſequium alterius; quod ſi reſpectu Dei fiat, ſeſe obligando, erit votum, vel juramentum: ſi per ſolum propoſitum, aut per ejusdem propoſiti ſimplicem affectum, eſt devotio, de qua loquimur, & a diverſis diverſimode definitur. Auctor libri de ſpir. & anima inter opera S. Auguſtini *c.* 50. ait: *Devotio eſt converſio ad Deum per pium, & humilem affectum: humilem ex conſcientia infirmitatis propriæ: pium ex conſideratione divinæ clementiæ.* S. Saleſius *l. de vit. devot.* devotionem definit per charitatem ſaltem genericam, quæ *facit non ſolum bene operari, ſed diligenter, frequenter, & prompte;* ſcilicet, prout ipſe exponit, quatenus devotio præſtat agilitatem ſpiritualem, qua charitas in nobis, vel nos per charitatem exercemus opera præcepti, vel conſilii. Verum hæ, & aliæ devotionis definitiones cum citata S. Thomæ in re conveniunt, de qua adhuc notandum, quod ſub nomine promptitudinis fervor, vel fervens affectus intelligatur, qui tamen cum heroicitate confundi non debet: cum poſſit quis devote orare, licet non perfecte perfectione ſpeciali perfectorum, vel perfectione ſpecialiſſima actus heroici. Quid autem ſit hic fervor „ non tam utiliter per doctri„ nam, quam per experientiam percipitur, cum „ divinæ Majeſtati placet, animam hominis ſua „ gratia imbuere. Ait Valentia. *t.* 3. *d.* 6. *q.* 1. *Explicatur.*

Schol. 2. Devotio juxta eundem S. Thomam *a.* 2. in ſpecie ſumpta, eſt actus Religionis, quia ex motivo cultus divini exardeſcit. Item *a.* 1. notat S. D. quod devotio præcipue, ſive ut ſcholæ loquuntur, in recto, ſit actus voluntatis, nimirum per affectum offerentis ſe Deo; minus tamen principaliter, vel in obliquo, devotio etiam includit actum intellectus, qui excitet voluntatem, unde oratio, *Devotionis natura.*

& meditatio, ſubinde, prout eſt elevatio ment ad Deum, devotio dicitur. Et *a.* 3. Obſervat quod initium hujus excitationis, prout fit in nc bis ſine nobis, eſt per aliquam cogitationem, affectionem indeliberatam: & affectus devotion deliberati ſunt a Deo tanquam cauſa extrinſeca, ſ principaliter operante, tam per ſeipſum immediat quam per hujusmodi gratiam actualem intrinſecar Denique ibidem notat, quod, devotio ſpecialit orationi tribuatur: licet enim etiam ad aliaru virtutum actus, maxime cultus divini, extend tur vel imperando, vel eliciendo eos juxta ſuu proprium motivum; oratio tamen ſingulariter apt eſt ad devotionem exercendam, tam per aliaru virtutum actus in particulari, quam per ingemin tum actum devotionis in orante, qui affectum, t tum ſe, & in omnibus Deo devovendi, renova

Cauſa devotionis. *Schol.* 3. Cauſa ergo extrinſeca, & principalis dev tionis eſt ipſe Deus, qui per auxilium gratiæ ſu voluntatem ſibi prompte ſerviendi inſpirat. Cau vero intrinſeca eſt meditatio tum divinæ bonitat & beneficiorum ejus, quæ excitat dilectionem, c cauſam proximam devotionis: tum noſtræ infirm tatis, quæ excludit præſumptionem impedienten virtuti ſuæ innitentem, ne ſe Deo ſubjiciat. Un meditatio cauſat devotionem in genere cauſæ m ralis per ſui informationem, repræſentando mot va, Deo ſe devovendi: & devotio cauſat medit tionem in genere cauſæ moralis efficientis, & a plicantis intellectum, ad nova motiva quærend & inveniendа.

Diviſio devotionis. *Schol.* 4. Devotio alia eſt *ſubſtantialis*, ſeu *intellectu lis*, cujus promptitudo nititur in conſideratio principiorum fidei, quæ in anima ſolidam reſol tionem fundant, Deo ſuper omnia in quovis eve tu, ſive conſolationis, ſive deſolationis obſeque di: dicitur autem hæc devotio ſubſtantialis, q ſine ea non datur promptitudo ad devotionem quiſita, eaque ſufficit, ad devote in ſubſtantia o randu

randum. Intellectualis autem dicitur non per excluſionem voluntatis, (*Schol.* 2.) ſed quia in ea magis actus intellectus, quam voluntatis reſplendet. Alia eſt *accidentalis, integralis*, ſeu *affectiva*; quando dictæ promptitudini accedit ſuavis quædam affectio, quæ ineffabili modo dura quæque in via Domini ſuavia efficit. Dicitur accidentalis, vel integralis; quia ad promptius agendum valde conducit, & in ſenſu vulgi aliquis devotus, vel indevotus dicitur, qui cum ejusmodi conſolatione, vel ariditate operatur, etſi devotionem ſubſtantialem adhuc retineat: dicitur affectiva, quia in ea affectus voluntatis magis, quam actus intellectus relucet, licet utraque potentia ad eam concurrat. Devotio hæc accidentalis, & affectiva, ſi ſolum in anima interius ſit ſenſibilis, vocatur *affectiva ſimpliciter*, ſi vero etiam in corpore in lachrymas teneritudinis, vel alios effectus erumpat, *affectiva ſimul, & ſenſibilis*, vel *devotio ſenſibilis* dici poteſt.

§. 68.

Devotioni ſubſtantiali ſtudendum eſt.

Devotioni ſubſtantiali, maxime etiam independenter a devotione accidentali, ſemper *ſtudendum eſt*, tanquam orationi, omnique vitæ chriſtianæ, & perfectæ neceſſariæ. Hæc enim primo in exemplum omnibus a Deo proponitur in S. Scriptura. *Exod.* 25. *v.* 21. de filiis Iſrael notanter dicitur: *Obtulerunt mente promptiſſima, atque devota primitias Domino.* Pſ. 53. v. 8. David ait: *Voluntarie ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum eſt.* Et Pſ. 107. v. 1. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum; cantabo, & Pſalmum dicam.* Et Pſ. 118. v. 60. *Paratus ſum, & non turbatus, ut cuſtodiam mandata tua.* Et Chriſtus Dominus per Prophetam *Pſ.* 37. *v.* 9. & *Hebr.* 10. *v.* 7. ait:

In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei. Et Joan. 4. v. 34. *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, ut perficiam opus ejus.* Et S. Paulus Act. 9. v. 6. ait: *Domine quid me vis facere?* In quibus omnibus prompta voluntas ad offerendum nos, & noſtra Deo, quæ eſt ſubſtantialis devotio, commendantur. Eadem porro nobis ab accidentali ſeparata tanquam ſufficiens, & neceſſaria proponitur, cum Chriſtus Dominus orans in horto in ſumma triſtitia, repugnante natura calici paſſionis, exhibetur. *Matth.* 26. *v.* 42. *Si non poteſt fieri, niſi ut bibam illum, fiat voluntas tua.* Et *v.* 46. accingendo ſe ad paſſionem ſuam mira promptitudine dixit: *Surgite eamus.* Et *v.* 41. ad diſcipulos dormientes, & pigros in oratione ait: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem: Spiritus quidem (veſter) promptus eſt, caro autem infirma.* Ubi oſtendit, in diſcipulis cum nulla partis inferioris devotione, vel cum carnis infirmitate, fuiſſe tamen aliquam devotionem ſubſtantialem, quæ tamen, ſi non accidentaliter, ſaltem ſubſtantialiter per orationem confortanda erat. Idem habetur de S. Paulo dicente Rom. 7. v. 22. *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Cumque *v.* 24. dolens exclamaſſet: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Accepit reſponſum: *Gratia Dei per D. N. Jeſum Chriſtum.* Sic etiam, dum a ſtimulo carnis liberari petiit, reſponſum tulit, 2. Cor. 12. v. 9. *Sufficit tibi gra-*

t

tia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Ubi in S. Paulo luctante contra fomitem, non aderat alia conſolatio, quam in gratia Chriſti, eum non auferente, ſed ſuperante. *Secundo* probatur ex PP. S. Ambroſius *l.* 1. *de Abraham c.* 2. ait: *Devotio virtus ordine prima eſt, quæ eſt fundamentum cæterarum.* Et *ſerm.* 7. ait: *Memor fui noctè nominis tui Domine, & cuſtodivi legem tuam: plena devotio eſt.* S. Bonaventura opuſc. de ſex Alis c. 8. *Sine ala devotionis reliqua perfici non valent: hinc maxime eſt neceſſaria.* Et l. 2. de prof. Relig. *Eruditur orans, quod non tantum innitatur experientiis conſolationum, quantum in fiducia ad Deum, vel fidei certitudine. Vult enim Dominus erudire nos per ſubtractionem conſolationis, & inniti veritati ſcripturæ potius, quam noſtræ qualicunque experientiæ.* Et S. Bernardus ſerm. 45. in Cant. *Animæ lingua eſt, devotionis fervor: elinguis eſt anima, atque infans, quæ hanc non habet, & non poteſt ipſi ullatenus ſermocinatio eſſe cum verbo.* *Tertio.* Ratio eſt: quia ſine devotione ſubſtantiali, intellectuali, ſeu, ut eam Bloſius vocat, rationali, nequit haberi oratio: quia orare nequit, ſicut oportet, qui non orat, quantum Deus ipſi dederit *ſtudioſe pariter, & devote* c. *Dolentes.* de celebr. Miſſ. & ſine ea non habetur debita attentio. (§. 44.) Nec ſine ea ſubſiſtere poteſt charitas, nec amicitia hominis cum Deo, quam ſecum affert charitas, niſi ex amore reddatur promptus ad ſerviendum amico, & amicitia per ejuſmodi ſervitia prompte exhibita conſervetur, & augeatur: uti notat S. Thomas 2. 2. *q.* 82. *a.* 2. *ad* 2. Nec ſine ea vita chriſtiana, nec perfe-

ea ſubſiſtere poteſt; tum quia ſine ea non ſubſiſtit charitas, & amicitia cum Deo, ad vitam chriſtianam, & perfectam neceſſaria: tum quia ſine ea tepor chriſtianæ, & perfectæ vitæ adeo inimicus (§. 20.) non vitatur: tum quia ſine ea hoſtes infenſiſſimi animæ noſtræ tam parum ſuperabuntur, quam hoſtes in prælio a milite vix movente lacertos.

Quomodo devotio ſubſtantialis obtineatur. Schol. Cum devotio principaliter a Deo proveniat, vel ſe ſolo excitante, vel ut cauſa principali cooperante, (§. 67. *Sch.* 2.) fide certi eſſe debemus, Deum ex ſua parte non defuturum, ut devotionem ſaltem ſubſtantialem obtineamus. Excitati autem a Deo petere ab eo debemus, ut nos hac devotione ſubſtantiali in fide fundata abunde adjuvet, ne in via ſalutis deficiamus: & quia etiam nos cooperari debemus, meditationi vacandum eſt, in qua per *conſiderationem peccatorum noſtrorum, quæ hominem reddit humilem apud ſe: recordationem pœnarum, quæ illum ſollicitat, ad bene agendum: conſiderationem peregrinationis, quæ illum hortatur, viſibilia debere contemni: deſiderium vitæ perennis, quæ hominem incitans ad perfectum, cogit eum a terrenis affectibus voluntatis mutatione ſuſpendi,* uti loquitur Auctor libri ſentent. inter opera S. Bernardi, ad humilem, & pium affectum moveamur. Sicuti etiam S. Bonaventura *l.* 2. *de prof. Relig. c.* 69. Silvam conſiderationum adducit, quæ tanquam ligna ardenti per orationem devotioni materiam præſtant. Ut autem hæc devotio ſolida ſit pro quolibet ſtatu, ſive conſolationis, ſive tribulationis; veritatibus fidei, in meditatione per hujusmodi conſiderationes bene ruminatis, nitatur neceſſe eſt. Et licet ex providentia divina ſæpe nobis devotio accidentalis deſit, ſemper tamen de ſubſtantiali ſimus ſolliciti, quæ nonniſi ex culpa noſtra nobis deerit; uti enim monet S. Bonaventura l. c. c. 1. *Noli ergo diffidere, cum con-*

ſola

ſolatio internæ dulcedinis tibi ſubtrahitur, quaſi Deus dereliquerit te, & bona opera tua non ſint ei accepta: ſed recurre ad illa vera teſtimonia, & conſolare in ipſis: ſcilicet ut confidas veritati Dei, quæ quamdiu tu non decedas ab eo per conſenſum prævaricationis mandatorum ejus, ipſe non derelinquet te per propitiationem ſuam.

§. 69.

Devotioni etiam accidentali ſtudendum eſt.

Devotio etiam *accidentalis*, tum affectiva ſimpliciter, tum affectiva ſimul, & ſenſibilis ſemper quoque *procuranda* eſt, ut orationi, ac vitæ chriſtianæ, & perfectæ, per ſe loquendo, valde conducens, ac forte neceſſaria. Nam *primo* eam commendat S. Scriptura Pſ. 33. v. 9. *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Pſ. 118. v. 103. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo.* Joan. 16. v. 22. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis*, & v. 24. *Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* 1. Petr. 2. v. 3. *Si tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus.* Et Gal. 5. v. 22. *Fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax &c.* ubi gaudium inter fructus Spiritus S. utique procurandos, ponitur. *Secundo.* Patet ex PP. S. Gregorius *l.* 3. *dial. c.* 34. ait: *A Creatore noſtro cum magno gemitu quærenda eſt lachyrmarum gratia.* S. Bernardus *ſerm. de circumciſ.* 3. ait: *Rogo dari tibi devotionis lumen, diem ſereniſſimam, & ſabbatum mentis: in quo tanquam emeritus miles in laboribus univerſis vivas abſque labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei: ut quod prius cum amaritudine, & coactione tui ſpiritus faciebas, de cætero jam cum ſumma dulce-*

dulcedine peragas, & delectatione. S. Thomas 2. 2. *q.* 88. *a.* 4. ait: *Devotio per ſe quidem, & principaliter ſpiritualem lætitiam cauſat . . . quia iſta conſideratio* (ſcilicet divinæ bonitatis, ex qua procedit) *pertinet ad terminum motus voluntatis tradentis ſe Deo, & ex iſta conſideratione per ſe quidem ſequitur delectatio.* S. Bonaventura *opuſc. de ſex alis c.* 8. de hac devotione ait: *Hæc eſt unctio ſpiritus, docens de omnibus, quæ expediunt ſaluti.* S. Laurentius Juſtin. l. de connub. an. c. 14. circa med. *Cum mens deſudando in prece perſeverans pulſat, ut aperiatur, ſubito jucunditate repleta, ac lumine coruſca, ubertim emanare inchoat profluvium lachrymarum, & quæ prius tanquam lapis corde induruerat, nunc ſuperno liquefacta reſpectu, præ dulcedine, & exultatione præſentiæ verbi ſe a lachrymis continere non valet.* Et Catechiſmus Rom. *de contr.* docet: *Lachrymæ in contritione ſummopere optandæ, & commendandæ ſunt. Tertio.* Ratio eſt, quia devotio accidentalis per ſe, & principaliter cauſatur a devotione ſubſtantiali, illam perficit, & ad intentum finem adjuvat, uti paulo ante ex S. Thoma vidimus; ac hoc devotionis adipe tam orationis, quam bonorum operum ſacrificia & Deo, & offerenti gratiora, & quaſi medullata redduntur, juxta illud Pſ. 62. v. 6. *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea; & labiis exultationis laudabit os meum.* Deinde etiam devotio ſenſibilis ſubſtantialem dicto modo perficit Pſ. 118. v. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Et per eam pars inferior cum ſuperiori concordat, ſimul dulces capiens cibos in domo Dei cum

con-

conſenſu. *Pſ.* 54. Ac ipſæ lachrymæ a devotione interna emanantes, ſunt donum Dei, ineffabili quodam modo delicias ſpirituales cum cordis dolore ſociantes. Rurſus homo cum omni devotione ſubſtantiali, & accidentali Deo ſe devovere debet, quia eum ex totis animæ, & corporis viribus tenetur diligere, quam dilectionem per devotionem accidentalem, & ſenſibilem in corpore manifeſtat, quia juxta S. Saleſium p. 1. vit. dev. c. 2. *Devotio eſt perfectio charitatis. Si charitas eſt lac, devotio eſt ſpuma: ſi charitas eſt planta, devotio eſt flos: ſi charitas eſt gemma, devotio eſt nitor: ſi charitas eſt balſamum, devotio eſt illius odor ſuavitatis, qui & confortat homines, & lætificat Angelos.* Denique Deus dulcedo ſumma non quærit, per ſe loquendo, noſtras amaritudines, ſed conſolationes in bene operando, & ſi nonnunquam aliter ſe gerat, eſt per accidens, vel ob noſtram indiſpoſitionem, vel defectum cooperationis, vel ad noſtram probationem pro majori noſtro bono, ut noſtram patientiam largiori conſolatione remuneretur. Ergo devotio etiam accidentalis procuranda eſt: ut enim ait S. Laurentius Juſtin. de perf. mon. c. 18. *Si Dei veneranda Majeſtas frigidam amoris ejus, & ſegniter converſantem viſitare dignatur mentem: quanto magis ferventem ſpiritu, & ſe ſollicite quærentem per amplius afflabit guſtu cæleſtium deliciarum?*

Schol. Michael Molinos cum ſuis pſeudo-illuminatis, prop. 27. 30. 33. docuit: *Qui deſiderat, & amplectitur devotionem ſenſibilem, male facit, eam deſiderando, & ad eam conando.* Verum hæc propoſitio damnata eſt. Alium item errorem circa devo- *Error Molinos &c.*

tio-

tionem accidentalem carpit Alvarez de Paz *t.* 3. *de vit ſpir. l.* 2. *p.* 3. *c.* 2. dicens: „ Hanc ſuavitatem, & conſolationem ſpiritualem, o vir Dei! „ ardenter deſidera, & humiliter poſtula, non propter ſe, ſed ut illa quaſi inſtrumento in omni „ virtute proveharis. Hæc multo efficacius te a „ culpis, & imperfectionibus retrahet, quam timor imminentis caſtigationis; & aliis venerabilem reddet, & omnis virtutis exemplar. Errant itaque, qui hanc ſpiritualem ſuavitatem non „ magni faciunt, & eam in oratione non ſitiunt, „ & ſi abſcedat, minime ejus cauſa triſtantur; in „ quo indicium præbent, quod ejus multiplicem „ utilitatem nunquam opere didicerunt: quam ſi „ aliquando guſtaſſent, & ejus impulſu ſe non tam „ ambulare, quam currere, imo & volare ad perfectionem cognoviſſent, pretioſam utique æſtimaſſent eam, quæ tam magnum affert virtutum, „ & omnis puritatis augmentum „. Et Franciſcus Arias *tr.* 5. *de prof. ſpir. p.* 3. *c.* 2. ait: „ Eſt „ manifeſtus error, & prætextus, & color, quem „ pro ſua tepiditate excuſanda aſſumunt ſegnes, „ qui dona hæc non receperunt, nec volunt laborare cum mortificatione, & puritate vitæ, & „ vigilantia, ad ea obtinenda „.

§. 70.

Media pro obtinenda devotione.

Utraque autem devotio, ſubſtantialis, & accidentalis, tam ſpiritualis, quam ſenſibilis duplici, ut ſic loquar, induſtria procuranda eſt: ſcilicet, humili ad Deum *oratione*, cujus ſolius eſt, nos primum ad devotionem per illuſtrationes, & inſpirationes indeliberatas excitare. Deinde *mortificatione* ſimul, & oratione, prout petitio eſt: nam requiritur cooperatio noſtra, quam tamen nonniſi cum gratia Dei [illegible]nte, adjuvante, & ſubſequente conjun

jungere valemus, uti in *Comp. Th.* capite de gratia oſtenſum fuit. Quod idem demonſtrat collecta Dom. 16. poſt Pent. *Tua nos quæſumus Domine gratia ſemper, & præveniat, & ſequatur, ac bonis operibus jugiter præſtet eſſe intentos.* Et S. Auguſtinus *l.* 11. *Conf. c.* 2. orat: *Domine Deus meus intende orationi meæ, & miſericordia tua exaudiat deſiderium meum ... Da, quod offeram tibi ... Da, quod amo: amo enim, & hoc tu dediſti. Obſecro per D. N. Jeſum Chriſtum ... per quem nos quæſiſti non quærentes te, quæſiſti autem, ut quæreremus te.*

Schol. S. Gregorius *l.* 1. *Reg. c.* 4. obſervat, *quod cum electi fideles altius erudiri appetunt, jam quidem magnam devotionem habent, quam poſt auditam prædicationem valde majorem habent.* Sic nempe ipſum deſiderium ſciendi voluntatem Dei in oratione, quod a Deo excitatur, jam eſt aliqua devotio, quæ tamen meditatione, oratione, & operatione, quibus ad faciendam voluntatem Dei animamur, magis augetur, & perficitur. Hæc quippe eſt devota illa contentio, qua Deus, & prævenit, & præveniri amat: creatura & præventam ſe invenit, & optat prævenire: Deus prævenit ante omne noſtrum deſiderium, ut deſideremus, amatque præveniri deſideriis, & precibus, & conſiderationibus, & puritate vitæ, ut quando minus creatura cogitat, in idipſum, & largius, quam cogitat, implendum, in momenta denuo præveniat, & adjuvet, & ſubſequatur. *Explicatur.*

§. 71.

Porro *devotio ſubſtantialis* per orationem, & mortificationem *abſolute* a Deo *petenda*, & procuranda eſt, cum ſpe firma, eam obtinendi. *Ratio* eſt, quia hæc eſt neceſſaria, & proficua ad *Devotio ſubſtantialis abſolute a Deo petenda eſt.*

ad æternam ſalutem, adeoque abſolute a Deo petenda. (§. 39.) Cum enim conſiſtat in promptitudine placendi Deo, ſemper Deus præſto adeſt, ut adjuvet, nosque ſemper divina gratia adjuti ad illam pertingere poſſumus: ſemper in mediis etiam deſolationibus lumen fidei, ac donorum Spiritus S. & auxilia illuminantia, & inſpirantia adſunt, per quæ quis ſemper firmari poteſt, & debet in reſolutione placendi Deo, ſive per con- ſive deſolationes, cum plena in voluntatem Dei reſignatione, in quo ſubſtantialis devotio conſiſtit teſte Bloſio *in conclavi an. p.* 1. *c.* 13. dicente: „ Vera devotio in „ vera ſui ipſius ſubmiſſione, reſignatione, ab„ negatione, ac nihilipenſione ſita eſt, potius „ quam in ſenſibili ſapore, ac dulcedine ".

Devotio ſubſtantialis non eſt ſine dulcedine intellectuali.

Schol. Devotio etiam ſubſtantialis ſemper aliquam delectationem pariter ſubſtantialem, intellectualem, ſeu rationalem ſecum importat: nam veritates ſolidæ perfectionis chriſtianæ inſeparabilem habent ſaporem contra omnem amaritudinem: hanc delectationem Dionyſius Carth. *l.* 1. *de gaud. ſpi a.* 21. vocat ***dulcedinem habitualem*** „ quam boni ju„ giter habent habitualiter, quilibet ſecundum „ gradum gratiæ ſibi datæ " cujus ſigna ſunt continua continentia, & moderatio in proſperis, patientia in adverſis, perſeverans voluntas, placendi Deo, eique in omnibus obediendi: „ Unde „ pro hac habituali, neceſſariaque dulcedine inſtan„ ter, & ſine conditione precandum eſt. Et pro „ deſolato ſat eſt, quod nequaquam averſus ſit „ deſiderio ſpirituali, placendi ſemper, ſerviendi„ que Deo, & ſi non deſideret, interim tam fer„ venter, ut poteſt, de imperfectione ſua humili„ ter doleat, ac diſcrete, & cum Pſalmiſta ardenter deſiderare concupiſcat dicendo: *Concupi-*

„ *c*

„ *anima mea deſiderare juſtificationes tuas, in omni* „ *tempore* “. Pſ. 118. v. 20.

§. 72.

Devotio autem *accidentalis* procurranda quidem eſt, & *petenda* a Deo, ſed nonniſi ſub tacita, vel expreſſa *conditione*, aut limitatione, in quantum ſcilicet juvat ad devotionem ſubſtantialem. Patet hoc *primo* ex teſtimonio Sanctorum. S. Bonaventura *l.* 2. *de prof. Rel. c.* 69. hanc devotionem illi ſolum petere concedit, *qui jam fuerit diutius exercitatus.* S. Thereſia in ſua *vita c.* 9. ait: ſolum „ Illis convenire perſonis, „ quæ diſpoſitæ jam ſunt, quatenus omnibus „ ſuis viribus procurarunt veram habere devo„ tionem “. S. Joannes a Cruce *l.* 1. *Noct. obſc. c.* 6. multus eſt, ut inſtruat circa gulam, uti vocat, ſpiritualem, ſic vocando illum exceſſum, quo ſolent maxime incipientes abripi a guſtu in exercitiis ſpiritualibus, unde in graves ruunt imperfectiones; nam cruciantur poenitentiis ſine diſcretione, quamdiu ſenſibilis devotio abeſt. „ Quando vero non obtinent „ guſtum, contriſtantur, putantes, ſe nihil „ obtinuiſſe. Qua de cauſa veram amittunt „ devotionem, & ſpiritum, qui conſiſtit in „ perſeverando ibi cum patientia, & humilitate, diffidendo de ſe, ut placeat Deo “. S. Petrus Alcantara *p.* 2. *de devot. c.* 1. commendat quidem devotionem accidentalem: at *c.* 5. monita præſcribit, ut cum diſcretione fiat, non tam conſolationes, quam voluntatem Dei quærendo. S. Saleſius *p.* 4. *vit. dev. c.* 13. laudat quidem has ſpirituales dulcedines, ſed monet,

Devotio accidentalis ſolum conditionate petenda eſt.

ut

ut ſuperbiam in iis caveamus: quia ſeipſis bonos non faciunt, ſed ſunt velut mel, & minuta dulciaria, quibus mater demulcet tenerum filiolum. *Secundo.* Ita monet Aſcetæ. Dionyſius Carth. *l.* 1. *de gaud. ſpir. a.* 21. ait: „ Pro „ hac actuali, actualiterque perceptibili dul„ cedine laborandum eſt, non vero tanquam „ pro re neceſſaria ad ſalutem, ſed velut pro „ quodam adminiculo, ad facilius vincendum „ adverſa, & delectabilia contemnenda; & ſub „ conditione, ac indifferentia quadam, videli„ cet, committendo hoc voluntati divinæ, di„ cendo: non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis, „ Deus Pater ". Bloſius *in Inſt. ſpir. c.* 7 Admittit quidem, conſolationem ſenſibilen poſſe pie poſtulari, ſed pro incipientibus addit „ Aliqua tamen imperfectio in hujusmodi pe„ titione latet, quæ nonnihil germanæ abne„ gationi derogat. *Et in conclav. an. p.* 1. *c.* 15 *n.* 5. „ Propria, & impura quæſitio conjunct„ divinæ conſolationi, tanquam fœtidum ſter„ cus eſt, pretioſiſſimo balſamo permiſtum *Tertio.* Ratio eſt, quia devotio accidentalis e[illegible] ex illis gratiis ſuperabundantibus, quæ per ſ[illegible] quidem ad vitam ſpiritualem conducunt, ſicu[illegible] comedere cum appetitu conducit ad vitam co[illegible] poralem, ſed per accidens ſæpe eam denega[illegible] convenit, ſaltem ad tempus, ne in gulam vel luxuriam ſpiritualem degeneret; quema[illegible] modum etiam appetitus edendi in gulam tra[illegible] ſiens per inediam corrigitur: ergo ſolum ſ[illegible] conditione a Deo petenda eſt. (§. 39. *cu[illegible] Schol.*)

Sch[illegible]

Diſpoſitio ad devotionem accidentalem.

Schol. Dicta modo de devotione accidentali intelligenda ſunt, tam de affectiva ſimpliciter, ſeu ſpirituali, quam de devotione ſenſibili, ita tamen, ut majori conatu ſpiritualis procuranda ſit; ſenſibilis vero etiam, prout ad veram devotionem refertur, ex dictis ſub conditione petenda eſt, ſicuti ipſa Eccleſia in Miſſali inter collectas ad libitum unam pro petendis lachrymis præſcribit. Inter alias vero diſpoſitiones ad divinas conſolationes recipiendas, potiſſima eſt, privare ſe delectationibus carnalibus, uti ex S. Bernardo colligit S. Bonaventura collat. 6. *Renuat conſolari anima tua in alienis, ſi vis in Dei amore delectari. Delicata ſiquidem conſolatio eſt, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Cujus mens ad alienas inhiat conſolationes, & non penitus renuit in caducis, & tranſitoriis conſolari, ipſe ſibi profecto ſubtrahit cœleſtis gratiam conſolationis. Errat omnino, ſi quis cœleſtem illam dulcedinem huic carni, divinum illud balſamum huic veneno, chriſmata illa ſpiritus miſceri poſſe hujusmodi illecebris arbitratur.* Idem teſtatur S. Thereſia narrans in ſua vita c. 24. omnes ſuas conſolationes dependiſſe à facta abdicatione cujusdam conſolationis humanæ, ut ſibi videbatur, innocentis.

§. 73.

Scrupulus quid.

Alterum impedimentum, quod orationi vacantibus in via purgativa, ſeu incipientibus ſæpe occurrit, ſunt ſcrupuli. Eſt autem *ſcrupulus* ſuſpicio levis cum parvo fundamento, vel vanis apprehenſio alicubi eſſe peccatum, ubi non eſt.

Natura ſcrupuli explicatur.

Schol. 1. Scrupulus proprie dictus non conſiſtit in judicio ſaltem abſoluto, ſed in apprehenſione, quod tamen non obſtat, ne, licet irrationabiliter, in judicium, vel dubium proprie tale tranſire poſſit; & tunc eſt proprie conſcientia erronea, ſaltem negative, ſcilicet conſcientiæ rectæ excluſiva; ſi

vero ſiſtat in ſuſpicione, & apprehenſione, i
eſt conſcientia ſimpliciter, ſeu judicium practic
intellectus diſcernentis inter bonum, & malu
ſed ſolum ſecundum quid, ratione remorſus f
midoloſi, qui facit conſcientiam formidoloſa
licet abſolute contra ſcrupulum reſolutam. Qu
natura, & indoles ſcrupuli eſt, quod, licet n
dum ſit dubium proprium, & ſuſpenſivum, qua
quis ex defectu motivi prævalentis non poteſt
determinare ad aſſenſum abſolutum de licito,
illicito, ſed hinc inde fluctuat; imò licet non
moveat ſcrupulus aſſenſum prudentem de non p
cato, tamen formidine anxia vexat, ſi forte fu
vel eſt, aut erit peccatum, hoc vel illud feci
vel facere: unde metaphorice dicitur ſcrupul
eo quod vexet gradientem adinſtar lapilli,
ſcrupus, vel ſcrupulus dici ſolet, inter pedem,
calceum intruſi.

Scrupulus dividitur. *Schol.* 2. Scrupulum Valentia *t.* 2. *d.* 2. *q.* 14. div
in rationalem, & irrationalem. *Rationalis* eſt, qu
do motivum non quidem adeſt ad ſuſpendend
vel rejiciendum prudenter aſſenſum, eſt tamen
prudenter formidandum; tales ſunt actus reg
res prudentiæ, qui utpote ſolum opinativi,
probabiles, ſi præmiſſa debita diligentia prob
lius inveniri non poſſit, ſicuti prudenter reſolv
pro licito, ita prudenter etiam hanc formidin
fortaſſe fallor, admittunt. *Irrationalis* ſcrupu
eſt, quando motivum deeſt non modo ad ſuſp
dendum, vel rejiciendum aſſenſum, ſed etiam
prudenter formidandum. Talis ſcrupulus eſt
rebus fidei, quæ ſunt certiſſimæ: in rebus mo
liter certis, & in quibus, ſi formidetur, irra
nalis ſcrupulus eſt.

Res, circa quas ſcrupuli verſantur. *Schol.* 3. Scrupuli ſunt vel circa res *vitæ præteri*
v. g. an quis rite confeſſus fuerit, an debitum e
men præmiſerit; an aliquam circumſtantiam c
ſerit, an præteritæ confeſſiones validæ fuerint
contritio, & propoſitum ſufficiens tempore abſ

tionis adfuerit, an omnia peccata confeſſus fuerit &c. vel circa res *vitæ præſentis*, quæ præcipue conſiſtunt in quadam ſecreta perſuaſione de eo, quod tales ſcrupuloſi ſint in peccato mortali, vel operentur cum conſcientia peccati mortalis, v. g. ſi crucem ex paleis fortuito factam conculcant; ſi ad ictum caſualem oculi turpe objectum videant, quod eos ad malum provocat. Item an conſentiant, vel moroſæ turpi cogitationi inhæreant, an occaſionem alicujus damni temporalis, vel ſpiritualis proximo præbuerint; an actiones ſuæ indifferentes ſint peccata, an ſint rite baptizati, excommunicati, in ſtatu gratiæ: an præceptis Eccleſiæ jejunii, auditionis Miſſæ, recitationis horarum canonicarum ſatisfaciant, an Sacramenta rite adminiſtrent, aut conficiant, vel ſuſcipiant &c.

§. 74.

Cauſæ ſcrupulorum ſunt vel *intrinſecæ ex parte animæ* uti 1. Ignorantia, qua quis inter tentationem, & conſenſum neſcit diſcernere. 2. Occulta ſuperbia, & tenacitas judicii. 3. Nimia juſtitiæ divinæ apprehenſio, & modica in miſericordia divina confidentia. 4. Nimia ſollicitudo apparentiam peccati fugiendi, & plenam certitudinem habendi, quod hoc, vel illud non ſit peccatum. 5. Nimia auſteritas, & moroſa fuga omnis humanæ converſationis. *Cauſæ ſcrupulorum.*

Cauſæ *extrinſecæ ex parte animæ* ſunt 1. Permiſſio Dei. 2. Tentatio dœmonis. 3. Converſatio frequens cum ſcrupuloſis. 4. Lectio Moraliſtarum ſine diſcretione judicii.

Cauſæ ex *parte corporis* ſunt 1. Complexio frigida, & melancholica, & hypochondriaca. 2. Debilitas capitis.

Signa ſcrupuloſi. *Schol.* Ex his cognoſcere poſſumus, quinam revera ſint ſcrupuloſi. *Signa* eorum ſunt: 1. Pertinacia judicii. 2. Frequens ſententiæ mutatio ob leves rationes, & inconſtantia, ac perturbatio in agendo. 3. Reflexiones impertinentes innumerarum circumſtantiarum. 4. Timor peccati in actionibus etiam honeſtis. 5. Signa externa, motus, & geſtus ridiculi. 6. Perpetuus timor de recte facta confeſſione.

§. 75.

Remedia contra ſcrupulos. Primum contemptus. *Remedium* generale contra ſcrupulos irrationales eſt, quod ſint *contemnendi*. Probatur *primo* ex S. Scriptura 1. *Mach.* 2. *v.* 3. Judæi ex ſcrupulo obſervantiæ legalis maluerunt occidi a ſuis hoſtibus, die ſabbati prælium committentibus, quam ſe defendere: ſed *v.* 41. re melius conſiderata, ex conſilio Mathathiæ, ut Pontificis, cognoverunt, ſe ad hoc non ſolum non obligari, ſed melius fore, ſi ſcrupulo contempto præliando ſe defenderent. Item 1. *Cor.* 8. erant ſcrupuloſi fideles, qui edere non audebant idolothita, ſeu idolis imolata; ſed S. Apoſtoli reſolutio fuit, quod, niſi ſcandalum obſtaret, de cœtero hoc ut ſcrupulus contemnendum eſſet, & non illaqueanda conſcientia. Quod idem reſolvit *Rom.* 14. de ſcrupuloſis non audentibus comedere cibos lege prohibitos. Deinde *Eccl.* 37. *v.* 20. dicitur: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile.* Scrupulus autem neque eſt verbum mentis verax, ſed fallax, nec conſilium ſtabile, ſed inſtabile: ergo contemnendus. *Secundo.* Patres, uti notat R. ſignolius, vix de ſcrupulis meminerunt, ex forte ratione, quia olim ſeverior erat pœnite

tia ſatisfactoria, qua modo mitigata inimicus noſter magis audax evaſit, ut ſcrupulis conſcientias inquietet. Verum ſub aliis nominibus vel puſillanimitatis, vel anxietatis conſcientiarum, vel tentationum, aut ariditatum nos a Patribus de ſcrupulis contemnendis doceri ex decurſu patebit. *Tertio*. Patet ex *c. Per tuas* 35. de Simon. ubi pro caſu Monachi timentis in ſuſcepto ordine inferiori miniſtrare, & ad ſuperiorem aſcendere, ob ſuſpicionem ſimoniæ in Epiſcopo ordinante, *ex eo, quod habuerit conſcientiam nimis ſcrupuloſam*, ſupponit Innocentius III. quod poſſit, & expediat contemnere hunc *ſcrupuloſum errorem*. Deinde *c. Inquiſitioni*. 44. de ſent. excom. in caſu, quo conjux credit ſe habere impedimentum dirimens, diſtinguit Pontifex, & ſi quidem hanc conſcientiam habet ex levi, & temeraria credulitate, licite poteſt reddere, & exigere debitum conjugale, *conſcientia levis, & temerariæ credulitatis exploſa*. *Quarto*. Ratio eſt, quia in moralibus imprudentia eſt, quærere certitudinem mathematicam usque ad extinctionem omnis formidinis; quam Deus a nobis non requirit, nec etiam orantibus pro ea promiſit, & quæ proinde ſemper haberi non poteſt, quia, uti ait S. Thomas 2. 2. q. 47. a. 3. ad 3. *Infinitas ſingularium non poteſt ratione humana comprehendi: inde eſt, quod ſint incertæ providentiæ noſtræ Sap. 9.* Deinde etiam hæc certitudo non tam ex amore Dei, quam proprio a ſcrupuloſo quæritur, *in quo* menſuræ divinæ providentiæ ſe opponit, qui, ut nos in humilitate contineat, vult nos per hujusmodi incertitudines ducere, magis

 gis

gis amans, ut illi placeamus, quam ut hoc ſciamus, ſicuti notat S. Bonaventura in 1. d. 17. p. 1. a. 1. q. 3. ad 3. *Scire ſe habere charitatem non eſt neceſſarium ad ſalutem, ſed ſolum habere.* Denique ſcrupuli ſæpe conjiciunt ſcrupuloſos in perplexitatem, puſillanimitatem, triſtitiam, & ſubinde in perditionem. Hæcque eſt illa fraus, qua dœmon per peccati credulitatem nititur conſcientiam teneram facere teneriorem, & ad extremum anxietatis gradum deducere, quo miſere turbatam a profectu ſpirituali tandem dejiciat. Uti obſervat S. Ignatius in *ſuis Exer.* Ergo ſcrupulus irrationalis cum ſua formidine contemnendus eſt, ita, ut non obſtet, quominus quis in dictamine conſcientiæ, nullum prudenter peccatum, vel dubium de illo agnoſcentis, ſubſiſtat. Hinc bene monet S. Antoninus *p.* 1. *Sum. t.* 3. *c.* 10. §. 10. „Quia „ præcepta Dei, & Eccleſiæ non ſunt ad tol„ lendam omnem ſpiritualem dulcedinem, qua„ lis certe tollitur, quando nimis ſcrupuloſe „ & timide præcepta interpretantur . . . Et „ quia nec Deus, nec Eccleſia intendit ſuis „ præceptis aliquem obligare ad hoc, quod ſit „ fatuus; ideo, talia præcepta, loco, & tem„ pore non obligant, quibus eorum obſervan„ tia fieret ridiculoſa, ſaltem apud diſcretos „ & bonos viros“.

Applicatio dictorum ad exempla.

Schol. Ex his ſcrupuloſi illi, qui ex timore Dei reſolutiſſimi ſunt, non admittere ſcienter offenſam gravem, & tamen imprudenter de impletione ſuæ obligationis anguntur, ſe juvare poterunt. Et quidem, ſi ſcrupulis laborent in celebratione, vel auditione Miſſæ, recitatione horarum canonicarum

rum, pronuntiatione verborum in conſecratione, vel confectione Sacramentorum, quæ, majorem ſemper ſecuritatem quærendo, ſæpius repetunt, præter dicta (*Comp. Th. t.* 3. §. 896. *Schol.* 897. *Coroll.* 898. *Coroll.* 916. *Schol.* 917. *Coroll.* 1034. *Coroll.* 1185. *ſeq.*) cogitent, quod Gerſon tr. *de remed. puſill.* ait de ejusmodi repetentibus: „Contingere poteſt, ut, quantumcunque reiterent, id, „quod reiteratum eſt, fiat ita inſipidum, & quandoque plus, quam illud, quod prius negligen„ter, & inadvertenter fuit perſolutum". 2. Qui ſcrupuloſi ſunt circa uſum Sacramenti pœnitentiæ quoad dolorem, propoſitum, confeſſionem, obſervent dicta in *Comp. Th. t.* 3. §. 1057. *usque ad* §. 1070. nec confeſſiones generales, nec particulares crebro iterent. Aſſueſcant magis confidere in miſericordia Dei, qui Sacramentum hoc inſtituit, non in carnificinam conſcientiarum, ſed in natatoriam Siloe. 3. Qui ſcrupulis laborant circa tentationes laſcivas, blasphemas, contra fidem &c. audiant S. Bonaventuram l. 1. de prof. Rel. c. 2. *Tentationes contra fidem, & de ſpiritu blasphemiæ, & ſimiles, nec fugere poſſumus, nec repugnando vincere: quia quanto plus indignamur nobismetipſis, & diſputamus cum eis, tanto magis refricatur earum rabies, & accenditur. Sed nec curandæ ſunt, nec timendæ: tantummodo non conſentiatur eis, & patienter earum infeſtatio, quaſi quoddam diabolicum ſuſurrium, ſupportetur, quod aliter compeſci non poteſt.* 4. Qui anguntur de ſuo ſtatu gratiæ, de ſua prædeſtinatione, cum filiali fiducia in via mandatorum Dei pergant, eo ſecurius, quo liberius fatui hi timores contemnuntur, uti monet Gerſon *l. de mendic. ſpir. p.* 1. „Supervenit quan„doque in affectu motus cujusdam bonæ deſpe„rationis, dum conſiderans. quod vana ſpes eſt „hominis, in ſolum Deum ſe projicit, eique ſoli „finaliter, & principaliter inhæret".

§. 76.

Alterum remedium oratio.

Alterum remedium contra ſcrupulos eſt *oratio*, tam ex parte directoris: juxta illud a Chriſto Apoſtolis dictum, *Matth.* 17. *v.* 20. ubi ſermo eſt de lunatico, figura ſcrupuloſi: *Hoc genus non ejicitur, niſi per orationem, & jejunium.* Quam ex parte ſcrupuloſi juxta illud *Matth.* 14. *v.* 30. ubi cum S. Petrus coepiſſet mergi, clamavit dicens: *Domine ſalvum me fac;* quæ tempeſtas, & timor, Chriſtum ambulantem ſuper mare phantasma eſſe, ſcrupuloſos figurare poteſt; quibus proinde cavendum, ne illis accidat, quod dicitur, Pſ. 13. v. 5. *Deum non invocaverunt; illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

Qualis pro ſcrupuloſis præſcribenda.

Schol. Licet ſcrupuloſi ſibi ipſis relicti hoc orandi remedio parum, & male utantur; facile tamen inſtrui poſſunt, ut ex ipſa quaſi deſperatione in ſpem erecti ad Dominum confugiant, eorum adinſtar, qui in periculo mortis, vel naufragii verſantur: unde illis ſufficiet, ſi per preces jaculatorias ad Deum ſe convertant, & multum etiam proderit, orationem ſuam magis roborare per invocationem interceſſionis Bmæ. Virginis, SS. Patronorum, & eorum, qui in vita ſcrupulis probati fuerunt.

§. 77.

Tertium remedium mortificatio.

Tertium remedium eſt *mortificatio*, uti pa tet ex allegato textu *Matth.* 17. ubi nomi jejunii quælibet carnis afflictio, & mortificati in- & externa intelligitur, & quidem ex par directoris, ut ſe ad obtinendam hanc maxima Dei gratiam præparet de felici ſucceſſu in c ratione adeo difficili: & a fortiori ex part

ſcr

ſcrupuloſi, ut illi eo modo, quo debet, cooperetur.

Schol. In externa mortificatione, & carnis afflictione moderatio, & diſcretio ſervanda eſt cum ſcrupuloſo, tum ne afflicto addatur nova afflictio; tum ne ex nimia auſteritate debilitatis viribus, & capite, ſcrupuli augeantur, & ille reddatur puſillanimis: *c. non mediocriter* 23. de. conſecr. d. 5. Cavendum tamen, ne ſub hoc prætextu ad aliud extremum, abhorrendo omnem mortificationem, deveniatur, vitam mollem ſectando: hoc enim modo quis reluctaretur fini purgationis a Deo per hanc probationem intento; & ſane vita mollis ſæpe a Deo hoc modo punitur, ut qui negligit crucem mortificationis, acerbiorem crucem ſcrupulorum ſuſtineat. *Quomodo ea utendum.*

§. 78.

Quartum remedium eſt *cura puritatis conſcientiæ*, purgando eam, & purgatam conſervando ab omni eo, quod certo eſt peccatum, vel inductivum peccati. Nam Sap. 1. v. 4. *in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Ubi, ſecundum obſervationem Cornelii a Lapide, ſermo eſt de ſapientia practica, ſive de ratione, prudenter ſecundum Deum operandi, qua ſcrupuloſus maxime indiget, & qua ſæpe juſtiſſime privatur, ut, qui ſcienter non vult eſſe fidelis Deo in iis, quæ bene novit, ipſi diſplicere per defectus venialiter peccaminoſos, & craſſas tepiditates, paſſim umbras peccati mortalis offendat, & nec in Deo, nec in creaturis quietem, ſed inquietudinem inveniat: & quia ſolum a timore ſervili ducitur, decidit in timorem inordinatum peccati gravis, etiam ubi non *Quartum remedium puritas conſcientiæ.*

 eſt:

§. 80.

Sextum remedium agere contra ſcrupulum.

Sextum remedium eſt, ut ſcrupuloſus juxta Directoris inſtructionem contra ſcrupulum intrepide agat, eo vel contempto, ſi in mera apprehenſione, vel judicio abſoluto ſolum objective repræſentato, vel judicio ſubjective tali, ſed ſolum de modo v. g. *forte pecco*, *forte peccavi*, conſiſtat; ſive deinde ſcrupulus maneat, ſive non, inſiſtendo ſemper cœco, & habituali modo judicio abſoluto, quod non ſubſit peccatum, ſaltem, quia ſic director judicat: vel ſcrupulo depoſito, ſi tranſiit in judicium ſubjective abſolutum, vel in dubium proprium de peccato, ſimiliter ad mentem directoris. Atque hoc totum præcidendo ſtatim primam apprehenſionem pacato, vel, ſi cedere nolit, audaci animo. Huc ſpectare poteſt illud Iſ. 35. v. 3. *Confortate manus diſſolutas . . . Dicite puſillanimes: confortamini, & nolite timere.* Et Matth. 14. v. 17. *Habete fiduciam: ego ſum, nolite timere.* Uti enim notat Cajetanus, attentio ad ſcrupulum vitandum ſcrupulum parit. Quod autem ſcrupulus in dubium tranſiens deponendus ſit, patet *ex c. Per tuas.* de Simon. ubi expreſſe dicitur, quod quis non evaderet obligatus ex conſcientia erronea, licet ſcrupuloſa, *quam utique non evadet, niſi deponat errorem.* Cujus ratio eſt, quia ſi judicium de illicito eſt abſolutum, quantumvis ex levi ratione, eſt incompatibile cum judicio abſoluto conſcientiæ de licito, quod tamen omnino requiritur: ſi vero non ſit judicium abſolutum, ſed ſolum per ly *forte*, locus adhuc eſt judicio conſcien

ſcientiæ abſoluta de licito, ſive formido in contrarium ſit, ſive non.

Schol. Scrupuloſus in omnibus, ubi manifeſtum peccatum non apparet, directori ſuo obedire debet, qui director eum nunc leniter, nunc paulo ſeverius, nunc audiendo, nunc inauditum dimittendo; nunc rationem dando, nunc ſimpliciter reſolvendo, nunc inſtruendo, nunc non, pro qualitate circumſtantiarum: ſemper tamen eum benignitate materna erga filium delirantem, tractare debet. *Explicatur.*

§. 81.

Septimum remedium præſcribit S. Antoninus *p.* 1. *Summ. c.* 3. adducendo pro mitigatione ſcrupulorum ſeptem regulas Epikiæ, ſeu interpretationis verborum legis ſecundum æquitatem ad mentem legislatoris, quæ ſunt. 1. Cæteris paribus inter duram, & benignam ſententiam benigna potius interpretatio facienda eſt. 2. Cum nemo ad impoſſibile obligetur, intelligendum etiam eſt de vix poſſibili, aut nonniſi cum nimia difficultate. 3. Non obligant leges, & præcepta pro caſu, quo illorum obſervantia eſſet ridiculoſa penes diſcretos, & pios, quemadmodum nec votum de tali re obligat. 4. In dubiis vita bonorum, qui ſimul ſupponuntur bene ſcire ſcienda, & ſcrupulis non præpediuntur, ſumi poteſt in exemplum, & regulam. 5. Conſuetudo rationalis interpretatur, vel etiam tollit vim legis, præſertim poſitivæ humanæ. 6. Sine culpa gravi non incurritur excommunicatio, ſaltem in foro conſcientiæ. 7. Ratione gravis periculi, & ſecluſo contemptu, datur legitima a lege excuſatio. *Septimum remedium Epikia.*

Schol.

Quomodo Epikia utendum.

Schol. Pro recto uſu harum regularum, & hucusque dictorum notandum 1. omninó non probandum eſſe, quod aliqui docent, ſcilicet opiniones minus tutas, & laxiores licitas eſſe ſcrupuloſis: quia per hoc ſcrupuli magis augentur, & exacerbantur. 2. Scrupuloſus ſubinde aſtringi poteſt, ut præceptum vel modo ordinario impleat, vel omittat: quia vel timore majoris ſcrupuli ad juſtum deveniet, vel patebit, illum excuſari a præcepto propter irrationalem impletionis modum, & graviſſimum lædendi capitis periculum. Sic S. Ignatius ſcrupuloſo in perſolvendis horis Canonicis præcepit, ut ad metam deſignatam clepſydræ eas recitaret, omittendo, quæ tunc non dixiſſet, quo modo curatus fuit. *l.* 5. *vit. c.* 10. 3. Scrupuloſus metu conſentiendi in peccatum vexatus, moneatur, ne geſtu, vel verbis ſe defendat, v. g. agitando caput, dicendo, nolo &c. quæ ſunt exotica: ſed placide ſit quietus, agat, quod agit, aut ſi nihil agendum habeat, cogitet de re indifferenti, numeret v. g. feneſtras &c. nec magis curet, ſi tentatio urgeat, quid in hoc, vel illo caſu faceret: melius eſt enim, nihil nequidem mente reſpondere. Si tamen impetus tentationis ſit vehementior non reſponſioni adjungat preces jaculatorias v. g. *Deus in adjutorium meum intende &c.*

§. 82.

Scrupuli rationales non ſunt contemnendi.

Quæ hactenus de ſcrupulis dicta ſunt, ad ſcrupulos irrationales pertinent: *ſcrupuli* enim non ſunt *contemnendi,* ſi *rationales* (§. 73. *Sch.* 2.) inventi fuerint. Probatur *primo* ex S. Scriptura, in qua laudatur, velle non ſine aliqua ſcrupuli ſpecie legem Dei cuſtodire: Pſ. 111. v. 1. *Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus volet nimis.* Pſ. 118. v. 4. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Porro ex terminis Ly

nimis ſcrupulum ſignificat: ergo in aliquo vero ſenſu nimietas ſcrupuli, ſi rationalis ſit, ad cuſtodiendam Dei legem requiritur, ſicut monet Apoſtolus 1. Theſſal. 5. v. 21. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Secundo.* Patet ex *c. Ad ejus.* d. 5. ubi laudatur, ut bonarum mentium indicium, illic aliquo modo *culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt.* Ubi S. Gregorius reſpondet S. Auguſtino quærenti de fœminis timoratis in Anglia non audentibus ob fluxum menſtruum ad SS. Euchariſtiam accedere, eas quidem non teneri, abſtinere, *ſi autem ex veneratione magna percipere non præſumit, laudanda eſt.* Item in *Clem. Exivit.* de verb. ſignifi. Clemens V. declarans quædam dubia in regula Minorum ait: *Quia plerumque, ubi culpa non eſt, eam timere ſolent conſcientiæ timoratæ, quæ in via Dei quodcumque dubium expaveſcunt . . . Attendentes, quod in iis, quæ animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graves remorſus conſcientiæ pars ſecurior eſt tenenda* &c. Ergo dantur ſcrupuli rationales non contemnendi. *Tertio.* Ratio eſt, quia ſcrupuli rationales ſunt remorſus conſcientiæ per ſynderesin, fidem, aut leges, vel divinas inſpirationes a peccato dehortantes: ergo non ſunt contemnendi, uti enim ait S. Gregorius l. 15. Mor. c. 25. *qui, ut neſciat, aurem a voce veritatis avertit, iſte non neſciens, ſed contemptor dicitur.* Deinde datur conſcientia ſcrupuloſa ſimul, & laxa, in qua ingens eſt periculum, ſi ſcrupuli facile contemnantur, contemnendi peccata gravia, cum ejusmodi ſcrupuloſi ſimiles ſint ſcribis, & Phariſæis, qui erant *excolantes culicem, camelum autem deglutientes.*

Matth. 23.

Matth. 23. v. 24. Rurſus, ſi omnes ſcrupuli indiſcriminatim contemnantur, periculum eſt, ne timorati cum ſcrupuloſis confundantur, & conſcientia tenera cum ſcrupuloſa, adeoque ſub titulo contemnendi ſcrupulos contemneretur ipſa chriſtiana perfectio, quæ in rationali ſimietate ſita eſt. Unde ſæpe male illi ſcrupuloſi vocantur, qui vere Deum timentes, & amantes, venialia, & imperfectiones, quantum poſſunt, vitare ſtudent: hi enim ſunt boni, & timorati, qui etiam conſilia ex amore filiali, & tranquilla ſollicitudine ſectantur: cum econtra ſcrupuloſi in tenebris, amore proprio, timore ſervili, & inquieta puſillanimitate verſentur, & quia ſolum peccatum grave vitare volunt, anguntur ſcrupulis, a quibus perfectioni ſtudentes ſæpius ſolum ad augendum meritum infeſtantur, nec facile, uti ſcrupulos ſine diſcrimine contemnentes, ad laxitates deſcendunt.

Corollaria practica.

Schol. Ex his fluit 1. quod licet uſus confeſſionis generalis importunus ſæpe gignat ſcrupulos vere tales, & contemnendos, tamen ejusmodi confeſſio ſemel ſaltem in juventute facienda, non tantum ſæpe neceſſaria eſt, ſed fere ſemper ad ſedandos ſcrupulos forte rationales, & non contemnendos utilis eſt: quia pueritia communiter in peccati minus forte excuſabilibus, & vix per Sacrament deletis, tranſigitur. 2. Licet repetitio confeſſionum particularium, dolor, & propoſitum, ſecut emendatione, confeſſio peccatorum ſincere facta, perſolutio devota pœnitentiæ injunctæ gener ſubinde ſcrupulos irrationales contemnendos. vero ſcrupuli circa neglectam frequentiam Sacramenti pœnitentiæ, dolor, & propoſitum ſi emendatione, confeſſio obiter ſine debito exami

peract

peracta, vel a Confeſſario ſine debitis quæſtionibus deproperata, ſatisfactio luride perſoluta, vel incompetens a Confeſſario injuncta ſcrupulos rationales non contemnendos generare poterunt. 3. Similiter in ordine ad celebrationem, & ſumptionem SS. Euchariſtiæ, licet contemnendi ſint ſcrupuli irrationales, retrahentes a frequenti, & devoto ejus uſu; non tamen contemnendi ſunt, qui monent ſancta ſancte tractanda, & non depropera nda eſſe. 4. Eodem modo non contemnendi ſunt ſcrupuli, qui nos ad perfecte ſatisfaciendum obligationibus ſtatus noſtri, & vitanda peccata, quorum occaſiones in eo frequentiores ſunt, adhortantur, v. g. ad perſolvendas rite horas canonicas, vota Religioſa exacte obſervanda, præcepta Eccleſiæ perfecte implenda, detractiones vitandas, periculoſa conſortia vitanda &c. in quibus plerumque ſcrupuli rationales occurrunt.

§. 83.

Regula pro ſcrupulo rationali.

Ut autem ſciatur, quomodo quis cum ſcrupulis rationalibus non contemnendis gerere ſe debeat, ſequentes *regulæ* obſervandæ ſunt.

I. Quando parum, aut nihil refert, quod res ſic, vel aliter fiat, tunc quidquid nimis ſubtiliter ſcrupulus reclamet, faciat quisque ſine ulteriori conſilio, vel inquiſitione, quod prima fronte ſibi bonum, aut melius repræſentatur. Ita S. Thomas 1. 2. *q.* 14. *a.* 4. dans rationem: *quia non multum refert, utrum ſic, vel ſic fiat: & iſta ſunt minima, quæ parum adjuvant, vel impediunt reſpectu finis conſequendi: quod autem parum eſt, quaſi nihil accipit ratio.* Ita etiam S. Salesius *l.* 8. *de am. c.* 14.

II. Quando agitur de re alicujus momenti, ſive ad legem Dei præceptivam in parvo, vel mi-

minimo obſervandam, ſive ad perfectionem promovendam, tunc tantisper audiendus eſt ſcrupulus rationalis, usque dum præmiſſa pro ratione materiæ majori, vel minori conſultatione ſatis innoteſcat id, ad quod tenemur, vel ſaltem quod expediat. Ita iterum S. Thomas *l. c. art.* 1. *&* 3. & S. Saleſius, qui monet: „ Accipiendum conſilium a directore noſtræ „ conſcientiæ, adhibitis etiam, ſi libuerit, „ duobus, aut tribus viris non mediocriter „ verſatis in rebus ſpiritualibus ". Quippe ſine hac conſultatione facile fit, quod culpabiliter contemnatur ſcrupulus, qui non deberet contemni: unde gignuntur ignorantiæ vincibiles, quæ non excuſant.

III. Præmiſſo hoc examine, ſi ſcrupulus maneat, & adhuc gignat prudentem formidinem, *forte fallor*, ſubinde poſthaberi poteſt in rebus, ubi conjecturalis, vel probabilis certitudo, vel ſolum haberi poteſt, vel non obſtat prudenti reſolutioni de licito, v. g. de ſtatu gratiæ, & ſufficienti diſpoſitione ad recipienda Sacramenta, quæ ob Ly *fortaſſis fallor*, non ſunt prætereunda. Sæpe vero non eſt contemnendus, ſi nimirum aliunde expediat facere, quod dictat ſcrupulus; uti faciendum eſt ſi non ſit res obligatoria, ſed ſaltem ut conferens ad perfectionem, & majorem præcepti reverentiam: imo ſi nec animi perturbatio, nec alia cauſa contrarium ſuadeant, vix operans contra talem ſcrupulum a veniali excuſabitur v. g. ſi in die jejunii urgente rationali ſcrupulo eum contemnendo ſine cauſa a potu chocolata non abſtineat.

IV

IV. Faciliori examine præmiſſo, circa id, quod expedit, facilius, & utilius procedent tam ſcrupuloſi, quam alii, ſi eligant magis expediens ad perfectionem, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 10. v. 22. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* In cujus confirmationem Cornelius a Lapide allegat illud. Clementis Alex. l. 3. ſtrom. *Qui faciunt, quidquid licet, facile dilabuntur, ut faciant, quod non licet.* Et S. Gregorius *l.* 5. *Mor. c.* 8. ait: *Solus in illicitis non cadit, qui ſe aliquando & a licitis caute reſtringit.* Hoc item modo dubiis, & ſcrupulis via facile præcluditur.

V. Eodem modo tam ſcrupuloſi, quam alii curare debent, ut in electione opinionum probabilium eligant id, quod magis conducit ad perfectionem. Regula hæc deſumitur ex *c. Juvenis.* de ſponſ. *In dubiis tutior pars eſt eligenda;* quod in ſcrupulo rationali maxime pro illo, qui Deo ut optimo amico, liberaliſſimo Domino, amandiſſimo ſponſo unice placere cupit, præcipue tenet: quia illa ſententia, quod liceat ſequi probabilem, & minus tutam in concurſu probabilioris, & tutioris, nedum certa non eſt, ſed a pluribus falſa reputatur. Unde S. Joannes a Cruce *in Sent. ſpir. ſent.* 72. ait: „ Si quis niteretur perſuadere tibi, aliquam „ laxiorem doctrinam, non credas illi, quan„ tumvis illam videres miraculis confirman„ tem; ſed crede potius doctrinæ auſteritatis, „ pœnitentiæ, & rerum omnium ſpoliationi".

VI. Non modo alienum a perfectione, ſed etiam immune a culpa non videtur, dirigere

ſcrupuloſos, ſive alios ſecundum opinionem æque, vel minus probabilem, ſimulque minus tutam reſpective de peccato gravi, & levi. Cum enim de hoc adhuc inter Theologos lis ſit:. (*Comp. Th. t.* 2. §. 449. *cum Sch.*) requiritur ſufficiens diligentia, pro faciendo recto dictamine reflexo de probabili, & minus tuta ſententia tanquam licita ſequenda, quam pauci adhibent, & qua etiam adhibita vix tale dictamen ſecure fieri poteſt. Deinde minus probabile in concurſu magis probabilis, huic in electione præferri nequit, ſi enim hoc fiat, quia eſt probabile, æque, vel magis probabile eſt oppoſitum; qua ratione ergo illi præfertur? Rurſus opinio, tutior & probabilior de licito eſt plusquam ſcrupulus, & rationabiliter dictat non ſolum, *forte non licet*, ſed abſolute, *non licet*, ergo prudenter contemni nequit: præſertim, quia opinio minus tuta, & minus probabilis ad ſummum ſolum rationabiliter dictat, *forte licet*, quod nequit fundare conſcientiam prudentem, ſed temerariam de licito.

Adhortatio ad directorem ſcrupuloſi.

Coroll. 1. Curet ergo director ſpiritualis, ut ſcrupuloſum conſoletur, ſed cum magna diſcretione ſecundum conſilium Gerſonis *tr. de Sollic. Eccl. partit.* 13. 14. 15. ita ut non ſolum per regulas generales, & proverbiales procedat, nec ad ſola ſingularia reſpiciat, neſciens ea reſolvere in ſua principia, ſed qui utrumque circumſpecte præſtare valeat. Nec ſit, ut medicus imperitus, qui eadem medicina pro omnibus morbis utitur, ſed circumſtantias bene attendat, ut modo affirmet, modo neget cum ſana ratione, licet ratio diſparitatis non facile appareat, eo modo, quo in Evangelio docemur, opera bona manifeſtare, & non manifeſtare. „ Et quo„ niam

„ niam rariſſimi ſunt tales circumſpecti, requiri-
„ tur enim cum eruditione longus experientiæ
„ uſus, non expedit paſſim ab omnibus quærere
„ ſolidum pro moralibus conſilium; neque ſimili-
„ ter præſumere illud dare quisque debet, præſer-
„ tim non habita cum ſuis circumſtantiis omnibus
„ vera caſus forma, qui quæritur". Præterea director ſcrupuloſum benigne, & cum charitate tractet, ſed iterum cum magna diſcretione; unde ſicuti in ſcrupulis irrationalibus non perſona, ſed ſcrupuli contemnendi ſunt; ita in ſcrupulis rationalibus de licito juſte judicare debet, & juxta Bellarminum *in append. ad opuſc. de Princ. Chriſt.* „Si
„ quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare, is
„ omnino debet certam veritatem inquirere . . .
„ Et ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum appa-
„ rere, debet omnino tutiorem partem ſequi". Nec ſola diſcretio in his erga ſcrupuloſos tenenda eſt, ſed in multis aliis cum zelo, ut proficiant, quod obtinebit director, ſi bene perpendat, quis vere ſit ſcrupuloſus, quis non; quinam ſit veri ſcrupuli, quinam non, & ſi fere in omnibus non tam ſcrupulos elevet, quam bene temperatos in ſuo proprio loco collocet: nempe ſi fortiter, & ſuaviter inducat ſcrupuloſum, ut contemptis inanitatibus non contemnat peccata tam gravia, quam levia, & leviſſima, & animo pacato ad perfectiora contendat.

Adhortatio ad ſcrupuloſos.

Corollar. 2. Scrupuloſus item ſolidam conſolationem inveniet, ſi eum humili docilitate, & ſeria proficiendi voluntate, & fiducia in Deum apud optimum directorem eam quærat. Quærenda eſt autem hæc conſolatio non in evacuando timore, ſed eum cum ſpe contemperando, nec in contemnendo omnes ſcrupulos, ſed eos in zelo proficiendi non ex nimio timore peccati, ſed amore majoris Dei beneplaciti collocando. *Non timeant*, ait S. Auguſtinus in Pſ. 138. v. 16. *Imperfecti, tantum proficiant: nec quia dixi, non timeant, ament imperfectionem, & ibi remaneant, ubi inventi ſunt;*

tantum proficiant, quantum in ipſis eſt. Si enim hoc non faciant, & ſolum peccatum mortale fugere velint, ſive laborent ſcrupulis contemnendis, ſive non, de hoc ipſo facere ſibi debent ſcrupulos maxime rationabiles: nec excuſat eos, ſi quærant directorem, qui eos ex hoc ſtatu educere non curet, de qua conniventia ſemibonorum Confeſſariorum conqueritur S. Thereſia *c.* 5. *vitæ*, qui „ quod erat peccatum veniale, dicebant mihi nullum eſſe peccatum, quod erat mortale graviſſimum, dicebant eſſe veniale. Hoc mihi tantum „ damni fecit, ut ſuperfluum non ſit, hic illud „ enarrare ad aliarum præcautionem in re ita gravi; nam coram Deo, ut bene video, excuſatio „ non erat: ſi quidem ſufficiebat, quod res eſſent „ naturaj ſua non bonæ, ut ab his abſtinerem. „ Credo Deum ob peccata mea permiſiſſe, quod „ illi ſeducerentur, & ſeducerent me, atque ſeducerem etiam ego multas alias, dicendo illis, „ quod mihi dictum erat". Tremenda Theologia de ignorantiis ſæpe vincibilibus. Quia vero vel ex, vel ſine noſtra culpa non eſt in poteſtate directoris ſemper, ut ſcrupulis medeatur, non eſt cadendum animo, ſed cum reſignatione crux iſta, licet pro culpa propria, in ſpe ſuſtinenda eſt, usque dum Deus provideat.

§. 84.

Mortificatio quid. Præter orationem, de qua, ejusque impedimentis hucusque egimus, ad tendendum ad perfectionem chriſtianam, maxime in via purgativa pro incipientibus, ſecundum medium eſt *mortificatio*, quæ eſt quodlibet opus pœnale, quod libere facimus, vel patimur, ut mortui vitæ pravæ bene de novo vivamus.

Explicatur. *Schol.* I. Mortificatio dicitur I. opus, ſeu exercitium actuale potius, quam habitus: quia ſpecies mortis, quam

quam inducit, unde etiam mortificatio dicitur, in exercitio bene vivendi cum excluſione exercitii, male vivendi, conſiſtit. Dicitur 2. opus pœnale quodcunque illud ſit, dummodo libere fiat, vel acceptetur; nam mori, vel vitam vitioſe actam tollere, non ſit ſine pœna: nec fit virtuoſe, niſi fiat libere; ſive quatenus voluntarie quis eligit, aut acceptat id, quo usque ad mortem vitæ male actæ, & inductionem vitæ perfectæ cruciatur. Hic enim eſt finis mortificationis: quia alias eligere, vel pati talem pœnam, indifferens, vel pravum opus foret.

Varia ejus nomina. Schol. 2. Mortificatio variis nominibus in S. Scriptura exprimitur. Dicitur 1. *Mortificatio.* 2. *Cor.* 4. *v.* 10. Dicitur 2. *Diſciplina. Sap.* 3. *v.* 11. Dicitur 3. *Abnegatio, & crux. Matth.* 16. *v.* 24. Dicitur 4. *Jejunium. Iſ.* 58. *v.* 6. Dicitur 5. *Circumciſio. Coloſſ.* 2. *v.* 11. Dicitur 6. *Hoſtia. Rom.* 12. *v.* 1.

Mortificatio eſt virtus. Schol. 3. Mortificatio eſt virtus ad temperantiam in genere acceptam, refrænantem omnes cupiditates, ut pars ejus potentialis, reductive ſpectans, quia retrahit ab inordinatis appetitibus; & quia impellit etiam contra inordinatos timores, etiam naturam fortitudinis in communi participat: & quia hæc fortitudo exercetur, tam ſuſtinendo, quam aggrediendo, id eſt, tam voluntarie pœnalia, & appetitui contraria eligendo, quam voluntarie illa acceptando, ex fine purgandi, & purificandi animam, ideo Aſcetæ duas purgandi vias diſtinguunt, *Diviſio mortificationis.* activam, quæ eſt magis propria incipientium; & paſſivam, propriam proficientium, & unioni perfectæ proximorum: utramque autem viam ſubdividunt, in *interiorem*, quæ ſenſus, & potentias internas; & *exteriorem*, quæ ſenſus externos refrænat: juxta illud 2. Cor. 4. v. 16. *Licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem.* Secundam hanc diviſionem, etiam homo diſtinguitur in interiorem, & exteriorem, & pro interiori contra exteriorem

 ſem-

ſemper pugnat mortificatio, juxta illud Gal. 5. v. 17. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum.* Rom. 7. v. 22. *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.*

§. 85.

Mortificatio eſt neceſſaria.

Mortificatio in aliquo gradu non modo conducit, ſed etiam *neceſſaria eſt*, ad vitam non tantum perfectam, ſed & *chriſtianam.* Probatur *primo* ex S. Scriptura, ubi Chriſtus *Matth.* 16. *v.* 14. non ſolum ad diſcipulos, ſed ad omnes, uti patet *Luc.* 9. *v.* 23. ait: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum.* Ergo quia nonniſi eundo poſt Chriſtum ſalus obtinetur, ad eam abnegatio, ſeu mortificatio requiritur. Uti enim *ſecundo* inter alios PP. notat S. Chryſoſtomus hom. 56. *Sic igitur Chriſtus; non dixit tamen non parcas, ſed ſignificantius ac expreſſius: denega te ipſum . . . certaminibus te offer, & quaſi alius patiatur, ſic afficiare. Non dixit, neget, ſed abneget, ut hac adjunctiuncula plurimum agat, cum abnegare multo plus, quam negare profecto ſit.* Et S. Baſilius *in reg. fuſior. interr.* 8. Ut omnibus præceptum accipit, renuntiare ſua, & ſe, & omnibus affectionibus carnis, & mundanis, imo ipſi vitæ, in quantum *perfectioni Evangelii ſalutis adverſantur . . . & pietatis ſtudium valeant impedire. Tertio. Manere in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc ſancta Synodus* (Tridentina ſeſſ. 5. can. 5.) *fatetur, & ſentit: quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed utiliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus, non valeat; quinimo*

qui

qui legitime certaverit, coronabitur. Ergo ut per gratiam in Baptismo ſuſceptam demum coronemur, opus eſt, per totum vitæ agonem legitime contra concupiſcentiam, & fomitem, hoſtem noſtrum internum, certare, illi non conſentire, arma illi non cedere, ſed fortiter repugnare, quæ eſt ipſiſſima a Chriſto præcepta abnegatio, & mortificatio, quam S. Paulus *Coloſſ.* 2. *v.* 11. ſub nomine circumciſionis: *in circumciſione Chriſti*, proponit. *Quarto.* Neceſſitatem mortificationis probat ſatisfactio pro peccatis noſtris perſonalibus Deo præſtanda, quæ juxta idem Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8. *non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem:* ſine qua homo inferior, ſeu exterior contra ſuperiorem, & interiorem continuo pugnans vinci non poterit. *Quinto.* Id probant vitia, paſſiones, ſenſus, & potentiæ, tentationesque intra, & extra, tam in corpore, quam in anima contra nosmetipſos inceſſanter pugnantes, quæ ſine mortificatione vinci non poterunt, uti ex dicendis patebit; ſicuti etiam eadem ad exercenda bona opera, virtutesque implantandas requiritur; *Hic namque eſt gladius*, ait Abbas Pynuphius apud Caſſianum collat. 20. c. 8. *qui illum noxium ſanguinem, quo animatur materia peccatorum, ſalubriter fundens, quidquid repererit in membris noſtris carnale, terrenumue concretum reſecat, & abſcindit, ac mortificatos vitiis vivere Deo, & ſpiritualibus facit vigere virtutibus.*

Quomodo mortificatio eſt neceſſaria.

Schol. Dictum eſt mortificationem eſſe neceſſariam omnibus in aliquo gradu, qui etſi in individuo omnino

nino determinari non poſſit, eſt tamen in genere ille, quo aliquis diſponatur ad obſervandum maximum præceptum amoris Dei ſuper omnia, & reliqua mandata tum actu ſuis temporibus, tum habitu in præparatione animi. Et quia huic obſervationi nihil magis obeſt, quam concupiſcentia, vitia, paſſiones & tentationes, mortificatio hæc omnia refrænans, ne contra obſervantiam legi Dei debitam prædominetur, omnibus eſt neceſſaria.

§. 86.

Mortificatio ultra obligationem ſtrictam extendenda eſt.

Mortificationi autem eo magis aſſidue, diligenter, & exacte, ultra metas *ſtrictæ obligationis*, inſiſtendum eſt, quo magis de vita ſufficienter chriſtiana certi eſſe, & magis proficere, & ad perfectionem tendere volumus. Probat hoc præter probationes §. præc. allatas S. Scriptura Luc. 9. v. 23. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Et 2. Cor. 4. v. 10. *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes.* Ubi notandi ſunt termini *quotidie*, *ſemper*, qui aſſiduam mortificationem commendant. Unde *ſecundo* eam etiam PP. inculcant: S. Hieronymus in c. 10. Matth. *ne ſemel putemus . . . poſſe ſufficere, ſemper crux portanda eſt; ut ſemper nos Chriſtum amare doceamus.* Et S. Auguſtinus ſerm. 20. de temp. c. 2. *Inter omnia Chriſtianorum certamina ſola duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, & rara victoria.* *Tertio.* Tepiditas eſt fugienda: (§. 30.) & ad perfectionem chriſtianam omnes tendere tenentur: (§. 19. *ſeq.*) ſed hæc ſine mortificatione præſtari non poſſunt, nam juxta lib. de imit. Chriſti. *Tantum proficies, quantum*

tibi

tibi ipſi vim intuleris; ergo etiam mortificatio eſt neceſſaria. *Quarto.* Oratio tum vocalis, tum mentalis eſt medium neceſſarium ad perfectionem: (§. 33. *ſeq.*) Ergo etiam aſſidua mortificatio, quia ſine hac oratio attenta, devota, & fructuoſa non erit, cum omnia hæc ſine mortificatione non obtineantur. (§. 44. *ſeq.* 67. *ſeq.*) Unde etiam in S. Scriptura *oratio cum jejunio* Tob. 12. v. 8. & *Matth.* 17. *v.* 20. commendatur: nam uti S. Bernardus *ſerm.* 4. *in Quadrag.* ait: *Jejunium orationi devotionem, & fiduciam donat . . . Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium gratiam promeretur orandi.* Unde etiam idem S. P. mortificationem magis perfectam *ſerm.* 7. *Quadr.* dividit in illam peregrini alicujus, juxta illud 1. Pet. 2. v. 11. *obſecro vos tanquam advenas, & peregrinos abſtinere a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.* Mortui, juxta illud Coloſſ. 3. v. 3. *Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.* Et crucifixi, juxta illud. Gal. 6. v. 14. *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce D. N. J. C. per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Juxta quæ S. P. ſubdit: „ Peregrinus, ſi prudens eſt, & non obliviſcitur ſuæ peregrinationis, licet cum labore, tranſit, & non magnopere ſæcularibus implicatur. Mortuus æque blanda hujus ſæculi, ſicut aſpera ſpernit. Qui vero raptus eſt usque ad tertium cœlum, crux illi eſt omne, cui mundus inhæret, & his adhæret, quæ mundo crux eſſe videntur". Et *ſerm.* 30. *in Cant.* jugem hanc mortificationem genus martyrii eſſe dicit: „ illo, quo membra cæduntur ferro, „ hor-

„ horrore quidem mitius, ſed diuturnitate
„ moleſtius “.

Gradus mortificationis.

Schol. 1. Mortificationi multipliciter incumbendum eſt, ſi ſerio ad perfectionem tendere velimus. *Primo* enim diligenter mortificare nos debemus ad vitanda peccata gravia Rom. 8. v. 13. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* *Secundo* ad vitanda etiam venialia, ad præcavenda ſecurius mortalia; ſicuti Nazaræis omne, quod inebriare poteſt, *usque ad acinum* Num. 6. v. 4. prohibebatur. *Tertio.* Ut a rebus etiam licitis amore Dei abſtineamus: uti David fecit 2. *Reg.* 23. *v.* 16. quando aquam ſibi ſitienti allatam *noluit bibere, ſed libavit eam Domino.* *Quarto.* Tum ſponte utendo macerationibus voluntariis, jejuniis, ciliciis &c. tum ſponte acceptando adverſa, undecunque proveniant, uti ægritudines, tentationes &c. qua ratione Chriſtus S. Petro dixit Joan. 21. v. 18. *Cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis.*

Mortificatio omnibus neceſſaria.

Schol. 2. In nullo igitur ſtatu ſine aſſidua mortificatione perfectio chriſtiana acquiri poteſt. Quippe pro ſæcularibus, & uxoratis eam inculcat Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 29. *Qui habent uxores, tanquam non habentes ſint; & qui flent tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Quæ eſt abrenuntiatio illa, quam omnes in Baptismo fecerunt, & abnegatio, ſeu mortificatio reſecans ſuperflua, & ferens æquanimiter contraria. Hoc item multo magis requiritur in Religioſis, qui in effectu mundum reliquerunt, ſed non ſufficienter, niſi etiam per omnimodam ſui abnegationem in affectu relinquant. Juxta illud Luc. 14. v. 33. *Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ex cujus conſiderationis defectu

fectu errant illi Religioſi, qui cum in mundo opulenta, & eximia reliquerint, in clauſtro pro ſcalpello, aliisque ejusmodi minutiis commoventur. Eodem modo ſinguli vitæ chriſtianæ gradus incipientium, proficientium, & perfectorum mortificatione indigent, qua tum purgentur a vitiis, & peccatis, tum ad comparandas virtutes illuminentur, & Deo uniantur; nam omnis perfectio in quocunque gradu in correſpondente gradu charitatis conſiſtit, quæ eo magis creſcit, quo magis cupiditas per mortificationem minuitur: nam *nutrimentum charitatis*, teſte S. Auguſtino l. 83. quæſt. in 36. poſt init. *eſt imminutio cupiditatis.* Nec titulo acquiſitæ perfectionis excuſatur quis a labore, minuendi cupiditates, ac active, & paſſive ſe purgandi, quia *Joan.* 15. *v.* 2. Dominus dicens, ſe eſſe vitem, Patrem agricolam, & juſtos palmites, ſubdit: *omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Ubi S. Thomas *lect.* 1. ſubdit: „ Etiamſi purus exiſtat: quia nullus eſt adeo „ purus in hac vita, ut non ſit magis, magisque „ purgandus“. Nam uti notat S. Bernardus *ſerm.* 58. *in Cant.* „ Credite mihi, & putata re„ pullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur „ extincta, & ſopita denuo excitantur. Parum „ eſt ergo ſemel putaſſe, ſæpe putandum eſt, imo „ ſi fieri poſſit, ſemper: quia ſemper, quod puta„ ri oporteat, ſi non diſſimulas, invenis. Quan„ tumlibet in hoc corpore manens profeceris, er„ ras, ſi vitia putas emortua, & non magis ſup„ preſſa“.

§. 87.

A mortificatione in genere ad mortificationem in ſpecie progredimur, & quidem primo ad *internam*, quæ ſenſus, & potentias internas, ſcilicet malos vitiorum habitus, paſſiones, memoriam, intellectum, & voluntatem refrænat. *Mortificatio interna quid.*

§. 88.

§. 88.

Mortificandi mali vitiorum habitus.

Primo igitur, quia per frequentatos actus peccaminoſos mali *habitus vitiorum* in nobis generati fuerunt, ad peccandum nos diſponentes, & inclinantes, cum conſuetudo ſit altera natura, allaborandum eſt, ut præfati *mali*, & *vitioſi habitus mortificentur*, & funditus extirpentur. Probant hoc omnes rationes, quas pro fugiendo peccato mortali, (§. 28.) veniali, (§. 29) & tepore, (§. 30.) & in duobus §§. præcedentibus (86. 87.) attulimus: quibus hæc etiam ratio accedit, quod in horto animæ noſtræ non poſſint implantari virtutum germina, niſi prius extirpata fuerint vitiorum zizania; unde etiam Deus Jeremiam monuit, Jer. 1. *ut evellat*, & *deſtruat*, & *diſperdat*, & *diſſipet*: & poſtea modo, *ut ædificet*, & *plantet*.

Extirpatio vitiorum capitalium.

Schol. Cum ſeptem peccata capitalia ſint veluti radices omnium aliorum peccatorum, contra ea ab initio converſionis mortificationis gladius in nomine Domini ſtringendus eſt: quia illis extirpatis, alia vitiorum germina ex iisdem pullulantia conſequenter evellentur. Motiva autem illa mortificandi, & extirpandi, & actus, quibus extirpantur, inter alios Aſcetas videri poſſunt apud P. Joannem a Jeſu Maria *in inſtr. Nov. c.* 21. Et P. Kazenberger *in ſcient. ſal. p.* 2. *c.* 2. & *ſeq.* Generalia remedia pro iis mortificandis inferius aſſignabuntur.

§. 89.

Paſſio quid.

Ad eradicandos pravos vitiorum habitus neceſſaria eſt mortificatio paſſionum. Eſt autem *paſſio* affectus, ſeu appetitus ſenſitivus vehe

vehementior cum extraordinaria humorum commotione in corpore conjunctus.

Schol. 1. Cum bonum nobis repræſentamus, aut ope ſenſuum, & imaginationis confuſe illud nobis ſiſtimus; aut ope intellectus diſtincte nobis exhibemus. Appetitus ille, ſeu conatus ad bonum conſequendum, & eo fruendum, qui ex repræſentationibus ſenſuum confuſis oritur, vocatur *appetitus ſenſitivus*, qui autem ex diſtinctis, & ope intellectus formatis repræſentationibus originem ſuam trahit, dicitur *appetitus rationalis:* & eodem modo circa malum ſe habet *averſatio*, ſeu niſus, & conatus malum fugiendi, & abigendi. Appetitus ſenſitivus fit vehementior, ſi ſenſuum, & imaginationis ope plura nobis bona repræſentantur, & tunc, ſi cum extraordinario, vel vehementiori corporis motu conjungatur, dicitur *paſſio*, vel ſi cum nonnullis modernis philoſophari ſubtiliter velis, vocatur *Affectus*, qui ſi ita invaleſcat, ut quacunque ex cauſa etiam leviſſima excitetur, *paſſio* appellatur: motus autem dicti vehementiores in corpore, ex vehementiori humorum, ſcilicet ſanguinis, cholerae, phlegmatis, & melancholiæ commotione oriuntur. *Explicatur.*

Schol. 2. Omnis affectus, & paſſio, vel in voluptate, vel tædio conſiſtit. Quippe anima boni, vel mali perceptione mutatur, & afficitur, quæ mutatio *animi motio* a Philoſophis vocatur; hæc ſi jucunda ſit ex bono obtento, vel obtinendo orta, *voluptas* dicitur, & quidem ſi bonum verum bonum fuerit, *voluptas vera*, ſi apparens, *voluptas apparens:* ſi vero mutatio moleſta fuerit, ex boni jactura, vel malo illato, vel inferendo nata, *tædium* vocatur, quod iterum pro ratione mali veri, vel apparentis, verum, vel apparens dici poteſt. Status vero in quo tunc animus verſatur, gaudium, vel triſtitia a Philoſophis modernis appellari ſolet. *Paſſionum natura.*

Schol. 3.

Paſſionum diviſio. *Schol.* 3. Paſſiones proprie tales in ſolo appetitu ſenſitivo reſident, & vocantur ideo paſſiones, quia ex modo dictis naturaliter ex apprehenſione objecti con-vel diſconvenientis, præſentis, abſentis, vel imminentis absque voluntatis imperio ante ipſius liberum conſenſum, quandoque & ipſa repugnante, in appetitu ſenſitivo oriuntur, & conſequenter magis illas patimur, quam per ipſas agimus. Appetitivum ſenſitivum Theologi myſtici in duas partes dividunt. Prima eſt *concupiſcibilis*, quæ bonum appetit, & ad illud conſequendum, vel eo obtento, fruendum fertur, & conſequenter etiam malum averſatur: diciturque ab illis in corde reſidere, eoquod humores, & potiſſimum ſanguis, illi correſpondentes vehementiores in corde motus, & mutationes producant. *Paſſiones partis concupiſcibilis.* Paſſiones partis concupiſcibilis ſex, Myſtici aſſignant, ſcilicet prima eſt *Amor*, ſeu voluptas de bono ſimpliciter concepto, in quo dilatato corde ſanguis uberius in corpus effluit. *Amor.* 2. *Concupiſcentia*, quæ ab aliis etiam cupiditas, & etiam deſiderium vocatur, eſt prægustus voluptatis ex bono abſente, quod nobis præſens eſſe mallemus; & easdem, quas amor in corpore mutationes producit, ſed cum majori vehementia, quæ ſubinde usque ad ardorem, efferveſcente nimis ſanguine, excreſcere ſolet. *Concupiſcentia.* 3. *Gaudium*, ſeu delectatio, ſeu voluptas exuberans, ex boni præſentia ortum, in quo cor ſimiliter dilatatur, & uberiorem excipit, & emittit ſanguinem. *Gaudium.* 4. *Odium*, ſeu tædium, & averſio, qua appetitus afficitur, cum malum, vel aliquid ſibi contrarium repræſentatur; in eo corde constricto parcior ſanguis in corpus promanat. *Odium.* 5. *Fuga*, ſeu abominatio, ſive prægustus tædii ex malo abſente percipiendi, ſi præſens fieret, quæ easdem cum odio in corpore mutationes, ſed multo intenſiores producit. *Fuga.* 6. *Triſtitia*, quam nonnulli dolorem vocant, eſt ingens tædium, quo appetitus a malo præſenti vexatur, & opprimitur, in ea cor conſtringitur, motus ejus interciditur, & parcior ſanguis *Triſtitia.*

guis emittitur: unde gemitus, vox tremula, & lachrymæ turgentibus venis, impedito ob conſtrictionem refluxu, & ſero in glandulas lachrymales excreto, erumpunt, quæ etiam ſuaves eſſe ſolent, quod ſanguinem allevient, ut liberius poſſit refluere.

Schol. 4. Altera pars appetitus ſenſitivi juxta Myſticos eſt *pars iraſcibilis*, quæ in id, quod bonum impedit, inſurgit; cum enim multiplex arduitas bona, quæ cupiuntur, ambiat, iraſcibilis veluti armata manu cum arduitate congreditur, eamque depellit, & ita concupiſcibilem in liberam fruitionem boni aſſerit. Dicitur in hepate, vel jecore reſidere ob bilem in eo generatam, quæ inordinate ſe effundens, & commota vehementes in corpore motus producit. Paſſiones illius ſunt 1. *Spes*, ſeu voluptas ex bono obtinendo arduo concepta cum motu appetitus ad acquirendum bonum paratu difficile, quod concupiſcentia amavit, & quod parari poſſe judicatum eſt; eam ſequitur pectoris contentio, & plenior inſpiratio. 2. *Audacia* ex ſpe generatur, & ex tædio mali adverſus moleſtias, & labores in eo vincendo, & bono arduo conſequendo progreditur, id quod bilis in corpore diffuſa, in vultu truculento, & corrugata fronte prodit. 3. *Deſperatio* eſt ingens tædium, quo appetitus opprimitur, & dejicitur, cum quis bonum arduum, quod amat, conſequi ſe non poſſe exiſtimat, & easdem fere cum triſtitia in corpore mutationes producit, quas atra bilis valde exacerbat. 4. *Timor* eſt tædium a malo adventuro perceptum, quo appetitus deprimitur, quando malum arduum imminet: & easdem, quas deſperatio, mutationes in corpore cum atra bile, & melancolico humore poſt ſe trahit. 5. *Ira* eſt tædium ingens de malo arduo nobis illato, quo appetitus ad vindictam pro illata injuria ſumendam excandeſcit, quam ſibi bonam exiſtimat. In ea bilis flava ſe effundit, & ſanguis nimium efferveſcit.

Paſſiones partis iraſcibilis.

Spes.

Audacia.

Deſperatio.

Timor.

Pugna partis inferioris contra ſuperiorem.

Schol. 5. Paſſiones de ſe non modo indifferentes, ſed etiam bonæ ſunt, facile tamen, & paſſim jam una, vel alia, jam plurimæ per immoderantiam inſoleſcunt, & non modo in actu primo, & habitu, uti in fomite, & vitiis, ſed etiam in actu ſecundo per ejusmodi affectiones inordinatas primo indeliberatas, mox vero deliberatas, calcaria ſunt, quibus admotis pars inferior ſenſualis, & bruto effræni ſimilis vagari non deſinit, donec animam præcipitet. Poſtquam enim per peccatum originale juſtitiam originalem amiſimus, per quam impediebatur rebellio carnis adverſus ſpiritum, ita, ut promptiſſime ratio, & voluntas hominis Deo, appetitus vero ſenſitivus rationi, & voluntati per omnia ſubjicerentur, in pœnam originalis peccati orta eſt in nobis rebellio carnis adverſus ſpiritum, & duplex portio voluntatis inferior, & ſeu appetitus ſenſitiva, & ſuperior, ſeu appetitus rationalis, inter quas eſt pugna continua: quia appetitus ſenſitivus tantum appetit carni delectabilia, v. g. voluptates carnales gulæ, & luxuriæ, honores, divitias, commoditates, proprium ſuum intereſſe, vult tantum ſequi ſuum judicium, ſuam voluntatem, & ſibi bene eſſe. Appetitus vero rationalis intendit bonum honeſtum, obſervare mandata Dei & ſuperiorum, renuntiare voluptatibus, honoribus, divitiis, vult amare Deum, odiſſe ſeipſum ſequi aliorum judicium, & voluntatem. Inter has duas voluntatis portiones eſt *pugna* continua paſſionum usque ad mortem hominis, & ſemper una vel altera vincit. Quare

§. 90.

Paſſiones inordinatæ mortificandæ ſunt.

Usque ad mortem contra *paſſiones* portioni inferioris voluntatis, ſeu appetitus ſenſitivi certandum eſt, illæque *mortificandæ* ſunt. Ita jubet *primo* S. Scriptura Eccli. 18. v. 30. *Post concupiſcentias tuas non eas.* Et ad Gal. 5. v. 16 *Deſi*

Deſideria carnis non perficietis. Et Gen. 4. v. 7. *Subter te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Nam Rom. 8. v. 13. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Idem *ſecundo* docent PP. S. Auguſtinus *ſerm.* 45. *de temp.* c. 3. ad illud. *Poſt concupiſcentias tuas non eas,* notat: *volunt poſt te ire, noli poſt eas ire . . . rebellant, rebella, pugnant, pugna, expugnant, expugna, hoc ſolum videto, ne vincant.* Et c. 5. *Conſuetudini ergo ſemper repugnandum eſt, quia ipſa concupiſcentia, cum qua nati ſumus, finiri non poteſt, quamdiu vivimus; quotidie minui poteſt, finiri non poteſt.* S. Dorotheus *doctr.* 10. ait: *Qui paſſionem exercet, & ulciſcitur, homini puto ſimilem, qui ſagittam ſuis manibus arripiens, cordi proprio infigit. Qui vero paſſionem comprimit, ſimilis eſt percuſſo quidem ſagitta ab hoſte, ſed nuſquam vulnerato ob thoracem, quem indutus eſt. Qui autem eradicat, & evellit paſſionem, ſimilis eſt percuſſo quidem, ſed ſagittas arreptas manibus confringenti, aut illas in hoſtis cor detorquenti, ut canitur in Pſ.* 36. *v.* 15. *gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur.* S. Bernardus *ſerm. de tripl. gen. cogit.* ait: *Oportet ergo reprimere, quem extingere non poſſumus, appetitum, ut quam cito cubile noſtrum ingreditur, creſcere eum nullatenus patiamur, ſed ſub nobis ſit. Tertio.* Ratio eſt ex Gerſon: *tr. de paſſ. conſ.* 8. Quia ex paſſionibus vitia, & peccata naſcuntur; ſunt enim veluti funiculi quidam, qui ad hoc, vel illud quaſi vinctos homines trahunt: ſunt veluti quidam igniculi, quibus inflammamur, & accendimur: ſtimuli, qui nos fre-

quentèr pùngunt, & angunt: ſunt veluti nervi, quos aliquando contrahimus, aliquando extendimus: venti, quibus noſter animus tanquam mare procelloſum perpetuo exagitatur: clavi denique, quibus miſer homo configitur, & nubes, quibus mens, & ratio obſcuratur.

Modus paſſiones mortificandi.

Schol. Modus medendi paſſionibus, easque mortificandi juxta Joannem a Jeſu Maria *in inſtr. Nov. c.* 3. omnium prudentiſſimus eſt, qui propoſitis melioribus bonis, quorum appetitus capax eſt, a præſentium affectatione ad æternorum amorem cor hominis traducere tentat. Si enim divinæ ſapientiæ opus in hominis creatione perſcrutemur, inveniemus profecto noluiſſe clementiſſimum Deum paſſionibus paſtum auferre, ſed eas ad meliora bona transferre, ut una cum hominis parte ſuperiore ſenſus, & appetitum, & carnem quoque ipſam erudiat, ut Deum pro captu ſuo ſitiat, & in eum aſſurgat. Hinc *Amor* moderandus eſt, ne delectabilia mundi, ſed Deum, & virtutem, & propter Deum cætera amet. *Concupiſcentia* moderanda eſt, ut nonniſi animæ, corporisque utilia in ordine ad æternam ſalutem conſequendam, & Deum in æterna gloria videre deſideremus. *Gaudium* moderandum eſt, ut de Deo, infinitis ejus perfectionibusque, & de bonis proximi gaudeamus. *Odium* moderandum eſt, ut non in inimicos noſtros, & mundi hujus adverſa, ſed in peccatum feratur. *Fuga* moderanda eſt, ut fugiamus peccata, eorum occaſiones, mala conſortia, prava colloquia, non vero cruces, perſecutiones, & caſtigationes corporis. *Triſtitia* moderanda eſt, ut triſtemur de noſtris, & alienis peccatis, quia ſunt offenſa ſummi boni. *Spes* moderanda eſt, ne feratur in bona tranſitoria, ſed æterna. *Audacia* moderanda eſt, ne homo aggrediatur opera ardua, & periculoſa ſupra vires ſuas, ſed ſecundum Dei voluntatem opera difficilia, generoſe malis reſiſtat, peccata impe-

impediat, & malos juſte puniat. *Deſperatio* moderanda eſt, ne homo deſperet de gratia divina, de ſalute æterna, & mediis eam conſequendi, ſed in bonitate, omnipotentia, & promiſſionibus Dei confidat. *Timor* moderandus eſt, ut timeamus Deum, qui corpus & animam poteſt perdere in gehennam, peccatum, & offenſam Dei, non vero adverſa hujus mundi. *Ira* moderanda eſt, ne excedat, vel deficiat, ſive in modo iraſcendi, ſive in appetitione vindictæ, ſive in illatione pœnæ injuſtæ. Alia adhuc remedia inferius præſcribentur.

§. 91.

Mortificationis virtus cum divina gratia eſt remedium, quod Deus nobis ad corrigendos exceſſus appetitus ſenſitivi, ejusque paſſiones conſtituit: (§. 90.) ſed quia etiam in ſuperiori hominis parte, ſcilicet memoria, intellectu, & voluntate quaſi paſſiones ſpirituales inordinatæ, ſeu graves exceſſus, & deordinationes contingere poſſunt, ſcilicet in memoria, vanæ, & inutiles cogitationes, in intellectu, judicia erronea, circa veritatem apparentem, in voluntate, diſtortæ complacentiæ, volitionesque circa bonum delectabile in præjudicium boni honeſti, & rationalis: ideo etiam his per mortificationem ſubveniendum. Et quidem primo *memoriæ*, quæ eſt facultas animæ, qua ideas rerum olim perceptarum in animum revocare poſſumus. *Memoria quid.*

Schol. Memoria ad revocandas ideas olim perceptas multum adjuvatur a *phantaſia*, quæ eſt facultas animæ, rerum ideas aliquando ſenſu perceptarum reproducendi, ſeu refingendi, & denuo percipiendi, licet illæ modo ſint abſentes; perceptiones vero reproductæ *phantasmata*, *ſpecies*, vel *viſa*, *Explicatur.*

appellantur. Cumque non una in omnibus phantaſiæ, ſic neque eadem in illis memoriæ vis reperitur. Si vero priſtinæ rerum ideæ ita in animo recurrunt, ut ſimul cognoſcamus illas jam olim animo obverſatas eſſe, tunc *reminiſci* dicimur. Ex quo patet, quod licet phantaſia, memoria, & reminiſcentia ſint facultates reipſa diſtinctæ, ita tamen inter ſe conjungantur, implicentur, & cohæreant, ut vim ſuam ſimul, & ſua ſponte fere ſemper exerant. Ex quo moderni Philoſophi magnam phantaſiæ vim in memoriam, & reminiſcentiam colligunt, cenſentque legem phantaſiæ etiam ad utramque extendi, quod præſentibus, & reproductis in animo quibuscunque rerum ideis ſimul ad animum redeant ideæ rerum abſentium olim ſimul perceptarum, quæ videlicet vel præſentium, quas intuemur, partes ſunt, vel quas cum præſentibus ſimul hauſimus, quæ ideæ, ideæ ſociæ vocantur, & lex iſta a modernis *aſſociatio idearum* vocatur, qui ſimul notant, ex pluribus ideis ſibi ita aſſociatis illas maxime recurrere, quæ vel majorem inter ſe habent ſimilitudinem, vel ſæpius in mente ſimul coextiterunt, vel præſenti animi tono magis conſonant, vel quæ clarius ſunt cogitatæ. Præterea non pauci etiam recentiores Philoſophi duplicem memoriam diſtinguunt: primam vocant *ſenſitivam*, quia a ſenſu ortum trahit, vel animalem, quia hominibus cum brutis communis eſt, & in confuſa idearum reproductarum recognitione conſiſtit, ſeu in apperceptione ejuſdem ideæ tanquam in diverſis perceptionum ſeriebus contentæ, dum nimirum eadem idea vi ſenſus, & imaginationis ſimul bis, vel ſi ſolius phantaſiæ ſolius, ſed cum ideis ſociis, producitur: v. g. idea arboris in horto ſenſu oculi, & idea arboris in ſilva olim viſæ vi phantaſiæ producta. Alteram dicunt *memoriam intellectualem*, vel proprie reminiſcentiam, quæ ſoli creaturæ rationali competit, & in diſtincta idearum reproductarum recognitione conſiſtit, ſive in judicio, quod eandem ideam jam ante

ante habuerimus: ſic arborem proceram in horto videntes judicamus, nos alias arborem proceram in ſilva vidiſſe. Hæc ideo paulo fuſius, & ſubtilius relata ſunt, ut veterem, & recentiorem Philoſophiam in decurſu cum Theologia Myſtica conciliari poſſe demonſtrare valeamus.

§. 92.

Memoria igitur adjuvante phantaſia cogitationes vanas multiplicans *mortificanda*, & corrigenda eſt, juxta illud Prov. 4. v. 23. *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ab ipſo vita procedit.* Ut enim S. Bernardus exponendo pergit *ſerm.* 31. *de tripl. gen. cog.* tria occurrunt genera cogitationum, a quibus ſollicite cavere ſibi debent, qui dignum Deo templum in ſe præparare ſtudent. Primæ ſunt cogitationes otioſæ, quas ut ſimplex lutum excutere oportet. Aliæ ſunt violentæ, fortius adhærentes, & ad neceſſitates corporis pertinentes, uti de cibo, potu &c. quæ ut viſcoſus limus, ſiquidem prorſus extingui nequeant, fortiter comprimendæ ſunt. Poſtremæ ſunt cogitationes immundæ, ac fœtidæ, de luxuria, invidia, vana gloria, aut alio vitio, quæ tanquam fœtidiſſimum cœnum, ſtatim, ac illorum fœtor præſentitur, toto animo a longe, ope divina implorata, propulſandæ ſunt. Quod ut præſtetur S. P. *ſerm.* 32. *de tripl. jud.* hoc remedium præſcribit: *Ne a memoria repellat Deum irruens turba plurimarum cogitationum, quæ ſolent effluere tanquam vilis plebs in atrium, ponatur ad ejus portam janitor, cujus nomen eſt, recordatio propriæ profeſſionis, ut, cum turpibus ſeſe cogitationibus ſenſerit animus prægravari, increpet*

Memoria mortificanda.

 crepet

erepet ſe, & dicat ſibi: tunc hæc debes cogitare, qui Sacerdos es, qui Clericus es, qui Monachus es? ſimiliter ad portam voluntatis, in qua ſolent manere carnalia deſideria tanquam in domo domeſtica familia ſtatuatur oſtiarius, qui vocatur, recordatio cæleſtis patriæ, hic enim poteſt pravum deſiderium quaſi cuneus cuneum expellere. Jam vero ad thalamum rationis talis, & tam ferox adhibendus eſt cuſtos, qui nemini parcat, ſed quicunque hoſtis ſive clam, ſive palam ingredi præſumpſerit, procul eum arceat: & hic ſit recordatio gehennæ. Ratio eſt, quia per inutiles cogitationes in memoria non correctas, tempus inutiliter perditur, multæ gratiæ, bona opera, & merita negliguntur, & peccata plurima committuntur.

Modus corrigendi memoriam. *Schol.* Semper ergo aliquid boni cogitandum eſt: v. g. meditationem factam revolvendo, preces jaculatorias eliciendo, ad Deum, & cœleſtem patriam ſuſpirando, de rebus divinis, & ad æternam ſalutem proficuis differendo. Item ſemper de Deo cogitando, illum nobis intime præſentem attendendo, quo nullum dignius, perfectius, pulchrius, & amabilius objectum cogitare poterimus.

§. 93.

Intellectus quid. Altera animæ facultas corrigenda, & mortificanda eſt *intellectus*, qui eſt facultas animæ res diſtincte cogitandi, id eſt, cum notis ſuis characteriſticis etiam in ſenſus non incurrentibus.

Quotuplex. *Schol.* 1. Intellectus juxta modernos Philoſophos alius eſt *Purus*, quando res eo diſtinctionis gradu cognoſcimus, ut nulla ſenſuum imaginationisque confuſa repræſentatio admixta ſit. *Impurus* eſt, cum

cum res ita exhibetur, ut multas imaginationis, & ſenſuum confuſas ideas admixtas habeat. Peripatetici intellectum ſecant in *agentem*, qui ab illis tabulæ raſæ comparatur, & ex phantasmatibus puriori quadam ſui luce colluſtratis, in corpoream quandam, & intelligibilem ſpeciem abſtrahit, quæ deinde materia non amplius permixta intellectui velut roſæ imago in ſpeculo imprimatur: & in *patientem*, vel *poſſibilem*, cui hæ ſpecies abſtractæ imprimuntur, quæ ſpecies prout imprimuntur intellectui paſſibili, *impreſſæ;* prout vero ab agente percipiuntur, *expreſſæ*, *verbum*, & *dictio mentis* ab illis appellantur. Denique nonnulli Theologi myſtici partem animæ intellectivam in tres vires dividunt. 1. In *mentem*, quæ a Patre luminum, non vero a corporeis ſimulacris conſtanter irradiatur, quæ divini vultus lumine ſignatur, ſive deinde hoc lumen ſit menti congenitum, ſive ab idearum divinarum lumine dimanet. Hæc vis ab iis appellatur *cœlum ſupremum: lumen intelligentiæ, rationis apex.* 2. In *rationem*, quam in duas partes dividunt, ſuperiorem, quæ ex principiis ab intellectu traditis concluſiones ſuas efformat: & inferiorem, quæ ex ſenſuum experimentis judicat. Hæc *medium cœlum* ab iis appellatur. 3. In *ſenſum*, quo anima ſenſationes percipit, qui ab iis infimum cœlum vocatur.

Schol. 2. Facultatem cognoſcendi mens noſtra variis modis exerit: vel enim res in ſe contemplatur, & ultra ſimplicem earum obtutum non progreditur, & tunc hic modus dicitur *apprehenſio:* vel unam ideam cum altera conferendo eas vel inter ſe connectit, vel unam ab altera ſeparat, & hic actus dicitur *judicium:* vel ex duobus judicium tertium elicit, & hic actus vocatur *ratiocinatio.* Similiter vel rem noſtris ſenſibus præſentem mente intuemur, & dicimur habere cognitionem *intuitivam:* vel eam per verba, & rerum nomina aliaque ſigna, ceu ſymbola percipimus, & dicimur habere cognitionem *ſymbolicam.* *Operationes intellectus.*

Actus intellectus. *Schol.* 3. Illud etiam intellectus noſtri privilegium eſt, quod de una re ita cogitare poſſimus, ut de nulla alia ſimul cogitemus, vel alterius rei ſimul nobis non ſimus conſcii, quæ actio *attentio* appellatur, quæ per cuſtodiam ſenſuum, ſilentium, tranquillitatem, & tenebras juvatur, & aſſidua exercitatione ita intendi poteſt, ut uni rei diutiſſime attendere valeamus. *Attentio.* Quodſi attentio hæc per partes rei ita continuetur, ut ſingulas ſpeciatim contemplemur, ille mentis actus *reflexio* dicitur. *Reflexio.* Dum vero aliquid conſideramus ſine illis, quæ cum eo conjuncta ſunt, unum ab altero mente abſtrahere dicimur, quæ *abſtractio* proinde ab attentione, & reflexione oritur, & ad formandas notiones univerſales, & meditationes altiores plurimum valet, in negotiis vero prudenter gerendis, ubi omnia adjuncta ſimul conſideranda ſunt, caute uſurpanda eſt. *Abſtractio.* Ab hac abſtrahendi facultate differt *facultas fingendi*, qua ideas variis modis vel conjungimus, vel conjunctas a ſe invicem ſeparamus contra, ac res ipſæ ſenſibus percipiuntur, dum v. g. chimæras in mente efformamus. *Facultas fingendi.* Deinde etiam mediante attentione, & reflexione ad ideas rerum diſtinctas pertingimus, ex quarum multitudine, claritate, & facilitate, eas formandi, præſtantia intellectus æſtimari debet: a quo tamen *judicium*, quo mens noſtra convenientiam, ac rerum differentiam, & *ratio* differt, quæ ſubjective ſumpta nexum veritatum univerſalium cum particularibus diſtincte perſpicit. *Judicium. Ratio.* Quod ſi judicium in perſpiciendis rerum ſimilitudinibus, vel prout neoterici volunt, in lepidis idearum conjunctionibus, quæ riſum movent, facile inveniendis verſatur, *ingenium* vocatur: *Ingenium.* quod ſi in relationibus, ſimilitudinibus, diſcriminibus, & rerum convenientiis, ac dependentibus ab illis rationibus, ſeu nexu earum apte immutandis maxime occupetur, *ingenium heroicum*, *genie*, dicitur, quod in Poetis, Philoſophis &c. pro varietate objectorum elucet, & in inventione nova rerum difficilium, & implexarum *Ingenium heroicum.*

po-

potiſſimum commendatur, ad quod corporis indoles, aeris temperies, ætas, affectus, educatio, exempla conſuetudo &c. multum conferre poſſunt. Quodſi intellectus multa in uno objecto facile diſtinguat, ei *acumen*, ſi notiones compoſitas in ſua membra reſolvat, ei *profunditas*, ſi plura ratiocinia ita conjungat, ut ſubſequentia ſemper intelligantur ex antecedentibus, & cum illis colligentur, donec ad indubitata principia perveniatur, ei *ſoliditas*; ſi ex præteritis & præſentibus, adhibita continua obſervandi diligentia, futura colligat, ei *providentia* tribuitur. Hæc juxta veterum, & recentiorum Philoſophorum placita non ſine ratione referenda erant, cum ad intelligenda varia Theologiæ Myſticæ capita non exiguam lucem afferre queant.

Acumen. *Profunditas.* *Soliditas.* *Providentia.*

Schol. 4. Licet autem intellectus noſter præclaris dotibus modo recenſitis gaudeat, ſuum tamen etiam vulnus per peccatum originale accepit, quod in ignorantia, & curioſitate conſiſtit, ex quibus multa vitia emanant, quæ tamen plerumque pro vitiata ſua ſcaturigine *judicium proprium* agnoſcunt, quo quis independenter ab eo, quod conformetur cum judicio Dei, ut prima regula moralitatis, & ſuperiorum, doctiorumque judicio contempto, in ſuo tantum obſtinatur. Proinde

Judicium proprium.

§. 94.

Intellectus per abnegationem *proprii judicii* mortificandus, & corrigendus eſt. Jubet hoc *primo* S. Scriptura Prov. 3. v. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et 2. Cor. 10. v. 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Ut, nimirum ſecundum notam V. a Ponte *in duc. ſpir. tr.* 4. *c.* 7. „Credat, „acceptet, & ſequatur, quod ſua ratio, di„ſcurſusque non aſſequitur". Quippe 1. Reg.

Intellectus mortificandus.

15. v. 22. *Quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.* *Secundo.* Innuunt hoc PP. inter quos S. Gregorius *l.* 6. *Reg. c.* 2. citatum mox textum ita exponit: *Quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare, quia velut contempto divino altari ad aras dæmonum reſponſa percipiunt, dum cordis ſui præſtigioſis, ac ſuperbis adinventionibus credunt, & ſalubribus Prælatorum conſiliis, contraria ſentiendo, refragantur. Nolle autem acquieſcere, idololatriæ ſceleri ſimile dicitur: quia nimirum in inobedientiæ ſuæ obſtinatione nemo perſiſteret, ſi propoſiti ſui figmentum in corde quaſi idolum non geſtaret. Dum enim agenda in corde concipit, quaſi idolum facit; & dum juxta conceptum mentis propoſitum ſe acturum deliberat, quaſi ad adorandum ſimulacrum ſe inclinat.* S. Bernardus *ſerm.* 3. *de Reſurr.* tales uti in animo magna lepra proprii conſilii infectos deſcribit *ſequentes errorem ſuum, & obſtinatos in eo, ita ut nullis velint conſiliis acquieſcere.* Et S. Anſelmus *ſimilit.* 142. hunc judicii proprii abuſum, & alieni uſum exponit exemplo cultri, quo ſiquis, etſi obtuſo, ſed ſibi viſo ad ſecandum acuto uti velit, alio acutiori contempto, nihil proficiet: ita ſi alieno judicio ad tua diſcernenda non utaris, in ſpiritualibus non proficies. *Tertio.* Ratio eſt, quia ſequendo proprium judicium, contra judicium Dei, ſuperiorum, & aliorum doctiorum, oriuntur hæreſes, illuſiones, morumque corruptiones, per ſuperbiam, & præſumptionem, & errores exinde ſuborti, quantumvis operanti compertæ veritates videantur, ſunt illi culpabiles, & inexcuſabiles.

Schol.

Schol. Corrigendus eſt ergo intellectus, orando 1. Deum, ut eum ſupernaturali lumine fidei, ſcientiæ, prudentiæ, conſilii, ac ſapientiæ illuminare, dirigere, & gubernare dignetur. 2. Cuſtodiendus eſt ab ignorantia neceſſariorum, & utilium, addiſcendo neceſſaria neceſſitate medii, & præcepti, ſequendo regulas fidei, ea ſcilicet, quæ nobis a Deo revelata, & ab Eccleſia credenda proponuntur, ſequendo regulam prudentiæ, & judicium aliorum doctorum, piorum, & prudentum virorum. 3. Cuſtodiendus eſt a curioſitate, ut nil niſi neceſſaria ad ſalutem, ad virtutes comparandas, & id, quod a nobis Deus ad ſatisfaciendum obligationibus ſtatus noſtri requirit, ſcire velimus. Imo etiam in deſiderio intelligendi cœleſtia humiles ſimus, & nonniſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum, &, quod Deus pro ſtatu noſtro a nobis exigit, ſcire cupiamus. 4. Ut intellectus verum de bonitate, aut malitia alicujus actus judicium ferat, eum ſecluſo omni voluntatis affectu præpropero, ſecundum voluntatem Dei, ſecundum regulas fidei, & morum conſideret, ne a præveniente voluntatis, & appetitus ſenſitivi affectu obnubiletur, excæcetur, & plus æquo in unam partem inclinetur. 5. Notat Alvarez de Paz *de vit. ſpir. l.* 2. *p.* 3. *c.* 10. „ Cum opiniones ſunt „ variæ Doctorum, præſertim ejusdem notæ, non „ eſt vitium proprii judicii, his magis, quam illis „ adhærere, ſi rationum momenta, veritatem „ ſtare pro altera parte, efficacius expreſſerint: „ neque enim juravimus in verba alicujus, ſed „ in verba veritatis. Quare licet, & decet ſine „ irreverentia aliorum Doctorum, eam ex ore „ docentis accipere “. *Quomodo mortificandus.*

§. 95.

Tertia animæ facultas corrigenda, & mortificanda eſt *voluntas*, quæ eſt facultas ſe libere determinandi; ſive potentia libera, qua ex diſtin- *Voluntas quid.*

diſtincta boni, vel mali repræſentatione illud appetimus, & hoc averſamur.

Explicatur. *Inſtinctus.* *Schol.* 1. Voluntas, ſi in latiori ſenſu accipiatur, juxta Philoſophos neotericos variis modis vim ſuam declarat. 1. Per *inſtinctus*, qui vim ſuam exerunt, antequam homo ullo experimento didicerit, qualem res voluptatem, aut tædium ſecum afferat: quorum alii ſunt *rationales*, qui in objectum feruntur, quatenus mens ad certas actiones exinde ſtimulatur: alii ſunt *animales*, qui in objectum, quatenus hoc ſenſationes excitat, inclinant. Quodſi res ipſæ ad ſatiandos inſtinctus profint, *bona* dicuntur; *bonum* quippe eſt, quod prodeſt, & ſtatum noſtrum, noſque perficit: ſi vero illos fruſtrantur, *malæ* dicuntur, *malum* enim eſt, quod obeſt, & nos, ſtatumque noſtrum imperfectiores reddit. *Bonum verum*, veram, & perpetuam utilitatem affert, *apparens*, vel *opinativum* utilitatem honeſtati repugnantem, aut majus malum generat. *Motiones animi.* 2. Per *motiones animi*, quando anima per boni, vel mali perceptionem mutatur, & afficitur: hæc mutatio ſi ſit jucunda ex bono obtento nata, voluptas, ſi moleſta ex boni jactura, vel malo illato orta, tædium gignitur. *Appetitiones.* 3. Per *appetitiones*, per quas vehementer cupimus, ut aliquid obtineamus, eoque uti, & frui poſſimus: in quo proinde conatu, & niſu alicujus rei conſequendæ, & fruendæ, appetitus, & in conatu rei cujusdam abigendæ, & fugiendæ averſationes conſiſtunt. Quodſi appetitiones cum vehementioribus corporis motibus conjungantur, *affectus*, *Affectus.* *Paſſiones.* ſi ita invaleſcant, ut ex leviſſima quacunque cauſa excitentur, *paſſiones* appellantur.

Leges volendi. *Schol.* 2. Cognitio boni, vel mali, ex qua intelligi poſſit, quare aliquid velimus, aut nolimus, *motivum voluntatis* appellatur, quia ſine hoc voluntas nunquam inclinatur. Proinde has leges volendi ſtatuunt Neoterici. 1. Quidquid appetimus, ideo, quia

quia bonum eſſe, vel ſcimus, vel putamus. & quidem pro magnitudine boni appetimus: & quidquid averſamur, quia malum eſt, vel eſſe videtur. Hinc homo naturaliter media ſuæ conſervationis appetit, quæ lex *conſervationis ſui ipſius* dicitur. 2. Homo naturaliter appetit felicitatem proximi ſui: quæ lex *ſocialitatis* dicitur. Motiva autem hujus voluntatis varia ſunt in diverſis, & raro omnino ab omni amore proprio pura. 3. Homo naturaliter appetit ea, quæ perfectionem, & fugit, quæ imperfectionem continent. Has leges alii ad unum proprium ſui ipſius amorem revocant.

Schol. 3. Dicta modo modernum guſtum recentioris Philoſophiæ ſapiunt: Theologi myſtici idem fere, licet aliis verbis explicant. Dividunt hi voluntatem in tres quaſi partes. *Suprema* ejus portio, intellectum ſupremum, ſeu mentem, (§. 93. *Sch.* 1.) & puram contemplationem ſequitur, quam *ſyndereſin* vocant, quæ nulla prævaricationis nota violari poteſt. *Media* portio, eſt appetitus rationalis, (§. 89. *Sch.* 1.) *Infima* eſt ſenſitivus appetitus, ad quem inſtinctus animalis, appetitiones, affectus, & paſſiones revocari poſſunt. (*Ibid.*) Rurſus appetitum ſenſitivum in partem concupiſcibilem, & iraſcibilem partiuntur, de quibus, & paſſionibus illis cohærentibus dictum fuit (§. 89. *Sch.* 3. 4. 5.) & de earum mortificatione (§. 90. *cum Sch.*) Reſtat ergo, ut de mortificando appetitu rationali, ſeu voluntate modo agamus, quæ potiſſimum in inordinato amore ſui ipſius excedere ſolet. Eſt autem *amor ſui ipſius* in genere humanæ mentis propenſio, qua ſuam felicitatem conſectatur. Inordinatus autem amor ſui ipſius, qui prout eſt in voluntate, *voluntas propria*, prout in appetitu, *amor proprius* dicitur, deſcribitur a S. Baſilio in reg. brev. interr. 54. *Amans ſui ipſius eſt, qui ſeipſum amat privato, & immodico amore.* Et S. Bernardus *ſerm.* 3. *de Reſurr.* voluntatem propriam ita deſcribit: *Voluntatem dico propriam,*

Diviſio voluntatis juxta Myſticos.

Amor, & voluntas propria quid.

quæ

diſtincta boni, vel mali rep… hominibus, ſed appetimus, & hoc averſ… …umus, non ad ho-… fratrum, ſed propter … intendentes placere Deo, … ſatisfacere propriis moti-… hanc ergo pugnandum eſt.

Explicatur. Inſtinctus.

Schol. 1. Voluntas, ſi… ta Philoſophos … declarat. 1. P… antequam b… lem res v… quorum … runtur … ſtimr… qu… ſ…

§. 96.

Voluntas per abnegationem *amoris proprii*, & voluntatis propriæ mortificanda, & corrigenda eſt. *Primo* enim graviſſima ſunt mala, quæ huic malo S. Scriptura imputat Iſ. 58. v. 3. *Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra.* Ex quo S. Bernardus *ſerm.* 71. *in Cant.* colligit: „Grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua, tibi bona non ſint". Sic & Apoſtolus 2. *Tim.* 3. 1. prædicens futura tempora periculoſa, ut malorum caput aſſignat: *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi.* Ubi S. Thomas *lect.* 1. „Primo ponit iniquitatis radicem . . . Radix „autem totius iniquitatis eſt amor ſui ipſius". Quippe 1. Cor. 13. v. 5. *Charitas non quærit, quæ ſua ſunt.* Econtra Deus, qui ſupra *Iſ.* 58. vituperabat propriam voluntatem, *v.* 13. mira illi offert, qui eam abnegaverit, dicens: *Dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris ſermonem; tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudinem terræ.* *Secundo* accedunt Patres S. Auguſtinus *l.* 14. *de Civit. Dei c.* 28. ait: *Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui usque ad contemptum Dei, cæleſtem vero, amor Dei usque ad contemptum ſui. Denique illa in Domino gloriatur.*

Ma… ami…

Et ſerm. 47. de diver. *Si perit homo, ſe, profectò invenitur, abnegando ſe . . . im amare ſe, velle facere voluntatem præpone his voluntatem Dei . . . diſce on amando te.* S. Bernardus *ſerm.* 3. . postquam in propriam voluntatem ..me declamaſſet, utpote quæ ſe dominio Dei ſubducit, omnia, quæ Dei ſunt, tollit, ipſum quaſi perimit, quem vellet peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut ea neſcire; ſubdit: *Quid enim odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? ceſſet voluntas propria, & infernus non erit: in quem enim ignis ille deſæviet, niſi in propriam voluntatem? Et ſerm. de dupl. Bapt. Caveamus autem a propria voluntate tanquam a vipera peſſima, & nequiſſima, & quæ ſola deinceps damnare poſſit animas noſtras.* Denique S. Ephrem *opuſc. de vit. ſpir. n.* 12. ait: *Tantum adjicies virtuti, quantum ſubtraxeris propriæ voluntati. Tertio.* Rationem dat S. Anſelmus *l. de Similit. c.* 6. 7. 8. Quia ſolius Dei privilegium eſt, quod voluntas ejus propria ſit ſuprema regula omnis boni, juxta illud Eph. 1. 11. *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ:* dum ergo creatura hoc ipſum ſuperbe intendit, quaſi coronam e capite ſummi Regis per ſummum nefas præripere contendit. Deinde nos non ſumus creati propter nos, nec propter noſtrum commodum, ſed propter Deum, primum principium, & finem noſtrum ultimum: ergo ad ejus gloriam, & beneplacitum omnia referre, ejusque ſolam voluntatem in omnibus ſequi debemus, quo modo non ſolum Deum, ſed & nos ipſos recte

amamus: quia propterea æternam nobis beatitudinem meremur.

Gradus abnegationis propriæ voluntatis.

Schol. Plurimi ergo intereſt proprium judicium, & propriam voluntatem, mediante abnegationis virtute, Deo tradere, & ſacrificare. Cujus tres gradus P. Godinez *in praxi Theol. Myſt. l.* 1. *c.* 14. aſſignat. *Primus* eſt, in omnibus judicium noſtrum ſubjicere Dei juſſis, interprete voce ſuperioris, tam intentione, quam executione, per cæcam obedientiam, judicando, quidquid nobis jubetur, modo aperte malum non ſit, eſſe bonum, & illud fideliter exequendo. *Secundus* gradus eſt, abnegare propriam voluntatem in operibus bonis, devotis, & ſupererogatoriis, v. g. orationibus, jejuniis, nolendo illa facere ſine prævia inſpectione, ac nutu illius, qui Dei vice animam noſtram regit. *Tertius* eſt magna quædam indifferentia in voluntate, nihil appetendo, nihil volendo, niſi voluntatem Dei in omnibus, quæ indifferentia ſecum puriſſimam intentionem affert, non ambiendo intereſſe noſtrum ſpirituale, vel temporale, ſed unam majorem Dei gloriam. Qui hunc gradum conſcendit, Deo non ſolummodo fructus, ſeu bona ſua opera, ſed integram arborem cum radice, quæ eſt intellectus, & trunco, qui eſt voluntas, ſimul cum fructibus offert. Hoc eſt initium pacis internæ, pœnitentiarum corporalium epilogus, mortificationis paſſionum compendium, compendioſa via ad perfectionem, qua anima in uno anno longius, quam per decem annos in maceratione corporis progreditur, ſi hæc pro libitu tantum ſuſcepta fuerit.

§. 97.

Mortificatio externa quid.

A mortificatione interna hucusque conſiderata ad *mortificationem externam* pergimus qua corpus noſtrum, & ſenſus externi refrænantur.

Schol

Schol. Quinque ordinarie corporis ſenſus externi ſtatuuntur: tot enim ſunt modi, quibus res externæ corpus afficere, id eſt, nervorum partes minimas, & ſolidas ad tremorem aliquem impellere, eoque fluido nerveo communicato, & ad cerebrum citiſſime propagato mutatio in anima, quæ *ſenſatio* dicitur, produci poſſit. *Primus* ſenſus externus eſt *viſus*, cujus organum, ſeu inſtrumentum eſt oculus, ad quem radii luminis a rebus viſibilibus delati, tunicas, & humores varie permeant, & in retina pro ratione refractionis coeuntes objecti imaginem depingunt, quam anima deinde percipit. *2dus* Eſt *auditus*, cujus organum eſt auris, in qua aer tremulo motu actus, ejus flexus, & anfractus externos permeans ope tympani, & oſſiculorum nervo ſeptum triangulare cochleæ obducenti communicatur, & in hujus ſepti fibris diverſæ longitudinis acutiorem, vel graviorem ſonum edit. *3tius* Eſt *olfactus*, cujus organum ſunt nares, in quarum cavitatem volatilia corporum effluvia penetrant, fibrillas nerveas irritant, & ſenſum olfactus efficiunt. *4tus* Eſt *guſtus*, cujus præcipuum organum lingua eſſe dicitur, cujus papillis particulæ ſalinæ, vel ſolæ, vel variis modis aliis particulis oleoſis, & phlogiſticis conjunctæ adhærentes ſenſationem guſtus excitant. *5tus* Eſt *Tactus*, cujus organum generatim eſt cutis, cujus papillæ nerveæ leviſſimo corporum appulſu commotæ, motum hunc ad cerebrum deferunt, & ſenſationem tactus producunt: & quia in volis manuum, & digitorum apicibus hæ papillæ copioſiores ſunt, manus pro ſpeciali tactus organo aſſignatur. Præter hos ſenſus, in corpore potentia locutiva, locomotiva, nutritiva, augmentativa, & generativa a Philoſophis aſſignatur: in quibus omnibus ne modum ſuum excedant, & incentiva peccatorum fiant, mortificatio externa locum habet, de qua proinde ſit

Corporis ſenſus. *Viſus.* *Auditus.* *Olfactus.* *Guſtus.* *Tactus.*

§. 98.

Corpus mortificandum eſt.

Corpus noſtrum quoad ſe, & *ſenſus* ſuos *externos*, & alias potentias mortificandum eſt. Conſtat *primo* ex S. Scriptura, Gal. 5. v. 24. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt, cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis.* Quod idem S. Paulus faciebat 1. Cor. 9. v. 27. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Et 2. Cor. 4. v. 10. *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes.* Et Col. 3. v. 5. *Mortificate membra veſtra.* Et denique paulo fuſius 2. Cor. 6. *Exhibeamus nosmetipſos ſicut Dei miniſtros . . . in jejuniis, in vigiliis &c.* Item quantum ad mortificationem ſenſuum, & linguæ, paſſim eam S. Scriptura inculcat, ut in decurſu ſuis locis videbimus. Sic Job. 31. v. 1. ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Eccl. 28. v. 28. *Sepi aures tuas ſpinis.* Tob. 12. *Bona eſt oratio cum jejunio.* Cilicii mentio occurrit Gen. 37. quo Jacob ſe induiſſe dicitur, putans filium ſuum Joſeph a feris devoratum. Frequens uſus cilicii fuit Regi David Pſ. 34. v. 13. *Induebar cilicio:* & aliis in veteri Teſtamento. Et S. Joannes Baptiſta Matth. 3. *Veſtitus erat pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos ejus.* Et Jac. 1. v. 26. *Qui non refrænat linguam ſuam, hujus vana eſt religio.* &c. *Secundo.* Idem docent PP. S. Auguſtinus in 1. Cor. 9. *Caſtiga corpus tuum, & diabolum vinces: hoc enim modo Paulus adverſus illum docuit nobis eſſe pugnandum.* Et præter alios plures S. Gregorius l. 21. Mor. c. 2. *Unde nobis ad cuſtodiendam cordis munditiam*

tiam exteriorum quoque ſenſuum diſciplina ſervanda eſt. Nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet gravitate vigeat, carnales tamen ſenſus puerile quiddam exterius perſtrepunt, & niſi interioris gravitatis pondere, & quaſi juvenili quodam vigore refrænentur, ad fluxa quæque, & levia mentem enervem trahunt. Hinc etiam eſt, quod omnes ſancti mortificationi corporis ſui diligentiſſime ſtuderint, illudque aſpere tractarint, uti ex eorum actis apparet. *Tertio.* Rationem dat S. Thomas *lect.* 7. *in ep. ad Gal.* „ Caro „ eſt radix vitiorum: ſi ergo volumus vitare „ vitia, oportet domare carnem “.

Schol. 1. Pſeudo myſtici noſtri temporis, in oppoſitum torquentes illud 1. Tim. 4. v. 8. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt.* Corporis mortificationem ſpiritui utilem eſſe negant; ſed longe prorſus a legitimo ſenſu citati textus, qui vel cum S. Chryſoſtomo explicatur pro exercitatione corporis in ſtadio: vel cum S. Thoma *lect.* 2. de corporis mortificatione ad modicum utili, ſi fiat ſine pietate, & ſpiritus mortificatione, quæ potior eſt. Ordinate enim facta ad comprimendam pravam concupiſcentiam utiliſſima eſt, ſi nimirum, uti S. Bonaventura *l.* 1. *de prof. Relig. c.* 4. monet, non propter ſe, ſed propter pietatem appetatur. *Hæreſis.*

Schol. 2. Mortificationes corporales in abſtinentia jejunio, cilicio, vigilia, chaumeuniis, & voluntariis verberationibus, ſeu diſciplinis conſiſtunt: harum verberationum nulla apud antiquos Patres, & antiquiora Eccleſiæ monumenta mentio occurrit, adeoque dubium inſurgit, an inter modos, carnem mortificandi, ab Eccleſia approbatos recenſenda ſit. Morinus flagrorum aliena ope uſum admittit. Jacobus Boyleau diſciplinarum propria manu inflictarum B. Dominicum Loricatum, & B. Petrum *Flagellatio an licita ſit.*

Damianum auctores facit, contendens, flagra ante eos in uſu fuiſſe, ſed ita, ut quis ab alio vapularet, adeoque innuit ſpontaneas diſciplinas non eſſe omnino approbandas, præcipue cum oculis officiant, & ſuper lumbos femorales inflictæ ad venerem incitent, uti proſequuntur Meimbomus, & Bartholinus. Sed Card. Baronius *ad an.* 1056. Damianum aſſerit duntaxat propagatorem, utpote, qui quosdam Monachos ejusmodi diſciplinæ adverſos confutavit: iisdem certe uſi ſunt Guido Pomposejanus, & S. Poppo Abbates, quod ſatis eſt, ne Dominicus, & Damianus ejus auctores habeantur, uti notavit Mabillonius, & Graveſon. Sed quidquid ſit de inſtitutione, antiquiores regulæ monaſticæ flagra in monachos peccantes ſtatuerunt, & juxta libros pœnitentiales aliquando pœnitentes ad pedes Confeſſarii ſe proſternebant, ut virgis cæderentur. Similia leguntur in vita S. Ludovici Regis Galliæ apud Bollandum *die* 25. *Aug.* Quapropter pius, & laudabilis eſt etiam uſus ſpontanearum flagellationum, uti proſequitur Mabillonius *præf.* 1. *ad ſæc.* 6. *Bened.* Præcipue cum B. Petrus Damiani, aliique ſanctitate inſignes eas uſurparint, & Peruſini monente Reinerio Eremita, Imolenſes, Bononienſes, aliique huic uſui morem geſſerint, teſte Sigonio. Spernendæ vero ſunt objectiones a detrimento oculorum, & incitamento ad libidinem petitæ: vix enim invenitur, qui hæc experiatur, & ſi experietur, abſtinere deberet, aut locum verberationis mutare. Nec obſtat conſtitutio Clementis VI. prohibens, ne de cætero Chriſti fideles verberationibus utantur: edita enim eſt contra hæreticos *flagellantes*, quorum depravatos mores, & hæretica dogmata referunt Spondanus, & Bingham. Unde nihil inferri poteſt adverſus piam Sanctorum conſuetudinem, ad domandam concupiſcentiam, ſe flagellandi, uti explicat Gretſerus, qui etiam Gerſonium accuſat, quaſi eam reprobaverit, quem tamen vindicat Theophilus Raynaudus: quia non omnino eam reje-

rejecit, ſed tantum timuit, ne ſub umbra pœnitentium, qui ſe cœdentes S. Vincentium Ferrerium ſequebantur, hæreſis flagellantium reviviſceret. Certe hæ ſpontaneæ flagellationes in cauſis Canonizationis SS. laudantur. Vid. Benedictum XIV. de Canon. l. 3.

Schol. 3. Mortificatio carnis præter jejunia, & cætera ab Eccleſia præcepta juxta Bellarminum *de 7. verb. Dom. l. 2. c.* 10. non eſt neceſſaria ad ſalutem, ſed ad chriſtianam perfectionem aſſequendam, uti ab exemplo Apoſtoli argumentatur Eſtius, & deſumitur ex S. Proſpero, & aliis PP. apud Dandinum, *in Ethica ſacr.* cui etiam Roſignolius ſubſcribit: ita ut quis chriſtiana temperantia præditus dici poſſit, licet ab omnibus licitis voluptatibus non abſtineat; interim tamen, ut ad apicem chriſtianæ perfectionis tendat, mortificatio corporis omnino requiritur, id quod exempla Sanctorum, v. g. S. Pauli Eremitæ, a S. Hieronymo *t. 2. oper.* S. Antonii, a S. Athanaſio *apud Bolland.* &c. relata ſatis probant. Unde ſi qui a corporis mortificatione adeo abſtinuerunt, ut illud plus æquo dilexerint, & ultra neceſſitatem aluerint, eorum cauſa canonizationis ulteriorem progreſſum habere non poterit, licet aliis eximiis operibus claruerint: quo ſpectant ea, quæ S. Gregorius Naz. *or.* 44. ſcribit. Imo etiam illi, qui licet corpori non nimis indulſerint, ejus tamen macerationi ad apicem chriſtianæ perfectionis neceſſariæ non ſtuduerunt, in album Sanctorum in Eccleſia militante non referuntur: quia teſte Gerſonio ſine hac mortificatione via contemplationi difficillime aperitur, quæ tamen ſanctitati admodum prodeſt. Vide Benedictum XIV. *de Canoniz. l.* 3.

Mortificatio corporis quomodo neceſſaria ſit.

Schol. 4. Mortificanda igitur eſt caro 1. Per temperantiam in *cibo*, & *potu*, nequid illi ultra neceſſitatem ad vitam, & functiones ſtatus indulgeatur. 2. Per temperantiam in *ſomno*, neceſſarium non ſubtrahendo, ſuperfluum ad acediam, luxuriam,

Quomodo corpus mortificandum ſit.

temporis jacturam vitandam reſecando. 3. Per temperantiam in *veſtitu*, eum ad jactantiam, & mollitiem fugiendam, ſtatui ſuo ſine exceſſu accomodando. 4. Per diſcreta *jejunia, cilicia, flagella, chaumeunias* &c. ad paſſiones carnis, & tentationes ſuperandas, & Chriſto pro nobis paſſo ſe conformandum. 5. *Viſus* mortificandus eſt, ne oculi turpia, incaſta, curioſa, & non neceſſaria, ſed ad amorem Dei, & devotionem excitantia aſpiciant. 6. *Auditus* mortificandus eſt, ne aures ſcandaloſa, detractoria, turpia, vana, & inutilia audiant. 7. *Guſtus* mortificandus eſt, ne in cibo, & potu excedat, nimis delicata, pretioſa &c. appetat. 8. *Odoratus* mortificandus eſt a delicatis, & pretioſis odoribus. 9. *Tactus* mortificandus eſt, ne vel proprium, vel alia corpora ſine neceſſitate tangat. 10. *Lingua* mortificanda eſt a verbis malis, otioſis, inhoneſtis, detractoriis, ſcandaloſis &c. 11. *Potentia locomotiva* mortificanda eſt, ut in inceſſu ſervetur modeſta gravitas. Verbo omnes corporis ſenſus, & potentiæ nonniſi ad æternam noſtram ſalutem conſequendam, ipſarumque actus per bonam intentionem ad majorem Dei gloriam, & propriam, proximorumque ſalutem dirigendi ſunt.

§. 99.

Regulæ pro diſcreta mortificatione.

Ut autem mortificatio ſalubris nobis ſit, ſequentes diſcretionis regulæ in ea exercenda obſervandæ ſunt.

I. In mortificatione externa nimius *exceſſus* vitandus eſt; Apoſtolus enim Rom. 12. 1. *rationabile obſequium* requirit: id eſt juxta S.Thomam ibi lect. 1. „ Cum diſcretione corpora „ veſtra Deo exhibeatis hoſtiam “. Rationem ſubdit: „ Interiores actus ſe habent per modum finis, qui ſecundum ſe quæritur; exteriores vero actus, ad quos corpora exhi-
„ ben-

„ bentur, ſe habent ſicut ea, quæ ſunt ad „ finem. In eo autem, quod quæritur tanquam „ finis, nulla menſura adhibetur, ſed quando „ majus fuerit, tanto melius ſe habet: in eo „ autem quod quæritur propter finem, adhibe„ tur menſura ſecundum proportionem ad fi„ nem". Idem docent S. Baſilius *l. de Virg.* S. Gregorius *l.* 30. *mor. c.* 14. S. Bernardus *ſerm.* 49. *in Cant.* S. Petrus de Alcant. *p.* 2. *de orat. c.* 7. Et Gerſon *tr. de myſt. Th. conſ.* 10. notat: „ Plus læderet, ut dicunt Medici, & „ Theologi, indiſcretum jejunium, quam edu„ lium intemperans; illud ſiquidem eſt ſanabi„ le, aliud ſæpe ſine remedio: quanquam na„ tura paucis contenta eſt, niſi blandiatur „ gula ſibi". Et hinc ſubinde fit, ut ſub titulo medendi ſanitati per exceſſus deperditæ, auſteritas in vitam mollem degeneret. Exceptio tamen eſt, ſi ſpiritus extraordinarius bene probatus vires præſtet, quod director ex eo cognoſcet, ſi per pœnitentias extraordinarias ſanitas non periclitetur.

II. Non ſunt admittendæ corporis afflictiones, quæ proprio *officio*, aut aliis virtutibus impedimentum pariunt. Hanc regulam pluribus illuſtrat Roſignolius, & conſentiunt SS. PP. Hieronymus *ep.* 125. *ad Ruſtic.* Gregorius *l.* 30. *mor. c.* 18. *n.* 63. & S. Thomas *quodlib.* 5. *a.* 18. dicens, peccare eum, qui per jejunia, vigilias, & ſimilia ſe ineptum reddit, ad debita opera exequenda; cui ſuffragantur Guigo Abbas, & S. Franciſcus Saleſius.

III. In mortificationibus externis vitandum eſt vitium *ſingularitatis*, quod locum ſibi potiſſimum in illis vindicat, quæ palam fiunt, & quoad Regulares: *Fugite*, inquit S. Bernardus, ſerm. 1. Dom. 6. poſt Pent. *obſtinationem, & nequiſſimum vitium ſingularitatis*. Idem inſinuant S. Baſilius *in reg. brev.* 138. & Caſſianus *l.* 5. *c.* 23. De S. Joanne Climaco ſcribit Daniel monachus: *In menſa nihil rejiciebat, quod a vitæ Religioſæ inſtituto non abhorrebat*. Ex quo tamen ſimul colligitur, hanc regulam ſolum tenere in illis communitatibus, ubi accurata Religioſi inſtituti diſciplina viget: ſi enim abuſus, & laxitates ibi regnent, ab iis ſe retrahere laudabilis ſingularitas erit.

IV. Diſcretio Evangelica in ordine ad mortificationem procuranda eſt maxime per Evangelice diſcretum *Directorem*. Hac ratione S. Baſilius in *reg. brev. q.* 138. & S. Benedictus *reg. c.* 49. ſuis monachis præſcribunt, ne quis ex arbitrio, & ſine Patris ſpiritualis conſultatione voluntarias abſtinentias &c. ſuſcipiat. Et Abbas Plato apud Pallad. ajebat: „ Corporis „ afflictiones, humi cubationes, vigiliæ, & „ hujusmodi per ſe laudabilia eſſe concedet „ aliquis, ſed nihil tamen expedit: imo vero „ & ruinæ cauſam illi eſſe affirmamus, qui „ ſuo arbitrio in his faciendis utitur, niſi ejus, „ qui præeſt, ductu, & regula dirigatur “.

V. In mortificatione *interna* vera diſcretio eſt, non paucis eſſe contentum, ſed magis, ac magis proficere: nam in externa non conſiſtit formaliter perfectio, ſed inſtrumentaliter, & ſæpe

ſæpe ab illa excuſat impotentia; interna vero in abnegatione ſui conſiſtens, eſt ipſa perfectio, & in omnium poteſtate. Unde S. Baſilius in *Conſt. mon. c.* 5. ait: *Quæ ſolo animo cernuntur virtutes, eæ omnes omnibus promiſcue æqualiter ſervandæ proponuntur, veluti manſuetudo &c. has enim peculiares animi eſſe virtutes dicimus, quando ad eas parandas, colendasve animo corpus nihil plus affert, quam quod ipſi quædam, ut ita loquar, veluti curia eſt, in qua hujusmodi res deliberantur.*

VI. Ad majorem internam mortificationem cum gratia Dei comparandam opus eſt *diſcretione in modo*, ſcilicet procedendo paulatim per partes, & præcipue contra paſſionem prævalentem, nec præſumendo, totum negotium ſtatim perfectum iri, vel fingendo ſibi, in hac vita ad apathiam, & impaſſibilitatem perveniri poſſe.

Diſcretio in mortificatione carnis pertenda non eſt.

Schol. 1. Quanquam in mortificatione externa diſcretione opus ſit, hæc tamen non ex amore proprio carnis, ſed ſecundum ſpiritum Evangelii menſuranda eſt: *ſapientia enim carnis inimica eſt Deo.* Rom. 8. v. 6. Et S. Auguſtinus l. 10. Confeſſ. c. 13. *Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam,* ubi oſtendit, quam imperceptibiliter in voluptatem abeat exiſtimata neceſſitas. Et S. Bernardus *ſerm.* 30. *in Cant.* monet: *Puta te quæſo monachum eſſe, non medicum, nec de complexione judicandum, ſed de profeſſione.*

An omnes mortificationes omnibus conveniant.

Schol. 2. Non opus eſt, nequidem ad canonizationem, ut omnes corporis afflictiones in omnibus ſervis Dei ſint æquales. Quis enim dicat, non eſſe canonizandos, vel etiam coram Deo Sanctos, qui jejunium ſine cibo, & potu, uti Moyſes, & Elias,

Elias, ad quadraginta dies non protraxerint, & ſimilia auſteriſſima non peregerint, quæ ab aliis Sanctis feliciter quidem, ſed ex ſpeciali divino impulſu patrata ſunt, & ſcripta fuerunt non ad imitationem, ſed ut infinitam Dei poteſtatem, & ſapientiam in iis prædicemus? Nonnulli utique Sancti a vino, alii a carnibus ſemper abſtinuerunt; ſed quis ſervum Dei reprehendat, qui rationabiliter, & moderate vinum biberit, aut carnes comederit? Profecto Apoſtolus 1. *Tim.* 5. modicum vini propter infirmitatem ei indulget: & S. Antoninus apud Bollandum *t.* 1. *ad* 2. *Maji* ob ſtomachi languores carnibus uſus fuit. Quis ſpontaneas flagellationes exquirat a ſervo Dei, qui ut S. Gregorius de ſe teſtatur, *l.* 10. *ep.* 35. e lecto ſurgere nequiret? aut quis omnium corporalium afflictionum uſum expoſcat in ſervis Dei ſenibus, in quibus, uti ſcribit S. Hieronymus *ep.* 52. *ad Nepot.* *Omnes virtutes corporis mutantur, & creſcente ſapientia, decreſcunt jejunia, vigiliæ &c.* Regulares tamen præſcriptas a regula ſua auſteritates, quousque vires patiuntur, obſervare debent.

An mortem accelerare per mortificationem liceat.

Schol. 3. Quæritur, quid dicendum de illis, qui corpus ita affligunt, ut ab exercitio operum, quæ facere tenentur, non quidem impediantur, ſed tamen mortem ſibi accelerent, uti de quodam Abbate Myrogene legitur in prato ſpirituali Sophronii apud Rosweydum, & de qua re ſe excuſaſſe dicitur S. Bernardus *t.* 2. *l.* 1. *c.* 8. Quoad hoc plura docet Card. Cajetanus, ſed quidquid ſit de ejus doctrina, diverſi ſunt vitæ noſtri termini: alii ſcilicet ſupernaturales a divina providentia conſtituti, *qui præteriri non poterunt.* Job. 14. Alii naturales unicuique pro varia corporis diſpoſitione attributi, qui arte ad quendam temporis articulum produci poſſunt: alii ſunt, qui ab inopinatis caſibus provenientes nullis temporis ſpatiis perſtringuntur, quos Avicenna vocat *abbreviatos*, adeoque produci non poſſe docet Codronchius. His præ-

præmiſſis docent *primo* Theologi, aſſumentes immodicas abſtinentias, & ſimilia, ut moriantur, vel ut breviores ſibi conſtituant naturales vitæ terminos, graviter peccare. *Secundo.* Probabile ſolum eſt, non tamen certum, ex ejusmodi abſtinentiis eosdem terminos abbreviari, uti ex Hyppocrate colligitur, quin etiam S. Paulus primus Eremita, aliique rigidiſſimi pœnitentes vitam diutiſſime protraxerunt. *Tertio.* Licitum, & meritorium eſt, amplecti aſperum vitæ genus ob finem ſupernaturalem, licet inde mors celerius adventura prævideatur, dummodo non intendatur. Ita docent Azorius, de Lugo &c. afferentes exempla Sanctorum, & cœtuum Regularium ab Eccleſia approbatorum. Unde non oportet facilem eſſe in judicio de exceſſu mortificationis, nam uti monet Alvarez de Paz *t.* 3. *fol.* 1247. „ Aliqui ad extraordinarium vitæ modum, & ad magnas corporis afflictationes vocantur, qui per gratiam multum ſupra naturam, & ſupra communes homines poſſunt, quos oportet ſuſpicere, & regulis communibus non alligare.

§. 100.

Supereſt, ut *remedia* generalia pro mortificandis vitiis, paſſionibus, memoria, intellectu, voluntate, corpore, ejusque ſenſibus externis &c. præſcribamus. Quorum Imum eſt *Oratio*, ſive per modum petitionis, ſive meditationis: cum enim mortificatio ſit opus arduum, & naturæ lapſæ impoſſibile, opus eſt viribus gratiæ, quæ vires maxima ex parte promiſſæ non ſunt, niſi petenti, juxta Trident. ſeſſ. 6. c. 11. *Petere, quod non poſſis,* nec communiter talis petitio eſt, qualis oportet, nec gratia conceditur, qualis requiritur, niſi meditatio accedat. (§. 33. 49.) *Remedia pro mortificatione exequenda.*

IIdum

IIdum remedium eſt *præſentia Dei*, juxta illud Cant. 2. v. 9. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Ubi Ludovicus a Ponte *l.* 5. *exhort.* 11. §. 3. ait: „ Ac ſi illis diceret: attendite „ oculi, quid cernatis, & aures, quid auſcul- „ tetis, & lingua, quid loquaris, & mens, „ quid cogites, & appetitus, quid appetas: „ quia ipſe ſponſus Deus ſtat poſt parietem no- „ ſtrum proſpiciendo, quid agatis, ut ſuo „ tempore reddat unicuique juxta opera ſua. „ Quod ſi hoc in ſingulis operibus diceres, vix „ peccares ". (§. 52.)

IIItium remedium eſt *Examen* quotidianum tam generale, quam particulare, juxta illud Pſ. 100. v. 8. *in matutinis interficiebam omnes peccatores terræ.* Et Pſ. 6. v. 7. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum:* nam ab exordio diei proponendo, & in termino diei dolendo pugna contra vitia, & paſſiones conficitur: ubi tamen notandum, quod Caſſianus *coll.* 15. *c.* 14. ex Abbate Serapione monet: „ Quod primum vitiis robuſtioribus „ ſuperatis, atque infirmioribus ſuccedentibus „ parabitur nobis abſque ullo diſcrimine per- „ fecta victoria. Nec tamen putandum, quod „ principaliter quis contra unum dimicans vi- „ tium, & velut incautus aliorum tela proſpi- „ ciens inopinato ictu facilius valeat ſauciari: „ quod nequaquam fiet. Impoſſibile namque „ eſt, eum, qui pro cordis ſui emundatione „ ſollicitus erga impugnationem vitii cujuſli- „ bet intentionem ſuæ mentis armaverit, ad-

„ ver-

„ verſus cætera quoque vitia generalem quen„ dam horrorem, & cuſtodiam ſimilem non „ habere “.

IVtum remedium eſt cura ſe *in minimis* mortificandi, nam Luc. 16. v. 10. *Qui fidelis eſt in minimo, & in majori fidelis eſt:* de qua re fuſe tractat Nigronius *opuſc. de cura minim.* Et V. Bloſius *in inſt. ſpir. c. 2. poſt med.* notat: „ Quan„ do quis propter Deum ſenſualitati, volunta„ tique propriæ, etiam in rebus minimis, re„ luctatur, ac ſe mortificat: rem ipſi Deo ma„ gis gratam facit, quam ſi multos mortuos „ ad vitam revocaret “.

Vtum remedium eſt *Amor Dei*, & rerum ſpiritualium: veriſſima enim eſt illa Chriſti ſententia, Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos . . . tollite jugum meum ſuper vos . . . & invenietis requiem animabus veſtris: jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Quid non facit dulce, & leve amor amens in amante profano? amor divitiarum in mercatore? vanæ gloriæ in milite? *Cum ergo tales ſint homines plures, quales amores,* argumentatur S. Auguſtinus ſerm. 47. de div. *Quid miraris, ſi ille, qui diligit Chriſtum, & qui vult ſequi Chriſtum, amando negat ſeipſum?*

VItum remedium eſt *operibus*, & non ſolis deſideriis, effectu, & non ſolo affectu mortificationi incumbere. *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur.* Rom. 2. v. 13. „ Si quis dicat, inquit „ S. Baſilius *in reg. fuſ. int. 7.* Ad componen„ das

„ das animi ſui affectiones, moresque recte „ inſtituendos ſufficere ſibi divinarum litera„ rum doctrinam, is ſimiliter facit, ut ſi quis „ diſceret ædificare, neque unquam tamen „ ædificaret, & æs cudere, & quæ didiciſſet, „ ea in actum nunquam educeret “.

Praxis horum remediorum.

Schol. Ut præſcripta modo remedia practice efficacia reddantur, evitentur ex imperio voluntatis actus pravi, & boni ſæpe eliciantur, quibus peccata etiam levia deleantur: vitia, & paſſiones ſubjugentur, virtutes implantentur, intentio ad Deum rectificetur, unde tam potentiæ, quam ſenſus in- & externi in ſuo officio continebuntur, & diminuta concupiſcentia amor Dei prævalebit.

Adhortatio ad mortificationem.

Corollar. Qui ergo incipiendo perfectioni ſtudet, orationi, & mortificationi ſtudeat: Vadat *ad montem myrrhæ*, id eſt mortificationis, *& ad collem thuris*, ſeu orationis: *Cant. 4. v.* 6. „ His quippe „ virtutibus, ait ibi S. Gregorius, S. Eccleſia, vel „ una quæque anima munda efficitur: quia dum „ per voluptatum mortificationem vitiis reluctatur, & per ſanctas orationes frequenter lachry„ mis abluitur, ſordes lavat, ut ſponſo placeat, „ cui pulchra apparere conatur “. Tunc enim *aſcendet per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris.* Cant. 3. v. 6. Quippe juxta S. Bernardum *ſerm.* 59. *ex parv.* „ Confeſ„ ſionem ſemper debet comitari myrrha, & thus, „ id eſt mortificatio carnis, & oratio cordis: al„ terum enim ſine altero aut parum, aut nihil pro„ deſt. Nam ſi quis carnem mortificet, & orare „ diſſimulet, ſuperbus eſt, & dicitur ei. Pſ. 49. „ v. 13. *Nunquid manducabo carnes taurorum,* „ *aut ſanguinem hircorum potabo?* Item ſi orave„ rit, & carnem ſuam mortificare neglexerit, au„ diet. Luc. 6. v. 46. *Quid vocatis me Domine,* „ *Domine, & non facitis, quæ dico* “? Et quia nullus

lus noſtrum eſt, qui non ſecutus ſit Adamum peccantem: nullus ſit, qui eum pœnitentem, & ſe mortificantem non ſequatur. Nulla datur hic exceptio; ſæculares enim a ſtudio mortificationis excuſare ſe non poſſunt; nam ſi ad delinquendum invenire norint vires, modum, & ſecretum, cur non *ad ſerviendum juſtitiæ in ſanctificationem?* Rom. 6. v. 19. Sunt in medio mundi, qui latibula quærunt, & inveniunt, ubi corpus caſtigent. Quis prohibet eos cohibere ſenſus ſuos a rebus vanis? delicias arcere in cibo, potu, lecto, ſomno, & veſtitu? ac præcipue in ſuſtinendo patienter adverſa, quibus ciliciis, & flagellis mundus abundat. Nec etiam illi ſunt excuſabiles, qui ſive intra, ſive extra clauſtra ſub prætextu ſanitatis ſe ab omni mortificatione exemptos credunt: nam præterquam quod auſtera diæta plus ſanitati, quam vita delicioſa proficiat, uti probat Leſſius *opuſc. de valetud. conſerv.* notat Hugo a S. Victore *l.* 1. *de clauſ. an. c.* 2. „ Ecce diabolus Phyſicam docet: „ ecce medicus factus eſt; de complexionibus loquitur, infirmitates diverſas, ſi teneatur Religio, generari prædicat. Sed quare hoc? non „ ut mederi velit, ſed ut occidere poſſit: non ut „ ægritudines curet, ſed ut ſecurius inferat mortem“. Certe vera quies non invenitur, paſſionibus indulgendo, ſed eas ſuperando, & vere ſe abneganti a Chriſto ipſo promittitur. Matth. 19. v. 29. *Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.*

§. 101.

Aphoriſmi ad incipientes.

Denique pro coronide hujus capitis, & concluſione viæ purgativæ, ac pro utilitate incipientium aliquos *Aphoriſmos*, ſeu breves ſententias comprehenſivas doctrinæ hucusque traditæ: & aliqua arcana vitæ ſpiritualis, quæ ad incipientes attinent, ex *Praxi Th. Myſt. l.* 1. *c.* 17.

& 18. P. Godinez afferre utile erit. Sunt autem ſequentes

Aphoriſmi ad incipientes.

I. Sacramenta, bona opera, & diligenter recurrere ad orationem, via recta eſt ad perfectionem.

II. Flagellationes, cilicia, & maceratio corporalis,. ſunt prima ſupellex ad initium vitæ ſpiritualis.

III. Incipiens, qui aggreditur perfectionem ſine magiſtro ad orationem, eſt navis ſine nauclero, qui clavum teneat, vel temonem.

IV. Frequenter frangere propriam voluntatem circa res minores, eſt animam rite ad gratias diſponere majores.

V. Devotionem obtinet, conſervatque mortificatio, cum qua ferveſcit vel tepida quævis oratio.

VI. Devotio erga Mariam, & SS. Sacramentum, via ſunt, & cibus ad perfectionis intentum.

VII. Qui nolit eſſe in oratione diſtractus, ſileat interdiu, & ad interiora ſit tractus.

VIII. Veſtimento uti paupere, & pannoſo ſtemma Chriſti eſt in pectore Religioſo.

IX. Modeſtia, condeſcentia; pœnitentia, & mortificatio ex corde procedunt, ſi amoris Dei habetur magna ratio.

X. Religioſus, qui obedientiæ non habet æſtimationem, monſtrat eſſe falſam, aut debilem ſuam perfectionem.

XI.

XI. Puncta prævideat, & lectionem non ommittat ſpiritualem, qui vult habere, ut oportet, orationem mentalem.

XII. Homo acerbus natura, & aſper indolis conditione, plus proficit pœnitentia, quam contemplatione.

XIII. Qui vult cœleſtes ſpeciales gratias recipere, eum ſuperfluas delicias, oportet, privatasque amicitias reſpuere.

XIV. Frequentet cum venia ſacram Communionem, qui velit perſeveranter acquirere perfectionem.

XV. Nimium indulgere corpori, & conſulere caſtitati, eſt velle unire tenebras claritati.

XVI. Spiritu ſimul, & carne deliciari, miraculum erit, ſi queant adunari.

XVII. Imperfectus ex culpis animo cadit, perfectus vero ex culpis humilis, & contritus evadit.

XVIII. Pudeat delicioſum, & guloſum, dicere ſe perfectionis, & pœnitentiæ ſtudioſum.

XIX. Qui vult orationi ſtudere, ſtudeat primum ſilere, & deliciis non indulgere.

XX. Qui lectioni ſpirituali incumbit, Deus loquitur cum eo: qui autem orationi, loquitur ipſe cum Deo.

XXI. Qui vo[illegible] cum Deo largiter peragere, oportet parce, nec niſi coacte cum hominibus agere.

XXII. Baculus eſt debilibus cordis teneritudo; ſpirituali autem viro ſpiritualis lux eſt fulcrum, & plena fortitudo.

XXIII. Qui velit ariditatem ſuperare, oportet, eum pœnalia opera frequentare.

XXIV. Non eſt homo interior affectatio quædam exterior, nec modeſtia Religioſa compoſitio corporis artificioſa.

XXV. Quantumvis ſit ſpiritualis interius, accomodet ſe cæteris, in rebus licitis, exterius.

XXVI. Craſſe fallitur, qui putat ſanctorum eſſe, immunditiæ, decoriſque neglectui ſubeſſe.

§. 102.

Arcana vitæ ſpiritualis pro incipientibus.

Arcana illius partis vitæ ſpiritualis, quæ attinet ad incipientes.

I. Incipientes experiri ſolent plus devotionis, teneritudinis, & lachrymarum, quam perfecti; quia devotio ſenſibilis eſt carruca infantilis vitæ ſpiritualis: & cum incipientes ſint ſpiritu infantes, Deus eorum indulget debilitati, gratis hoc illis auxilio ſubveniens, ut ne in via ſpiritus hæreant.

II. Pueri, & fœminæ, dum devotione tanguntur, plus lachrymis, & teneritudine fluunt, quam viri, quia illi communiter natura teneriores ſunt, & molliores, quam viri: quare humor ille, quo abundant, oculis proximus devotione ſenſibili facilius diſſolvitur, liqueſcit, & in lachrymas abit. Hoc naturale: at inſpectum ſupernaturaliter, donum lachrymarum pars eſt devotionis ſenſibilis; & cum illi opus habeant devotione ſenſibili, ut allectentur, accipiunt quoque donum lachrymarum, quo deliciantur.

III.

III. Incipientes devoti ſolent in virtutibus, & propoſitis eſſe inconſtantes, quia eorum virtutes, bonaque propoſita fundari ſæpe ſolent in devotione ſenſibili, eſtque ut plurimum actualis gratia, & tranſiens: ſicque fundamento hujusmodi deficiente cadunt virtutes, quæ in illo nitebantur. Ideo quoque nimium devotus non debet votis ligari.

IV. Sanguinei ſolent eſſe devoti, animo generoſi, obſequentes, dictoque audientes; cholerici vero ſolent eſſe magnanimi, & pœnitentes: quia hæ virtutes magna ſympathia reſpondent temperamento naturali, atque adeo cum gratia exercentur faciliter; contra ſuum vero ingenium nemo conſuevit eſſe virtute inclytus.

V. Novitii ſolent eſſe magis devoti, exterius compoſiti, & minuti, quam Profeſſi antiqui; quia compoſitio exterior, quando affectata non eſt, oritur frequenter ab indole, vel a compoſitione interna, & a devotione, ac præſentia Dei: cum autem his abundent fervidi Novitii, propterea iſto modo compoſite ſe gerunt. Quando vero affectata eſt hujusmodi compoſitio, magna imprudentia eſt: declinat in exceſſum, & omnibus faſtidium creat.

VI. Novitii ſunt magis ſcandalizabiles: quia deficiunt prudentia, eaque propter ſuam aſſumunt vitam in normam actionum alienarum; indeque mirantur valde, quod alii poſſint ridere, colloqui, ambulare, comedere aliter, ac ipſi.

VII. Non pauci Novitii bonæ indolis, potiorisque vocationis a vocatione deficiunt,

primo; quia multi ſunt vocati, pa[...] ... ſti: ſecundo; Magiſtri non prud[...] ſciunt ſe in licitis accomodare [...] in culpa ſunt.

VIII. Mente habiles, [...] tes ſolent eſſe intra, & [...] tionibus inhoneſtis op[...] & ſenſualitas præv[...] mento naturæ, h[...] perato; ideo [...] viribus infirm[...] mon in cau[...]

[...] illuminativa [...] am chriſtianarum [...] ationum, ac diffi- [...] perfectione profi- [...] ant.

§. 103.

[...] purgativa homo a vitiis, & pec- *[...] purgatus*, crebrius a Deo illumina- *[...] iam illuminativam* proficiens pergit,

IX. [...] imitationem Chriſti, & exercitium ſolet [...] chriſtianarum, vincendo fortiter om- exte[...] tentationes, & occurrentes difficultates in po[...] chriſtiana perfectione magis, ac magis proficit.

Schol. Explica-tio. Juxta datam igitur modo viæ illuminativæ deſcriptionem in hoc capite 1. de ſtudio magis, ac magis in chriſtiana perfectione proficiendi. 2. De meditatione, & imitatione vitæ, ac paſſionis Chriſti, & beatiſſimæ Virginis Mariæ. 3. De exercitio chriſtianarum virtutum. 4. De victoria tentationum, & aliarum in hac via occurrentium difficultatum. 5. De frequenti uſu SS. Euchariſtiæ, utpote efficaciſſimo ad proficiendum medio, tractandum erit.

§. 104.

In perfectione ſemper proficiendum eſt.

Perfectioni chriſtianæ magis, ac magis *augendæ*, ſemper in vita hac cum gratia Dei proficiendo, fervide, & alacriter incumbendum eſt. Probatur *primo* ex S. Scriptura: Pſ. 83. v. 6. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Prov. 4. v. 18. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque*

...um diem. Eccli. 18. v. 22. *Ne verearis*
...ortem juſtificari: quoniam merces Dei
...um. Eph. 4. v. 15. *Veritatem fa-*
...te, creſcamus in illo per omnia,
...ſtus. Philipp. 3. v. 13. *Quæ*
..., ad ea vero, quæ ſunt prio-
...m, ad deſtinatum perſequor,
...æ vocationis Dei in Chriſto Je-
...ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus.
...v. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur ad-*
...ſanctus ſanctificetur adhuc: ecce venio ci-
...Prov. *Secundo* ex PP. S. Chryſoſtomus *hom.* 12. *in ep. ad Philipp.* ait: *Oportet currentem currere* (in ſtudio ſpiritus) *cum tanto ſtudio, cum tanta alacritate, non pigre.* S. Gregorius l. 4. mor. c. 22. *Vitæ chriſtiani dies ſunt virtutes ſingulæ, menſes autem multiplicia facta virtutum.* S. Hieronymus ep. ad Demetri: *An ſola iſta vita eſt, quæ certamen non habeat de profectu, & in qua unusquisque hoc tantum habeat permanere, quod cœpit, nec ullo augmenti deſiderio ad majora contendat? & cum in omnibus mundi ſtudiis profectu non ſatientur homines, hic tantum cœpiſſe ſufficiat?* Ratio eſt *tertio. Chriſtianismus eſt imitatio divinæ naturæ,* ait S. Gregorius Nyſſenus *Ep. de prof. chriſtian.* ſed hæc magis, ac magis ſemper eſt imitabilis, adeoque in ejus imitatione, & conſequenter in perfectione chriſtiana proficiendum eſt: maxime cum Chriſtus ipſe ſe nobis imitandum propoſuerit, proficiens ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines. Luc. 2. v. 52. *Creſcamus ergo in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.* Eph. 4. v. 15. Tum ne ſit monſtrum, membra non creſcere ſub

 debi-

debita, & decora proportione ad caput: tum ne detrahamus eidem capiti gloriam, quam ſibi creſcendo in membris reputat.

Adhortatio ad proficiendum.

Corollar. Sequamur igitur monitum S. Auguſtini in Pſ. 31. *Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi.* Satis hoc erit, ut cum omni perfectionis contentione Deum proſequaris. Qua enim, ut ita loquar, perfectione, non proſequuntur mundani ſua idola? ambitioſus ſuos honores, avarus ſuas divitias, luxurioſus ſuas delicias, etſi vel ſpectra ſint aerea, vel vanus nitor, vel lutum fœtidum? quæ non aggrediuntur ad hunc finem facta heroica, quæ vere talia forent, ſi finem in laudem, & gloriam Dei permutarent? quanta ſuſtinenda, conanda, perficienda jubet mundus, ob ferreas duelli, fatuas ambitionis, phreniticas amoris, ſervis ſuis impoſitas, leges? quos tamen usque ad gradum ſcrupuloſæ pravitatis ſibi obſequentes habet? An ergo ſolus mundi artifex vix legitimos ſervos reperiet, quibus tamen nonniſi jugum ſuave, & onus leve imponit?

§. 105.

Chriſtus eſt exemplar noſtrum.

Ut autem in perfectione chriſtiana magis ſemper proficiamus, *Chriſtus Jeſus* ipſe in vita ſua ſe nobis ut divinum *exemplar*, quod moribus *imitaremur*, obtulit. Probatur *primo* ex S. Scriptura *Exod.* 25. *v.* 40. loquente Domino ad Moyſen de tabernaculo, & figurative de Chriſto (*Hebr.* 8. *v.* 5.) dicitur: *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Joan. 14. v. 6. *Ego ſum via, & veritas, & vita.* Luc. 9. v. 35. *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* Matth. 11. v. 29. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Joan. 13. v. 13. *Vos vocatis me, Magiſter, & Domi-*

Domine; & bene dicitis: ſum etenim. Rom. 8. v. 29. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit, conformes fieri imaginis filii ſui.* Prob. *ſecundo* ex PP. S. Baſilius in Conſt. Mon. c. 2. ait: *Omnis actio chariſſime! omnis item ſermo Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti excolendæ pietatis, virtutisque obeundæ regula eſt. Propter hoc enim humanam naturam ſuſcepit, ut in ſe, velut in tabula quadam veram nobis pietatem, ac virtutem depingeret; eamque omnibus nobis, maribus ſimul, ac fœminis ante oculos ſtatutam, unicuique pro viribus imitandam, seu Archetypon proponeret.* S. Auguſtinus l. de ver. Relig. c. 16. *Tota itaque vita ejus in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit.* Et l. 7. de Trinit. c. 3. *Quia homo ad beatitudinem ſequi non debebat niſi Deum, & ſentire non poterat Deum: ſequendo Deum hominem factum, ſequeretur ſimul, & quem ſentire poterat, & quem ſequi debebat.* Videri etiam poteſt l. 1. *de conſ. Evang. c. c.* 35. & *in Pſ.* 7. & 66. Item S. Ambroſius *in Pſ.* 118. *ſerm.* 1. *n.* 8. Et S. Gregorius *l.* 2. *in Ezech. hom.* 2. Et S. Bernardus ſerm. 21. in Cant. *Trahe me poſt te, quia dicit poſt te, mihi videtur ſponſa, ut converſationis ejus valeat veſtigia ſequi, ut poſſit æmulari virtutem, & normam tenere vitæ, & morum queat apprehendere diſciplinam.* Idem docet Gerſon per totum librum *de imit. Chriſti.* & Bloſius in *Margar. ſpir.* cum Thaulero, & Rusbrochio. *Tertio.* Ratio eſt, quia Chriſtus Jeſus venit in mundum, ut Rex Regum *Apoc.* 19. *v.* 16. Dux, & legifer noſter contra Luciferum præliaturus, & armis paupertatis, & humilitatis contra honores, divitias, & voluptates pugnaturus; ergo

go Chriſtianis tanquam copiis ſuis præire, & ſe illis ut exemplar, quod imitarentur, offerre voluit: tum quia ſine hoc exemplo divino animo facile caderent; tum quia ſine eo redemptio illius ſaltem quoad efficaciam, ad quam noſtra cooperatio requiritur, valde minueretur: tum quia ſine eo doctrina illius non ita moveret, niſi exemplo traheret.

Chriſtus non ſolum ut Redemptor, ſed & ut exemplar noſtrum conſiderandus eſt.

Schol. Fides Catholica in ſymbolo Apoſtolorum nos docet credere, *in Jeſum Chriſtum Filium ejus* (Dei Patris) *unicum Dominum noſtrum; qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine.* Credimus etiam, quam Chriſtus Jeſus vitam a conceptu ſuo, & Nativitate usque ad Paſſionem ſuam egerit, prout eam nobis SS. quatuor Evangeliſtæ deſcribunt: „ Ex quibus, ait Catechismus Rom. *de Symb.* „ ut ſalutaris fructus ad nos redundare „ poſſit, illa inprimis fideles memoria repetere, „ ac ſæpius cogitare cum animis ſuis debent, Deum „ eſſe, qui humanam carnem aſſumpſit; ea vero „ ratione hominem factum, quam mente nobis „ aſſequi non licet, nedum verbis explicare: ob „ eum denique finem hominem fieri voluiſſe, ut „ nos homines filii Dei renaſceremur. Hæc cum „ attente conſideraverint, tum vero omnia myſtica, quæ hoc articulo continentur, humili, ac „ fideli animo credant, & adorent; nec curioſe, „ quod ſine periculo vix unquam fieri poteſt, illa „ inveſtigare, ac perſcrutari velint". Hinc etiam §. *cum igitur:* Parochum inſtruit „ danda „ illi eſt opera, ut hæc myſteria, quæ ad doctrinam noſtram ſcripta ſunt, infixa animo, & mentibus fidelium hæreant: primum quidem, ut „ tanti beneficii commemoratione aliquam gratiam „ ejus auctori Deo referant; deinde ut eximium „ hoc, & ſingulare humilitatis exemplum eis ante oculos imitandum proponant". Quare Caniſius in ſuo Catechismo *de Symb.* §. 16. bene mo-

monet: „ Cavendus eſt error illorum maxime, „ qui Chriſtum non integre, ſed veluti mutilatum „ confitentur: dum ſolum Mediatorem illum, & „ Redemptorem, cui fidamus, agnoſcunt; nec ſi- „ mul recipiunt eum . . . virtutum exemplar om- „ nium, quod imitemur “.

§. 106.

Chriſtum imitari debemus.

Cum ergo Jeſus Chriſtus ſe nobis in SS. vita ſua, ut exemplar imitandum obtulerit, nos etiam eum, quantum pro noſtra fragilitate cum divina gratia poſſumus, *imitari* debemus. Probatur *primo* ex S. Scriptura Joan. 13. v. 15. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Joan.* 21. *v.* 19. dixit Dominus Petro: *Sequere me:* & omnibus diſcipulis Matth. 19. v. 28. *Vos, qui ſecuti eſtis me.* Et c. 16. v. 24. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Et 1. Joan. 2. v. 6. *Qui dicit, ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Rom. 13. v. 14. *Induimini Dominum Jeſum Chriſtum.* „ Dicitur autem in- „ duere Chriſtum, ait S. Thomas hic *lect.* 3. „ qui Chriſtum imitatur: quia ſicut homo con- „ tinetur veſtimento, & ſub ejus colore vide- „ tur, ita in eo, qui Chriſtum imitatur, opera „ Chriſti apparent “. Probatur *ſecundo* ex PP. S. Baſilius in *Conſt. mon. c.* 2. ait: *Neque enim alia de cauſa ille corpus noſtrum gerit, niſi, ut quoad fieri poſſit, nos ad imitanda vitæ ipſius ſtudia conformemus.* S. Gregorius Nyſſenus ep. ad Harmon. *Si quis igitur nomen quidem Chriſti ſumat, quæ vero una cum hoc nomine conſiderantur, vita non exprimat, neque repræſentet, is*

nomen

nomen ementitur. S. Auguſtinus l. 7. de Trin. c. 3. *Amemus ergo eum, & inhæreamus illi.* S. Ambroſius in Pſ. 118. ſerm. 1. *Quis eſt immaculatus? non utique, qui in quacunque via ambulat, ſed qui in Chriſto ambulat.* S. Bernardus ſerm. 1. de Nat. *Obſecro proinde, plurimumque rogo, fratres, non patiamini ſine cauſa tam pretioſum exemplar vobis exhibitum eſſe, ſed conformamini illi, & reformamini ſpiritu mentis veſtræ.* Ratio eſt *tertio:* ſi enim pro magna gloria in humanis ducitur, ſequi Regem, & ad illius ingenium, & mores conformari, ſive in pace, bene regendo, ſive in bello, fortiter pugnando, & cum eo moriendo, quid reſpectu Regis noſtri Chriſti agendum erit? Accedit, quod omnes Chriſtiani militiæ Chriſti nomen dederint in Sacramento Baptiſmi, abrenuntiando ſatanæ cum omnibus pompis, & operibus ejus, & in Sacramento Confirmationis, profitendo, apertius pugnare pro Chriſto contra ipſius, & ſuos adverſarios, a quo juramento ſine maxima perfidia, non ſequendo Chriſtum ducem ſuum, recedere non poſſunt. Denique contra Pelagianos certum eſt, accepiſſe nos a Chriſto non ſolum gratiam externam ſuæ incarnationis, qua nobis fuit in exemplum, nec ſolum gratias inſtrumentales ſacramentales Sacramentorum, ſed etiam gratias internas virtutum, donorum, & auxiliorum, quibus roboramur, & ungimur. *Trid. ſeſſ. 6. cap.* 16. Ergo cum Chriſtus dux noſter nobis militibus ſuis vires etiam, cum eo pugnandi, ſuppeditet, eum imitari, & cum eo vincere poſſumus, & debemus.

Schol. Nullam ergo excuſationem imitandi Chriſtum prætendere poſſumus. 1. Quia nec præcepto, nec conſilio nobis injungitur, ut omnes pari paſſu Chriſtum imitemur, ſed pro noſtro ſtatu, & tenuitate, contendendo ſemper ad ulteriora. 2. Quia militamus ſub duce, qui non ſolum arma, ſed etiam ſpiritum, vires, & robur nobis præſtat. 3. Quia dux noſter de ſuo ſupplet, quod noſtræ fragilitati deeſt. 4. Quia non jubemur ad magna hujus mundi, ſed humilia tendere: non divitias, honores, & regna mundi aſſequi, quæ omnibus fere ſunt impoſſibilia, ſed paupertatem, humilitatem, & obedientiam amare, quod omnes facile poſſunt. *Nullus ab imitatione Chriſti excuſatur.*

§. 107.

Ut autem Chriſtum Jeſum tanquam divinum exemplar noſtrum moribus imitemur, opus omnino eſt, ut nos frequenter in *meditatione vitæ ejus* exerceamus. Probatur *primo* ex locis S. Scripturæ (§. 105.) allatis, in quibus dicitur Exod. 25. *Inſpice, & fac:* utique non ſolis oculis, ſed mente: Luc. 9. *Ipſum audite*, non ſolis auribus, ſed interius in meditatione loquentem, ut nimirum eximium hoc exemplar proficiat. Item Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.* Quomodo autem cognoſcent ſine ſeria vitæ ejus meditatione? Accedunt exempla Bmæ. Virginis Mariæ (*Luc.* 2. *v.* 19.) in adoratione paſtorum, ubi dicitur: *Maria autem conſervabat*, id eſt in corde conferebat, & meditabatur, *omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Et v. 51. *Et mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Et de S. Maria Magdalena *Luc.* 10. *v.* 39. ſcriptum eſt: *Sedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius:* *Vita Chriſti meditanda eſt.*

Et

nomen ementitur. S. A… …ſum, per me ſ…
c. 3. Amemus er… … & ingredietur, &
Ambroſius in … lect. 2. ait: „ In…
culatus? no… … contemplandam divini…
lat, ſed … & egredientur ad ejus huma…
ſerm. 1. … conſiderandam". Probatur ſecund…
rogo, f… … Gregorius l. 4. Regiſt. ep. 40. Stud…
tioſum … quotidie Creatoris tui verba meditare.
mam… … S. Anſelmus med. 12. Jeſu bone! quam dulci…
Ra… in corde cogitantis te, & diligentis te! & cert…
h… neſcio, quia nec comprehendere valeo, unde hoc eſt
quod longe dulcior es in corde diligentis te, & i…
eo, quod caro es, quam in eo, quod verbum: dul…
cior in eo, quod humilis, quam in eo, quod ſubli…
mis. S. Bernardus ſerm. 11. in Cant. Id ſaltem
quod præcipuum eſt, & maximum, opus videlice…
noſtræ redemptionis, a memoria redemptorum ali…
quatenus non recedat. In quo opere duo potiſſi…
mum, quæ nunc occurrunt, veſtris ſtudiis intimar…
curabo . . . Duo illa ſunt modus, & fructus: &
modus quidem Dei exinanitio eſt, fructus vero no…
ſtri de illo repletio. Hoc meditari ſanctæ ſpei ſe…
minarium eſt, illud ſummi amoris incentivum…
utrumque profectibus noſtris neceſſarium. S. The…
reſia in vita ſua c. 22. multum dolet, quod ali…
quando ex quorundam librorum lectione in ea…
cogitationem inciderit, ut ab humanitate Chri…
ſti dedita opera mentem averteret, ad inhæ…
rendum Deo per contemplationem, & excl…
mat: O Domine animæ meæ, & bonum meum
Jeſu Chriſte crucifixe! nunquam ſum memor h…
jus, quam incurri, opinionis, quin compungar p…
na, & putem patraſſe, ignoranter tamen, magn…
quandam proditionem. Et in ſuo Caſtell. in…
manſ.

6. *t.* 7. concludit: *Credo reſtare affatim tum, quantum interſit, quantumvis perſona tualis, non ita fugere a rebus corporeis, ut adhuc ſacratiſſimam humanitatem Christi eſſe poſſe.* Lud. Bloſius *in proem. ad vit.* ait: „ Dici non poteſt, quantum utilitatis afferat devota, & frequens meditatio, „ vel lectio vitæ Domini Jeſu ". Quod confirmat exemplo S. Mechtildis, & affert doctrinas Thauleri, & Rusbrochii, qui vitam Chriſti librum, & ſpeculum vocabant, in quo continuo meditari oportet. *Tertio.* Ratio eſt, meditatio vitæ Chriſti fidem noſtram fervidam reddit, qua credimus, ſalutem noſtram dependere ab eo, & meritis ejus, *cum non ſit in aliquo alio ſalus*, & ut ejus exemplo ad applicandum nobis redemptionis fructum moveamur: qua fide peccatores a divinæ juſtitiæ timore, ait Trid. ſeſſ. 6. c. 6. *Ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes, Deum ſibi per Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Ergo meditatio vitæ Chriſti ad fidem, ſpem, & charitatem, ejusque imitationem frequentanda eſt: præſertim cum in ea omnium virtutum exemplar nobis exhibeatur.

Schol. Sæculo 13. Beguardi docebant, quod ipſi, in ſimili ſecum perfectione conſtituti non deberent aſſurgere in elevatione Corporis Chriſti, nec ei reverentiam exhibere, *aſſerentes, quod eſſet imperfectionis eisdem, ſi a puritate, & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderent, quod circa Myſterium, ſeu Sacramentum Euchariſtiæ, aut circa paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent.* Verum hi damnati ſunt a Clemente V. in Concilio Vienneſi, *& Hæreſes referuntur.*

uti patet ex Clem. 3. *Ad noſtram.* de Hæret. Et contra eos pugnat Alvarus Pelagius *in planct. Eccl.* 2. *l.* 2. *c.* 52. Sæculo 16to Pſeudo-illuminati in Hiſpania docuerunt, quod orans non debeat diſcurrere, nec meditari. *Ne in Jeſu Chriſti quidem paſſione, multo vero minus in ſanctæ humanitatis cogitatione immoretur.* error. 17. Qui damnati fuerunt ab Inquiſitione Hiſpaniæ apud Salelles *l.* 3. *Tribun. fid. reg.* 325. Sæculo 17timo Molinos error. 35. docebat de animabus ſuæ perfectionis: *Nec debent facere actus amoris erga D. Virginem, Sanctos, humanitatem Chriſti: quia, cum hæc objecta ſint ſenſibilia, talis eſt amor erga illa.* Et error. 36. *Nulla creatura, neque D. Virgo, neque Sancti ſedem habere debent in corde noſtro; quia ſolus Deus vult occupare illud, & poſſidere.* Hi errores damnati ſunt ab Innocentio XI. an. 1687. in ſua Conſt. *Ad abolendum.* Non obſtat, quod dicunt I. Chriſtus Dominus *Joan.* 16. *v.* 7. monuit Apoſtolos: *Expedit vobis, ut ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Ergo expedit imperfectis, quales tunc erant Apoſtoli, elongari a Chriſti humanitate, ut per purum ſpiritum perfecti fiant. *Reſp.* cum S. Thoma *l. c. lect.* 2. non eſt meditationem, aut contemplationem, ſed ipſam præſentiam ſenſibilem humanitatis Chriſti, quæ Apoſtolus adhuc imperfectos, & nimis illi ſenſibili delectationi addictos impediebat, ne per uberiorem Spiritus S. miſſionem magis perficerentur; ex quo ad ſummum ſequitur, quod in via perfectionis ſubinde animabus expediat ad perfectionem, ut ad tempus conſolatione ſenſibili ex meditatione humanitatis Chriſti, vel aliunde ſuborta priventur; ſecus eſt, quod non expediat meditari, vel contemplari ſemper humanitatem ſimul cum divinitate, & vitam, ac paſſionem Chriſti. II. Dicunt, Chriſtus, dum dixit, ſe eſſe viam, non intelligendus eſt loqui de illis, qui jam ad terminum per contemplationem puræ Deitatis pervenerunt, quibus via eſt ſuperflua, nec relegenda. *Reſp.* Item

cum

cum S. Thoma *quodlib.* 8. *a.* 20. in hac via cum ſemper, & omnes ſimus viatores, nullus proprie ad terminum pervenit, ſed ad ſummum magis, ac magis illi appropinquat, adeoque per viam humanitatis Chriſti ſemper eundum eſt. Imo cum in Chriſto via intra ipſum terminum reperiatur, ſcilicet humanitas unita Deitati, etiam beati in patria utramque contemplantur, incipiendo tamen a Deitate ut medio ad complementum Chriſti per humanitatem contemplandum. III. Dicunt abſurdum eſſe, reverenter conſiderare Chriſti humanitatem, & non ſolum Deitatem, ſicut abſonum eſt, colere regis coronam, vel purpuram, & non potius unice regis perſonam. *Reſp.* Cum S. Auguſtino ſerm. 58. de verb. Dom. *Si quis noſtrum, aut purpuram, aut diadema regale jacens inveniat, nunquid ea conabitur adorare? cum vero ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi ea ſimul cum rege quis adorare contempſerit. Ita etiam in Chriſto D. humanitatem non ſolam, aut nudam, ſed divinitati ſuæ unitam, unum Dei Filium, Deum verum, & hominem verum qui adorare contempſerit, æternæ mortis pœnam patietur.*

§. 108.

Chriſtus in paſſione ſua exemplar noſtrum.

Non ſolum autem in vita, ſed præſertim etiam in *paſſione ſua*, Chriſtus Jeſus ſe nobis *exemplar* numeris omnibus abſolutum, quod *imitemur*, obtulit. Ita *primo* docet S. Scriptura Thren. 1. v. 12. *O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Ut ſcilicet ab eo moveamini. Joan. 12. v. 32. *Ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum: hoc autem dicebat, ſignificans, qua morte eſſet moriturus.* Hebr. 12. v. 2. *Aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.*

 1. Pe-

1. Petri 2. v. 21. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* *Secundo* patet ex PP. S. Chryſoſtomus *hom.* 28. *ad Hebr.* ait : *Etiamſi nullum eſſet præmium, ipſum ſolum exemplum idoneum erat, ad perſuadendam omnium tolerantiam.* S. Auguſtinus l. de vera Relig. c. 16. *Populi ignominioſiſſimum mortis genus crucem putabant; Chriſtus crucifixus eſt . . . Hæc eſt diſciplina naturalis Chriſtianis minus intelligentibus plena fide digna, intelligentibus autem omni errore purgata.* S. Leo ſerm. 8. *Invictæ patientiæ humeris ſignum ſalutis adorandum regnis omnibus inferebat, tanquam & tunc ipſa operis ſui imagine omnes imitatores ſuos confirmaret.* S. Bernardus ſerm. 43. in Cant. *Hæc mea ſublimior interim Philoſophia, ſcire Jeſum, & hunc crucifixum.* Unde bene concludit V. Bloſius *in concl. anim. p.* 1. *c.* 10. *n.* 7. „Etiamſi omnes codices, qui toto orbe habentur, „intercidiſſent, vita, & paſſio Chriſti abunde „Chriſtianis omnibus ſufficeret ad virtutem „omnem, & veritatem perdiſcendam. Rationem *tertio* dat S. Thomas 3. *p.* *q.* 46. *a.* 3. „Primo: quia per paſſionem Chriſti homo co„gnoſcit, quantum Deus hominem diligat; & „per hoc provocatur ad eum diligendum, in „quo perfectio humanæ ſalutis conſiſtit. *Rom.* „5. *v.* 8. Secundo: quia per hoc dedit nobis „exemplum obedientiæ, humilitatis, conſtan„tiæ, juſtitiæ, & cæterarum virtutum in „paſſione Chriſti oſtenſarum, quæ ſunt neceſ„ſariæ ad humanam ſalutem. 1. *Petr.* 2. *v.* 21. „Tertio: quia per hoc eſt homini inducta ma„jor neceſſitas, ſe immunem a peccato con-

„ſer-

„ ſervandi, qui ſe ſanguine redemptum cogi-
„ tat a peccato. 1. *Cor.* 6. *v.* 20. Quarto ex
„ *art.* 4. ut nullum genus mortis recte viventi
„ homini metuendum eſſet, illius hominis
„ cruce oſtendendum fuit ".

Fides circa paſſionem Chriſti explicatur.

Schol. 1. Credimus catholice in quarto articulo ſymboli Apoſtolorum, quod Chriſtus Jeſus unigenitus Dei Filius, ut Deus, & beatiſſimæ Virginis, ut homo, ad extremum ſanctiſſimæ vitæ ſuæ *paſſus eſt ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.* Eadem fide credimus hiſtoriam hujus articuli per SS. quatuor Evangeliſtas enarratam, & a Prophetis velut hiſtorice cum omnibus ſuis circumſtantiis expreſſam, & a Conciliis, ac Patribus contra infidelium, & hæreticorum proterviam inviĉtiſſime vindicatam. De quo articulo Catechismus Romanus ait: „ In hac una paſſione omnium virtutum
„ clariſſima exempla habemus: nam & patientiam,
„ & humilitatem, & eximiam charitatem &c. ita
„ oſtendit, ut vere dicere poſſimus, Salvatorem
„ noſtrum, quæcunque vitæ præcepta toto prædi-
„ cationis ſuæ tempore verbis non docuit, ea om-
„ nia uno paſſionis die in ſeipſo expreſſiſſe . . .
„ Utinam vero hæc myſteria animis noſtris aſſi-
„ due obverſentur, & una cum Domino pati, &
„ mori, & ſepeliri diſcamus ".

Hæreſes referuntur.

Schol. 2. Contra hanc catholicam veritatem multi errores e Tartari faucibus profiliere, acciditque, quod Apoſtolus 1. *Cor.* 1. *v.* 23. teſtabatur: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Errarunt proinde 1. Ariani, qui Deitatem Chriſto Jeſu abnegarunt, adeoque paſſionem ipſius præcipua myſterii parte privarunt: qui refutati fuerunt (*in Comp. Th. t.* 1. *a* §. 142. 146.) 2. Neſtoriani, qui duas in Chriſto perſonas moraliter unitas conſtituentes, ſoli etiam homini my-

myſterium paſſionis aſcribebant: quorum hæreſin exploſimus. (*in Comp. Th. t.* 1. §. 307.) 3. Eutychiani, qui unam ex duabus in Chriſto naturam faciebant, humana in divinam transmutata, & exinde concludebant cum Theopatitis, & Monophyſitis, Chriſtum in ſua ipſius Deitate paſſum eſſe: contra quos egimus (*Ibid. t.* 1. §. 306. & 316.) 4. Appollinariſtæ, qui Chriſto animam, vel animæ denegabant mentem, cujus vice putabant ſolam fuiſſe Deitatem: quos rejecimus (*Ibid. t.* 1. §. 293.) 5. Monothelitæ, qui unam tantum voluntatem, nempe divinam, in Chriſto agnoſcebant: quod corrumpit integritatem myſterii ſacræ paſſionis, quæ ſine anima, & illius actibus, quibus in ſeipſa, & in corpore doleat, ſentiat, patiatur, & mereatur, non conſiſtit: quos damnavimus. (*Ibid. t.* 1. §. 314.) 6. Phantaſiaſtæ, uti Manichæi, ſolum corpus phantaſticum, vel cœleſte, aut elementare, non vero humanum, nec vere paſſibile in Chriſto admittebant; & Baſiliani non Chriſtum, ſed loco ejus Simonem Cyrenæum crucifixum fuiſſe mentiebantur: contra quos pugnavimus. (*Ibid. t.* 1. §. 298.)

Notanda de paſſione Chriſti.

Schol. 3. Nonnulla hic de paſſione Chriſti annotare juvat. 1. Chriſtus D. ad nutum Patris potius elegit mori in cruce, quam alio genere Martyrii v. g. per gladium, ignem &c. ut, ſicuti Eccleſia *in Præf. S. Cruc.* canit, diabolus, qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur: & præter alias congruentias Cajetanus *in* 3. *p. D. Th.* ait: „Quod „ ideò mortem crucis elegerit, ut usque ad ultimum quatuor ſenſuum officio uti libere poſſet; „ & ad cumulum paſſionis, videndo, audiendo, „ odorando, guſtandoque contraria, ignominioſa „ &c, 2. Monet Suarez *t.* 2. *in* 3. *p. d.* 33. *ſ.* 1. „ In paſſione Chriſti nihil eſſe leviter fingendum, „ quod vel ab Evangeliſtis narratum non ſit, vel „ ex iis, quæ ipſi narrant, adjuncta Patrum ex„ poſitione, probabiliter colligi non poſſit . . .

„quia

„ quia hoc neque temeritate carere poteſt, neque „ periculo falſitatis “. Unde non eſt fingendum, Deum ſeipſo, & in dependenter a cauſis ſecundis, ſpeciali, vel etiam miraculoſo modo feciſſe, quod Chriſtus inuſitatas aliquas paſſiones ſuſtineret. Nec eſt fingendum, Deum permiſiſſe, quod dœmon ſeipſo, & independenter ab hominibus pro ſuo arbitrio Chriſtum torqueret: quia licet utrumque aliquo modo fieri poſſet, non tamen ad redemptionem noſtram neceſſarium, nec expediens fuit, quare etiam nec morbos, aut infirmitates corporales v. g. lepram &c. aſſumpſit. Quod vero revelationes privatas de ictibus flagellorum, & numero omnium vulnerum in paſſione ſua Chriſto inflictorum concernit, ſi pro ſe non levem præſumptionem habeant, & inter ſe conciliari poſſint, nec in regulas fidei offendant, ſaltem non omnino contemnendæ, nec penitus incredibiles habendæ ſunt, maxime ſi conſideremus expreſſiones Prophetarum, & quod perſecutores ejus omnem modum exceſſerint, ita ut abſonum non ſit, ex parte patientis Chriſti ſive in ſudore ſanguineo, ſive in flagellatione, ſive in coronatione, & aliis ad vires miraculoſas recurrere. S. Thomas certe 3. *p.* *q.* 46. *a.* 5. probat Chriſtum omnes paſſiones, non quidem in ſpecie, nec ab intrinſeco cauſatas, ſed ſecundum genus, & ab extrinſeco cauſatas ſuſtinuiſſe, ſcilicet ab omni genere hominum, & in omnibus, in quibus homo pati poteſt bonis, videlicet corporis, famæ, & fortunæ. 3. Idem S. D. *art.* 6. docet, dolorem paſſionis Chriſti tum extum internum fuiſſe maximum inter dolores præſentis vitæ, quod probat tum conſideratis cauſis doloris tam externi, ob mox dictam generalitatem, & mortem crucis; quam interni, ob peccata totius generis humani in ſe ſuſcepta, maxime Judæorum, & vitæ amiſſionem: tum conſiderata ſenſibilitate patientis, nam corpus ejus a Spiritu S. miraculoſe formatum perfectiſſimum, & in ſenſu tactus maxime ſenſibile erat, anima vero omnes

triſtitiæ cauſas vivaciſſime apprehendebat; tum conſiderata puritate doloris, & triſtitiæ, nam Deus noluit aliquam conſolationem ſenſibilem in vires inferiores derivari, uti frequenter in SS. Martyribus, & patientibus pro Chriſto contingit: tum conſiderato fine, ob quem Chriſtus pati voluit, *& ideo tantam quantitatem doloris aſſumpſit, quæ eſſet proportionata fructus magnitudini, qui inde ſequebatur.* Quomodo vero viſio beatifica cum perpeſſione dolorum in Chriſto conciliari poſſit, dictum eſt (*in Comp. Th. t.* 1. §. 304. *Schol.*) 4. Rurſus S. Thomas *Quodlib.* 2. *art.* 2. docet, quod in ſingulis Chriſti meritis a primo usque ad ultimum inſtans vitæ ſuæ pretium plusquam ſufficiens pro redemptione generis humani fuerit, applicatio tamen eorum tum ex parte Chriſti dantis, tum ex parte Patris acceptantis non acceſſit meritis ſingulis, niſi per paſſionem, & mortem in cruce completis, ut nimirum ſuam nobis charitatem oſtenderet; nos ipſi peccati gravitatem magis agnoſceremus: gratiam & peccati remiſſionem pluris æſtimaremus, & ut nobis virtutis exemplum præberet.

§. 109.

Chriſtum paſſum imitari debemus.

Proinde Chriſtum Jeſum in *paſſione* ſua nobis propoſitum moribus *imitari*, debemus. Ita *primo* docet S. Scriptura. 1. Petri 2. v. 21. *Ut ſequamini veſtigia ejus.* Ad Hebr. 12. v. 2. *Aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contempta . . . Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem; ut ne fatigemini animis veſtris deficientes: nondum enim usque ad ſanguinem reſtitiſtis adverſus peccatum repugnantes. Secundo* ad hoc hortantur PP. Origenes *l.* 5. *in c.* 6. *ad Rom.* ait: *Velut plantam alicujus arboris oſtendit*

dit mortem Chriſti, cui nos complantatos vult eſſe, ut ex ſucco radicis ejus radix quoque noſtra ſuſcipiens producat ramos juſtitiæ, & fructus afferat vitæ. S. Chryſoſtomus Hom. 28. in ep. ad Hebr. *Si igitur, qui nullam habuit neceſſitatem, ut crucifigeretur, crucifixus eſt pro nobis, quanto magis nos juſtum eſt, omnia fortiter tolerare?* S. Auguſtinus in Pſ. 34. conc. 2. *Proinde illius voluntaria paſſio, noſtra eſt neceſſaria conſolatio; ut quando talia forte perpetimur, intueamur caput noſtrum, & ejus exemplo commoniti dicamus nobis: ſi ille, quid nos? & quemadmodum ille, ita & nos.* S. Leo ſerm. 2. de Paſſ. *Magni nominis militiam, magnæ profeſſionis ſuſcepimus diſciplinam: ſectatores Chriſti diſcedere a regia non licet via, ſed dignum eſt temporalibus non occupari ad æterna tendentes.* S. Bernardus ſerm. 4. hebd. pœnos: *Facit ergo mihi fortitudo, facit ſimilitudo; ſed ſi acceſſerit etiam imitatio, ut ſequar veſtigia ejus: alioquin etiam a me exquiretur ſanguis juſtus.* S. Bonaventura p. 1. ſtimul. amor. c. 4. *Hæc eſt ſumma, & perfecta Religio, & Religioſa perfectio. Hæc eſt regula, & exemplar perfectionis omnis vitæ, & virtutis: ſcilicet Chriſtum imitari in paſſione, & morte. Sit ergo regula noſtra vivendi paſſio Salvatoris, & tanto amplius in hoc conſolemur, quanto amplius Chriſto conformamur: & tanto amplius deſolemur, quanto ab hoc exemplari, & regula amplius elongamur.*

Ratio eſt *tertio.* Dogma catholicum eſt, ad ſalutem non ſufficere merita Chriſti per paſſionem, niſi accedant merita noſtra meritis Chriſti per paſſionem ſimilia, & ea nobis applicantia, ſicut Tridentinum *ſeſſ.* 6. *cap.* 11. ait: *Ne-*

mo ſibi in ſola fide blandiri debet, putans fide ſola ſe hæredem eſſe conſtitutum, hæreditatemque conſecuturum, etiamſi Chriſto non compatiatur, ut & glorificetur. Et Apoſtolus ait Coloſſ. 1. v. 24. *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* Scilicet uti explicat S. Thomas lect. 6. *Ego ipſe patiens.* Ergo ad hujusmodi merita ſubjungenda per imitationem incumbere debemus, alias ſicut antecedens negare, foret error ſpeculativus, ita illi ſe non conformare, foret error practicus excludens a ſalute.

Adhortatio ad imitationem Chriſti patientis.

Corollar. Sequamur ergo Regem, & Imperatorem noſtrum, qui in ſua infantia regebat nos tenero, & puerili modo, implendo illud Iſ. 11. v. 6. *Puer parvulus minabit eos.* In ſua juventute regit nos exemplo laborantis tam in vita privata, quam prædicatione ſua, in ſudoribus, ſiti, fame, paupertate, ac laboribus multis, juxta illud Pſ. 87. v. 16. *Pauper ſum ego, & in laboribus a juventute mea.* Demum in paſſione ſua, ac morte regit in prælio, per vulnera, ſanguinem, & crucem, ubi *factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* Iſ. 9. v. 6. Ex quo S. Chryſoſtomus *hom. de cruc. ſub initium* infert: *Tyranni impii crudelitate non terremur, manſueti Regis veſtigiis inhærentes.* Sequamur Paſtorem noſtrum, qui non contentus eſt, errantem ovem anhelus quærere, ſudoreque perfuſus inventam humeris imponere, ſed ut ipſam a luporum dentibus eriperet, non dubitavit, animam ſuam dare pro ovibus ſuis, & *ſicut ovis etiam ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum.* Iſ. 53. v. 7. Nimirum uti ait S. Gregorius hom. 14. in Evang. *Fecit, quod monuit, oſtendit, quod juſſit. Bonus Paſtor pro ovibus ſuis animam ſuam poſuit . . . Oſtenſa nobis eſt de contemptu mortis via, quam ſequamur; appoſita eſt forma, cui imprimamur.* Sequa-

quamur Chriſtum ſe pro nobis cruentam hoſtiam in ara crucis offerentem, & *exeamus ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes.* Hebr. 13. v. 13. *Et exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium noſtrum.* Rom. 12. v. 1. Dicamus denique cum S. Bernardo *ſerm.* 3. *de Purif.* „ Duo minuta habeo Domine, „ corpus, & animam dico; utinam hæc tibi perfe„ cte poſſim in ſacrificium laudis offerre! ... Non „ vult Dominus mortem meam, & non libenter „ illi offeram vitam meam? Hæc eſt enim hoſtia „ placabilis, Deo placens hoſtia, hoſtia viva “.

§. 110.

Ut autem Chriſtum Jeſum in paſſione ſua moribus imitemur, illam frequenti *meditatione* conſiderare debemus. Probatur *primo* ex S. Scriptura. 1. Petri 4. v. 1. *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Hebr. 12. v. 2. *Aſpicientes in authorem fidei ... Recogitate eum &c.* ſeria ſcilicet cogitatione frequenter meditamini. *Secundo* patet ex PP. S. Auguſtinus *l. de S. Virg. c.* 54. ait: *Internis luminibus inſpicite vulnera pendentis, cicatrices reſurgentis, ſanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant, cogitate, hæc in ſtatera charitatis appendite ... Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus eſt in cruce.* S. Bernardus ſerm. 43. in Cant. *Tu quoque, ſi ſapis, imitaberis ſponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum faſciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris avelli: amara illa omnia, quæ pro te pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſidua meditatione revolvens.* Et ſerm. 62. *Quid eſt tam efficax ad curanda*

Paſſio Chriſti meditanda eſt.

con-

conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Chriſti vulnerum ſedula meditatio. S. Anſelmus multus eſt a *meditatione* 9. in docendo practice Chriſti D. paſſionem meditari. S. Thomas lect. 1. in c. 1. Hebr. *Si vis ſalvari, reſpice in faciem Chriſti tui.* S. Bonaventura ſtim. div. amor. p. 1. c. 4. *Conſideremus, quæ pro nobis Chriſtus ſuſtinuit, qualiter in paſſionibus ſe habuit; & nos pro modulo noſtro, quantum poſſumus, conformemus cum ipſo.* S. Laurentius Juſtinianus *in agon. Chriſt. c.* 20. *ſub tit. Quid in contemplantis animo meditatio Chriſti efficiat:* eam tanquam librum intus, & foris conſcriptum conſiderat, qui, ut ab univerſis legatur, publice fuit expoſitus. V. Bloſius *in concl. an. p.* 1. *c.* 10. *n.* 7. ait: „ Suaviſſimam ejus paſ„ ſionem, tanquam pretioſam margaritam, in „ ſcrinio pectoris tui tanquam reconditam ha„ be, & eam grato animo revolve. S. Gertrudis *l.* 3. *Div. inſpir. c.* 42. ſe a Deo edoctam dicit: „ Quando aliquis ruminat orationes, „ vel lectiones de Dominica paſſione, in infini„ tum hoc majoris virtutis eſſe, quam de cæ„ teris exercitiis “. Cujus rationem dat V. Ludovicus a Ponte 4. *p. Medit. init. introd.* quia reliqua exercitia v. g. jejunare &c. cum ſint opera externa, ſi ſe ſolis accipiantur, non ſunt ita efficacia ad purificandum cor a vitiis, veritatibus, & virtutibus illuſtrandum, & perficiendum ignitis divini amoris affectibus, ut eſt attenta, & profunda meditatio paſſionis Chriſti Domini. *Tertio.* Ratio eſt, tum quia paſſio, & mors Chriſti D. magnum redemptionis noſtræ myſterium continet, nobis per fidem

pro-

propoſitum, ut ad imitationem moveamur, & per eam ad fructum ejusdem conſequendum diſponamur: ergo eam ex affectu, illam imitandi, ſerio, & frequenter meditari debemus, quia ſine hac meditatione nec fides noſtra viva, nec imitatio firma erit. Tum quia Chriſtus ipſe incruentum Miſſæ ſacrificium, & SS. Euchariſtiæ Sacramentum in eum finem maxime inſtituit, ut ſemper paſſionis ejus, & ſacrificii cruenti in cruce oblati, ſimus memores, præcipiens. Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et 1. Cor. 11. v. 26. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc ... mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

Affectus ex paſſione Chriſti eliciendi.

Schol. De paſſione Chriſti aſcetice, ſive per hiſtoriam, ſive per meditationes, ſive tractatus fuſe agunt Ludolphus *p.* 2. *de vit. Chriſti. a. c.* 58-68. V. Bloſius *in variis ſuis opuſc.* Ludovicus Palma *in hiſt. Paſſ.* Thomas a Jeſu *in labor. Jeſu.* Godinez *in Prax. Th. Myſt.* & multi alii. Ut autem fructuoſa practice ſit hæc meditatio, præter virtutes in ea imitandas, de quibus inferius tractabitur, ſequentes affectus in ea eliciendi ſunt. 1. Affectus *compaſſionis*, doloris, & lachrymarum, ne ſimus ex illis, de quibus conqueritur Dominus Pſ. 68. v. 21. *Suſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inveni.* Sed potius ex illis, de quibus *Zachar.* 12. *v.* 10. dicitur: *Aſpicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu, quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti.* „Si enim non „ſentis dolorem capitis, ait S. Bonaventura *p.* 1. „*ſtim. Div. am. c.* 2. & 4. quomodo es unum cum „ipſo? & ſicuti plus compatiendum eſt capiti, „quam cæteris membris: ſic magis ſine compa„ratione tibi compati debemus Domine Jeſu! plus, „quam quantumcunque dilecto filio, vel amico,

„imo

„ imo plus quam tibimetipſi, ſi omnia prædicta „ pateris “. Nequis vero ex duritia cordis ſui deterreatur, inſtruit eum V. Bloſius *Inſtit. ſpirit. c.* 6. „ Domino Deo ſuo pro ſe paſſo medullitus „ compatiatur. Quod ſi durus corde eſt, duritiam „ ſuam illi exponat, ac ſe humiliet. Plerumque „ Deo magis placet compaſſionis deſiderium, quam „ ipſa compaſſio “. 2dus Affectus eſt *doloris de peccatis:* nam 1. Cor. 15. v. 3. *Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris.* „ Agnoſce ergo o homo, „ infert S. Bernardus *ſerm.* 3. *in Nat. Dom.* quam „ gravia ſint vulnera, pro quibus neceſſe eſt Do- „ minum Chriſtum vulnerari. Si non eſſent hæc „ ad mortem, & mortem ſempiternam, nunquam „ pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Pudet „ itaque dilectiſſimi propriam negligentem diſſi- „ mulare paſſionem, cui tantam a majeſtate tanta „ exhiberi video compaſſionem “. 3tius Affectus eſt attonitæ *admirationis,* qua perculſus Iſaias prævidens, quæ Jeſus paſſurus eſſet, exclamat. c. 53 v. 1. *Quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt?* Et Cant. 3. v. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis ejus, & in die lætitiæ cordis ejus.* Quo item affectu S. Leo *ſerm.* 11. *de Paſſ.* ait: „ Quid „ inter omnia opera Dei, in quibus humanæ ad- „ mirationis fatigatur intentio, ita contemplatio- „ nem mentis noſtræ, & oblectat, & ſuperat, „ ſicut paſſio Salvatoris? de cujus omnipotentia, „ quæ ei cum Patre unius, & æqualis eſſentiæ „ eſt, quoties, ut poſſumus, cogitamus, mirabi- „ lior nobis fit in Deo humilitas, quam poteſtas: „ & difficilius capitur divinæ Majeſtatis exinani- „ tio, quam ſervilis formæ in ſumma provectio “.

§. III.

Meditatio privilegii materni-

Poſt meditationem vitæ, & paſſionis Chriſti, meditatio privilegii *maternitatis*, ad SS. Dei-

Deiparæ Virginis *Mariæ* imitationem inducens, maxime juvat ad proficiendum in vita, & perfectione chriſtiana. Probatur *primo*. Licet ſolius Bmæ. V. Mariæ privilegium ſit, corporaliter eſſe Matrem Dei, ad imitationem tamen illius omnis anima pia ſpiritualiter Mater Dei eſſe poteſt, faciendo ſcilicet voluntatem Dei Patris, uti ipſe Salvator ait. Matth. 12. v. 50. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Id eſt, uti exponit S. Auguſtinus *l. de S. Virg. c.* 5. „ Mater ejus, eſt anima pia, faciens voluntatem „ Patris ejus fœcundiſſima charitate ". Et *Luc.* 11. *v.* 27. Poſtquam mulier quædam de turba extollens vocem ſuam clamaſſet dicens: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti:* Dominus reſpondit: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Ergo licet Bma. Virgo in eo, quod ſit Mater Dei corporaliter, inimitabilis ſit, ex meditatione tamen privilegii maternitatis ejus, ad faciendam voluntatem Dei, ad ejus imitationem provocari, ad in chriſtiana perfectione proficiendum animari, & ita ſpiritualiter Mater Dei, & beatus quodammodo adinſtar illius fieri quis poterit, quia, uti ait S. Thomas *in Matth.* 12. *lect.* 12. „ Illi, qui faciunt voluntatem Patris „ mei, attinent ei ſecundum generationem „ cœleſtem . . . Ipſe enim venit, ut faceret „ voluntatem Patris ". *Secundo.* Maximum privilegium in SS. Deipara eſt, quod per maternitatem Filii Dei Deitas ſpecialiſſime ei communicata fuerit, id quod, humanitati Chriſti ſeſe operibus perfectiſſime aſſimilando, promeruit:

tatis SS. Deiparæ ad proficiendum juvat.

ruit: ergo & nos per meditationem hujus privilegii ad aſſimulandum nos humanitatis Chriſti operibus, ad exemplum SS. Deiparæ provocari, & ita obtinere poterimus, ut per gratiam ſanctificantem Deitas nobis ſpecialiter communicetur, (*Comp. Th. t.* 1. §. 172. *Schol.* & §. 361. *ſeq.*) & in vita, ac perfectione chriſtiana maxime proficiamus.

Dignitas maternitatis Dei explicatur.

Schol. De fide eſt, beatiſſimam Virginem Mariam vere eſſe Matrem Dei, ſeu Deiparam, uti contra Neſtorium (*Comp. Th. t.* 1. §. 312.) probatum fuit. Maternitas hæc eſt ſumma perfectio puræ creaturæ conferibilis, uti unanimiter docent Patres, & S. Thomas 1. *p. q.* 25. *a.* 6. *ad* 4. ait: *B. Virgo ex hoc, quod eſt Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus; & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius.* Et S. Bonaventura in 1. d. 44. dub. 3. *Si omnes creaturæ, quantumcunque aſcenderent in gradibus nobilitatis, eſſent præſentes, omnes deberent reverentiam Matri Dei.* Ratio autem eſt; quia Deus unitus fuit Matri Dei, non quidem hypoſtatice immediate, unam perſonam conſtituendo, ſed ſumma communicatione, quæ a pura creatura haberi poteſt: tum quia ex ea Filius Dei carnem aſſumpſit: tum quia eum in utero ſuo portavit, genuit, & uberibus lactavit. Unde concludit S. Thomas de Villanova *ſerm.* 3. *de Nativ.* „ Non opus eſt „ longiore hiſtoria, hæc ſolum ſufficit ad Virgi„nem exaltandam, & extollendam. Unde & in „ Evangelio rarus de ea ſermo, quia hoc ſatis „ erat ad ejus commendationem: *De qua natus eſt* „ *Jeſus* . . . Quæ gloria, quis decor, quis can„dor, quæ virtus, quæ gratia non decuit Ma„trem Dei " ?

§. 112.

§. 112.

Præterea meditatio affectiva privilegii *virginitatis* in SS. Virgine *Maria*, eximie inducit ad imitationem illius pro uniuscujusque modo, & conſequenter ad proficiendum hac ex parte in vita, & perfectione chriſtiana. *Probatur* SS. Virgo Maria exemplar eſt omnimodæ virginitatis, quæ cadere poteſt in puram creaturam, tum quia ſemper virgo corpore fuit, ante partum, in partu, & poſt partum, (*Comp. Th. t.* 1. §. 290. 295. 296.) & ab omni peccato veniali, (*Ibid.* §. 349. *n.* 3.) & motu fomitis immunis: (*Ibid.* §. 267. *Sch.* 2. 3.) tum quia etiam ſemper virgo fuit animi perfectiſſima virginitate præditi, ad quam ſe non ſolum propoſito, ſed etiam juxta PP. & omnes Theologos voto obſtrinxit, quod ex ipſius reſponſione ad Angelum colligitur. Luc. 1. v. 34. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.* „ Quod pro„ fecto, ait S. Auguſtinus *l. de S. Virginit. c.* 4. „ non diceret: „ Niſi Deo Virginem ſe ante vo„ viſſet“. Ergo nullus eſt, qui pro ſuo modo in hac virtute toto conatu beatiſſimam Virginem imitari non poſſit, & debeat. Habemus enim in illa virginem, & conjugem, & matrem, ita ut matres, ſi non virgines, ſaltem caſtas ſe exhibere Deo; conjugati, ut caſti figurare Sacramentum magnum in Chriſto, & Eccleſia; cœlibes, ſi non voto, ſaltem firmo caſtitatis corporis, & animi propoſito; virgines denique vel propoſito, vel voto, SS. Virginem imitari, & unusquisque in ſervando caſtitatem, ſtatui ſuo convenientem, eam æmulari valeat.

Meditatio virginitatis B. V. ad proficiendum conducit.

Schol. Quod verum inter beatiſſimam Virginem Mariam, & S. Joſephum, non obſtante voto virginitatis, matrimonium fuerit, probatum fuit. (*Comp. Th. t.* 3. §. 1198.) ubi etiam rationes hujus desponſationes factæ expoſitæ fuerunt.

§. 113.

Meditatio immunitatis a peccato B. V. ad proficiendum juvat.

Rurſus meditatio affectiva privilegii *immunitatis B. V. Mariæ ab omni peccato* inferet efficaciſſime imitationem, a nobis peccatoribus præſtabilem, ut delendo commiſſa, & abſtinendo a committendis etiam minimis peccatis, quantum divinæ gratiæ viribus unicuique conceſſum fuerit, ſine offendiculo proficere poſſimus in vita, & perfectione chriſtiana. Probatur *primo.* Beatiſſimæ Virginis ſingulariſſimum donum eſt, ſemper fuiſſe ſine macula culpæ, tum originalis, tum actualis gravis, aut levis; nec fuiſſe ob aliquam imperfectionem reprehenſibilem. (*Comp. Th. t.* 1. §. 267. *Sch.* 2. 3. §. 349. *n.* 3.) Ergo & nos ſic eam imitari debemus, ut pro noſtro modulo non ſolum a gravium peccatorum maculis nos cuſtodiamus, ſed etiam ope gratiæ a venialibus, ſaltem plene deliberatis, & reprehenſibilibus ſtatus noſtri imperfectionibus, ſaltem a ſingulis, vel ab omnibus per intervalla, & ad breve tempus nobis caveamus. *Secundo.* Licet SS. Deipara ex dictis ab omni peccato, & peccandi periculo exempta, & juxta Patres, & Theologos in gratia confirmata fuerit, nihilominus in omnibus periculis, & umbris peccati tam caute ſe geſſit, ac ſi eſſet peccatis obnoxia; unde ad Angeli verba *turbata eſt.* Luc. 1. v. 29. quia teſte

teſte S. Ambroſio *ibid.* „ Maria etiam ſaluta„ tionem Angeli verebatur “. Et uti ait S. Hieronymus *ep.* 7. „ Ideo forſitan timore per„ territa eſt, quia virum, quem non ſolebat, „ aſpexit “. Ergo a fortiori nos miſeri peccatores, & quia paſſim peccamus, & quia multiplicius ultra peccare poſſumus, in ſedula hac præcautione SS. Deiparam imitari debemus.

Adhortatio ad imitationem vitæ B. V. M.

Corollar. Inſpiciamus ergo hoc ſpeculum ſine macula Mariam, & ad hujus ſpeculi conſpectum nos ſpeculemur. *Sit nobis tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque B. Mariæ: de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumamus licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeamus, oſtendunt.* S. Ambroſ. *l.* 2. *de Virg. c.* 2. Sint oculi noſtri in manibus Dominæ noſtræ, in qua, uti Dionyſius Carth. *l.* 1. *de laud. Virg. art.* 35. ait: „ A planta pedis usque ad verticem capitis nihil „ penitus fuit; neque in corpore, neque in anima „ indecens, reprehenſibile, indecorum. *Quando enim*, pergit S. Ambroſius l. c. *Iſta vel vultu læſit parentes? quando diſſenſit a propinquis? quando faſtidivit humiles? quando deriſit debilem? quando vitavit inopem? Eos ſolos ſolita cœtus virorum inviſere, quos miſericordia non erubeſceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis.* Ecce! in quibus beatiſſima Virgo a nobis ſit imitabilis.

§. 114.

Meditatio ſanctitatis B. V. perfe-

Denique meditatio affectiva privilegii omnimodæ *ſanctitatis B. V. Mariæ* imitationem ejus

 pro

ctionem noſtram promovet. pro noſtra tenuitate, & profectum in vita, & perfectione chriſtiana excitare, & promovere in nobis poteſt. Probatur *primo*. B. V. Maria *gratia plena* prædicatur ab Angelo *Luc*. 1. *v*. 28. utpote quæ juxta expoſitionem S. Ambroſii: „ Sola gratiam, quam nulla alia meruerat, „ conſecuta eſt, ut gratiæ repleretur authore". Et juxta S. Bernardum *ſerm. de Nat. B. M.* „ Eſt plenus aquæductus, ut accipiant cœteri „ de plenitudine ". Et *v*. 30. certificatur ab eodem Angelo: *inveniſti enim gratiam apud Deum.* Ubi S. Bernardus ſubdit: „ Quod plena eſt „ gratia, & gratiam adhuc invenit? digna „ prorſus invenire, quod quærit, cui propria „ non ſufficit plenitudo, nec ſuo poteſt eſſe „ contenta bono; ſed quemadmodum eſt: qui „ bibunt me, adhuc ſitient, petit ſupereffluen- „ tiam ad ſalutem univerſitatis ". Ergo ex hac meditatione ad imitationem devotionis, orationis, & aliarum virtutum B. V. Mariæ provocari, & per ejus interceſſionem gratiam a Deo ad proficiendum in perfectione impetrare poſſumus. *Secundo*. B. V. Maria ſuis meritis gratiam, & gloriam accumulantibus omnes alias animas ſanctas longe ſuperavit, teſte S. Bonaventura in ſpecul. B. V. c. 8. *Multæ aliæ animæ juſtæ congregaverunt divitias virtutum, & gratiarum, divitias meritorum, & præmiorum, ſed Maria univerſis divitiis ſupergreſſa eſt excellentiſſime univerſas;* quia nimirum omnibus diebus, quin & momentis vitæ ſuæ ſemper fecit, quod magis erat placitum divino Filio ſuo. Ergo & nos pro menſura gratiarum, & auxiliorum, quibus nos Deus ad bene merendum

ve-

vocare dignatur, imitari SS. Deiparam ſtudeamus, & fideliter, & plene Deo ad perfectius, & melius excitanti, & adjuvanti reſpondeamus.

Excellentia ſanctitatis B. V. exponitur.

Schol. Theologi cum Suarez *t.* 2. *in* 3. *p.* Raynaudus *in Dyptych. Mariam.* Vega in ſua *Theol. Marian.* &c. communiter docent, B. V. Mariam fuiſſe in via, & modo eſſe in gloria, gratia, & meritis cumulatiſſimam, ea plenitudine, quæ in puram creaturam cadere poteſt, non quidem juxta id, quod abſolute, ſeu ſecundum potentiam Dei abſolutam eſt poſſibile, ſed juxta menſuram divinæ providentiæ, conformem ſtatui, & dignitati Matris Dei, quæ quidem longiſſime inferior eſt, non ſolum Chriſto, ut Deo, ſed etiam humanitate Chriſti: longe tamen ſuperior eſt ſtatu Angelorum, & cæterorum hominum. Ex hoc autem concludunt, 1. SS. Deiparam adhuc a primo inſtanti conceptionis incluſive omnem, quam habuit, gratiam, ex propriis meritis, non quidem ſemper de condigno, ſed ſaltem de congruo, ſeu ex propria diſpoſitione habuiſſe. 2. Eam ſemper continuaſſe, augendo gratiam ex meritis, & quidem per ſingula momenta, etiam in ſomno: quia fides, qua illuſtrabatur, juxta hos Theologos juvit ad operandum per ideas infuſas independentes a phantasmatibus, & quia ſemper ſe exercuit per actus humanos, & ſaltem ex fine ſupernaturales. 3. Quod ſemper exercuerit actus heroicos, tum ex objecto, tum intenſione, tum omnigenæ virtutis flore, præſertim charitatis ardore, a qua nunquam defecerat, ſaltem virtualiter, quin & formaliter, usque dum vi amoris, ne tunc quidem moraliter interrupti, moreretur. 4. Quod, ſi non per exceſſum duplo majorem, ſaltem ad ampliſſimam menſuram gratiæ actualis, quam ſemper implevit, incrementa gratiæ ſanctificantis, maxime pro caſu Annuntiationis, Paſſionis &c. ineffabiliter auxerit, quæ augmenta in calculum mathematicum redegit Caſpar Schottus *de Magia l.* 8. *ſynt.* 1. §. 11. Nierenbergius,

& Segneri. 5. Denique docent, quod gratia, & gloria SS. Deiparæ, ſaltem in conſummatione, longe major fuerit, gratia conſummata & Angelorum, & Sanctorum omnium, etſi collective ſumantur. Ita Reguera *in Prax. Th. myſt. t.* 1. *pag.* 600.

§. 115.

Virtus quid. Meditatio affectiva vitæ, & paſſionis Chriſti Domini, & privilegiorum B. V. Mariæ eo potiſſimum fine a proficientibus in perfectione chriſtiana frequentanda eſt, ut ad imitationem, ac implantationem virtutum, & earum conſtans exercitium animentur. De quibus proinde modo agendum eſt. *Virtus* igitur eſt habitus, quo homo bonus, & operatio ejus bona efficitur. (§. 15.) Sive eſt habitus ad actus moraliter bonos, & honeſtos eliciendos facilitans, & inclinans. Sive denique juxta S. Auguſtinum l. 2. de lib. arbit. *Eſt bona qualitas mentis qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur.* Quam definitionem amplectitur, & pluribus exornat D. Thomas 1. 2. *q.* 55. *a.* 4.

Diviſio virtutis. *Schol.* 1. Virtus pro noſtro hoc inſtituto duplex diſtinguitur. 1. Alia eſt *Theologica*, quæ immediate circa Deum verſatur, eſtque triplex *Fides*, *Spes*, & *Charitas*, de quibus dicitur Eccl. 2. *Qui timetis Deum, credite illi, ſperate in illum, diligite illum.* Quæ virtutes Theologicæ vocantur, vel quia circa Deum tanquam proprium objectum verſantur; vel quia hominem quodammodo in Deum transformant; ac divinum reddunt, vel quia a ſolo Deo infunduntur, vel demum, quia ſola divina revelatione in S. Scriptura nobis traditæ ſunt, cum apud Philoſophos fuerint incognitæ. Quippe per fidem cognoſcitur Deus, ut finis noſter ſupernaturalis:

ralis: per ſpem concupiſcitur, & expectatur poſſidendus in patria: & per charitatem ſuper omnia diligitur. Alia eſt *Moralis*, quæ verſatur circa objectum creatum, & bonitatem quandam moralem, & in formandis hominum moribus occupatur, quæ quatuor genera virtutum complectitur, quibus reliquæ, tanquam ſpecies, ſeu, ut ajunt, *virtutes ſubjectivæ* ſubjiciuntur, vel illis ut partes integrantes conjunguntur, & ideo *virtutes integrantes* dicuntur; vel veluti modi, & inſtrumenta in exercendis virtutum principaliorum actibus adhibentur, & *virtutes potentiales* vocantur. Quatuor hæc virtutum genera *Cardinales*, ſeu principales appellantur, ſuntque *Prudentia*, *Juſtitia*, *Temperantia*, & *Fortitudo*, per quas homo circa creaturas perficitur, & quidem quantum ad intellectum, per prudentiam; quantum ad voluntatem in ordine ad alios, per juſtitiam; in ordine ad ſeipſum quoad bona appetibilia, per temperantiam, & quoad mala, ſeu adverſa toleranda, per fortitudinem. 2. Virtutes Cardinales a Platonicis, & a S. Thoma 1. 2. *q.* 61. *a.* 5. dividuntur in virtutes politicas, purgatorias, purgati animi, & exemplares. Exemplar humanæ virtutis in Deo præexiſtit, ſicut in eo præexiſtunt omnium rerum rationes, & ſic virtutes prout ſunt exemplariter in Deo, dicuntur *exemplares*. Quæ vero ſunt in homine virtutes, vocantur *politicæ*, cum ſecundum eas homo recte ſe habet in rebus humanis gerendis: quocirca de Salomone prudenter regnum gubernante dicitur. 3. Reg. *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis.* De Juſtitia Pſ. 71. *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio regis.* De Fortitudine Eccl. 7. *Noli velle aſſumere principatum, niſi virtute valeas irrumpere iniquitates.* De Temperantia Eccl. 10. *Beata terra, cujus Rex nobilis eſt, & cujus Principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Virtutes *purgatoriæ* ſunt, quarum ope pugna inſtituitur pro animi paſſionibus rationi

 ſub-

ſubdendis, de quibus, & quidem de prudentia dicitur. Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* De Temperantia, Eccli. 31. *Qui abſtinens eſt, adjiciet dies.* De Juſtitia Eccl. 1. c. 4. *Usque ad mortem certa pro juſtitia.* De Fortitudine. Tob. 7. *Forti animo eſto, in proximo eſt, ut a Deo cureris.* Purgatoriis virtutibus ſuccedunt virtutes *purgati animi*, ita, ut prudentia ſola divina intueatur; temperantia terrenas cupiditates neſciat; fortitudo paſſiones ignoret; juſtitia cum divina mente perpetuo fœdere ſocietur, cujus exemplum in S. Job habemus, & alia adducit Lauræa *in* 3. *ſent. t.* 2. *diſp.* 5. *a.* 3. *&c.* 3. Denique virtus alia eſt *communis*, de qua loquitur definitio in (§. 115.) allata: alia eſt *herbica*, quæ juxta Lauræam *in* 3. *ſent. t.* 2. *d.* 32. eſt ille virtutis gradus, & perfectio, ſeu fulgor, & excellentia, quæ facit, ut homo circa materiam illius virtutis ſupra communem aliorum hominum operandi modum operetur.

Virtus heroica quid. *Schol.* 2. Proinde, ut virtus ſit heroica, requiritur, ut ea præditus expedite, prompte, & delectabiliter operetur, ad quod annexum aliquod donum Spiritus S. requiritur, juxta S. Thomam 1. 2. *q.* 68. *a.* 1. & Roſignolium *de diſcipl. Chriſt. perf. l.* 3. *c.* 2. Negat tamen Lauræa *l. c.* virtutem heroicam differre ſpecie a non heroica, cum heroicitas ſit ſolum perfectio virtutis. Item licet virtus heroica ſit virtus purgati animi, tamen inferri nequit, virtutem heroicam eſſe non poſſe, niſi ſit purgati animi, nam Gloſſa in *Clement. fin. de hæretic.* docet quidem, virtutes purgatorias eſſe virtutes hominum nondum purgatorum a paſſionum inſultibus, & ſic non ſumme perfectorum, ſed ad hoc toto conatu tendentium; virtutes autem purgati animi eſſe hominum totaliter purgatorum a paſſionum moleſtiis: ſed ſubdens; virtutes purgatorias eſſe hominis imperfecti, hanc imperfectionem reſtringit ad defectum majoris perfectionis, quæ vel in Beatis in patria, vel in pauciſſimis in hac vita perfectiſſi-

fectiſſimis invenitur, non vero extendit ad defe-ctum heroicitatis. Uti docet Lauræa *l. c. diſp.* 32. *art.* 4. paucis. Heroicitas, ſeu promptitudo, delectatio, & alacritas in operando non exclu-dunt paſſiones, ſed cum eis cohærent, præcipue, ſi ſint in gradu remiſſo, uti explicat Reſignolius *l. c. c.* 3. Item virtus chriſtiana, ſeu actio, ut ſit heroica, non debet eſſe neceſſario conſilii, ſed ſufficit, ſi ſit etiam præcepti, ſi cætera ad heroici-tatem requiſita concurrant; tum quia perfectio per ſe conſiſtit in charitate, adeoque in præceptis, ſecundario autem in conſiliis; tum quia magis me-ritorium eſt opus factum cum, quam ſine voto. Idipſum innuunt S. Vincentius Ferrerius *in ſerm. de S. Franciſ.* Navarrus *com.* 4. *de Regular.* aliique, & merito: alias enim S. Thereſia nullum actum heroicum elicuiſſet, utpote quæ emiſerat votum faciendi ſemper, quod perfectius cognoviſſet. Se-ctarii vota impugnantes dicunt, heroicitatem con-ſiſtere in libertate, vota vero auferre libertatem, adeoque heroicitatem, & ſanctitatem. Sed hos refellit Bellarminus *l.* 2. *de Monach. c.* 18. oſtendens, vota non tollere libertatem ad laudem, meritum, & heroicitatem neceſſariam: imo S. Thomas *opuſc.* 18. *de perfect. c.* 10. docet meritum operantis ex voto augeri.

An virtu-tes inter ſe ſint con-nexæ.

Schol. 3. Virtutes aliæ ſunt *infuſæ*, quarum habitus a Deo nobis infunduntur, quales ſunt virtutes Theologicæ, quæ nobis in Baptismo, &, ſi per peccatum mortale amiſſæ fuerint, per juſtificatio-nem denuo infunduntur, & per actus bonos, & meritorios de condigno augentur. Quod idem probabiliter de virtutibus moralibus dici poteſt. (*Comp. Th. t.* 1. §. 366.) Aliæ ſunt acquiſitæ, ſcilicet virtutes morales, quæ acquiruntur per actus virtuoſos frequentatos elicitos, & imperatos. An vero virtutes ita inter ſe ſint connexæ, ut unam ha-bens cæteras habere dicendus ſit. Reſpondet SS. D. Be-nedictus XIV. *de ſerv. Dei. Beatif. l.* 3. *c.* 21. certo aſſe-

 ri

ri non poſſe, connexionem reperiri inter habitus virtutum Theologicarum, & moralium; tum quia amiſſa per peccatum charitate, remanet adhuc fides, & ſpes; (*Comp. Th. t.* 2. §. 561. & 582.) adeoque virtutum Theologicarum connexio inter ſe, non ab ipſarum natura, ſed Dei liberalitate, qui, quando aliquem ſanat, perfecte ſanat, in prima ipſarum infuſione verificatur: tum quia non eſt certum, an habitus virtutum moralium cum virtutibus Theologicis in juſtificatione infundantur; (*Comp. Th. t.* 1. §. 366. *Schol.*) tum quia experientia conſtat, aliquos eſſe humiles, ſed non fortes: adeoque connexio virtutum ſolum neceſſaria eſſe videtur, ut ſint omnino perfectæ, uti ait S. Gregorius l. 22. Mor. c. 1. *Una itaque virtus ſine aliis aut omnino nulla eſt, aut imperfecta.* Quod idem docet S. Thomas 1. 2. *q.* 65. *a.* 1. *in* ⊙. Nimirum virtutes morales conſiderari poſſe; ut ſunt imperfectæ, & ſic non eſſe connexas, contra vero connexas eſſe, ſi conſiderentur uti perfectæ, ita, ut unam perfectam habens, alias habere debeat, ſaltem in præparatione animi, cum propoſito im- vel explicito, eas exercendi, ſi occaſio detur.

§. 116.

Requiſita ad virtutem chriſtianam.

Ut vero *virtus* ſit vera, chriſtiana, & ad ſalutem æternam proficua, ſequentes conditiones requiruntur.

Primo. Actus ejus debet eſſe *deliberatus*, & *liber*, ex *motivo honeſto*, & virtuoſo elicitus. Nam virtuoſus dicitur laudabilis, Eccl. 31. *qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus.* Et juxta S. Auguſtinum *l.* 5. *de Civ. c.* 7. „ Nulla „ a juſtitia bonis præmia, & malis ſupplicia „ eſſent conſtituta, ſi a Dei præſcientia imprimatur neceſſitas “. Ergo debet eſſe deliberatus, & liber. Deinde opus in individuo indiffe-

differens non datur. (*Comp. Th. t.* 2. §. 438. *Schol.* 2.) Ergo ex motivo honeſto elici debet.

Secundo. Omnes *circumſtantiæ*, in quibus actus virtuoſi eliciuntur, debent eſſe *moraliter bonæ:* quia bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu. (*Comp. Th. t.* 2. §. 435.)

Tertio. Actus virtutis chriſtianæ debent elici ex *fine ſupernaturali*, per fidem divinam cognito: alias eſſent mere naturales.

Quarto. Debent elici mediante *gratia* divina actuali excitante, & cooperante, quæ omnino ad omne opus ſupernaturale requiritur, *quia ſine me nihil poteſtis facere.* Joan. 15. v. 5. (*Comp. Th. t.* 1. §. 346.)

Quinto. Debent eſſe actus ſæpiſſime *frequentati:* quia non ex uno, vel altero actu, ſed ex frequentatis actibus generatur habitus.

Sexto. Ut vero actus virtutis etiam ſit meritorius de condigno gratiæ, & gloriæ, debet elici ab homine in ſtatu gratiæ exiſtente: (*Comp. Th. t.* 1. §. 385. *n.* 5.) & imperari ſaltem a charitate, omnium virtutum forma, & regina. (*Ib.* §. 386. *Schol.* 4.)

An ſine fide, & charitate veræ & heroicæ, virtutes dentur.

Schol. Quærunt Theologi, an infideles ſolo naturali lumine aliquas virtutes in ſuo genere perfectas, licet non meritorias vitæ æternæ; habere poſſint; & an eæ ad gradum heroicum in eis aſcendere valeant; & an inter illos quisquam fuerit ita virtute præditus, ut revera heros eſſet. Primum innuere videtur S. Ambroſius *in Pſ.* 1. *tom.* 1. *oper. col.* 757. & ex quibusdam ſcripturæ locis ſuadent Theologi, docentes, ab infidelibus absque fide fieri poſſe aliqua opera moraliter bona, quod etiam deſumitur

ex

ex damnatione propoſitionum Baji, & aliorum affirmantium, omnia infidelium opera eſſe peccata. (*Comp. Th. t.* 1. §. 347.) Si igitur in gentilibus veræ virtutes morales reperiri poſſint, nil prohibere videtur, quin etiam ad gradum heroicum ſpectata rei natura pertingere valeant. Verum cùm ad conſtituendum verum heroem, collectio omnium virtutum moralium requiratur, quotquot autem inter gentiles propter alicujus virtutis moralis excellentiam apud ſuos nomen herois conſecuti ſunt, aliis ut plurimum virtutibus caruerint, & vitiis infecti fuerint, neminem ex illis ſtricte heroem fuiſſe ſtatuendum eſt, ut lato calamo probant Lauræa *in* 3. *ſent. tom.* 2. *diſp.* 5. *art.* 2. & Theophilus Raynaudus *tom.* 4. *de virtut. l.* 1. *c.* 1. *ſect.* 2. Eodem modo ſine charitate, & gratia ſanctificante veræ quidem virtutes morales, non tamen perfectæ acquiri poſſunt, uti oſtenſum fuit. (*Comp. Th. t.* 2. §. 615.)

§. 117.

Fides quid.

Cum igitur homo per tres virtutes Theologicas ſufficienter perficiatur circa Deum, ſcilicet, circa ipſum ut ſupernaturaliter cognoſcendum, per *fidem;* circa ipſum, ut appetibilem a nobis, tanquam ſummum bonum noſtrum, per *ſpem;* circa ipſum, ut diligibilem in ſe, per *charitatem.* Et per quatuor virtutes Cardinales ſufficienter perficiatur circa creaturas, quia per *prudentiam* perficitur intellectus; per *juſtitiam* voluntas quoad proximum: per *temperantiam* in proſperis, & *fortitudinem* in adverſis quoad ſeipſum; hinc, qui ſeptem has virtutes cum contentis ſub illis ſibi implantaverit, quoad omnes ſuas potentias perfectus erit. Quare de illis hic agendum eſt, non quidem theologice,

ce, dogmatice, & moraliter, quod jam in Theologia noſtra dogmatica, & morali præſtitimus, ſed theologice myſtice, in quantum ad proficiendum in chriſtiana perfectione conducunt, & neceſſariæ ſunt. Et primo quidem de *fide*, quæ ab Apoſtolo Hebr. 11. v. 1. definitur: *Eſt ſperandarum ſubſtantia rerum*, (id eſt fundamentum ſpei) *argumentum non apparentium*: (ſeu lumen habitualiter inclinans, ad aſſentiendum veritatibus obſcuris a Deo revelatis.) Sive *fides* eſt virtus Theologica divinitus infuſa, qua firmiter aſſentimur propter divinam veritatem omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Eccleſiam propoſuit, ſive ſcripta ſint, ſive non. (*Vid. Comp. Th. t. 2.* §. 546.)

Schol. Credere ergo oportet omnia, quæ a ſancta matre noſtra Eccleſia Romano-Catholica, quæ unica eſt Chriſti ſponſa, & columna veritatis, tanquam a Deo revelata, & ut talia credenda proponuntur, & quidem ideo: quia Deus ſumma veritas in dicendo, quæ nos fallere, & in cognoſcendo, quæ ob ſuam infinitam ſapientiam falli nequit, revelavit. De quo, ſicut & de motivis credendi actum fuit (*in Comp. Th. t. 2. a* §. 544. *usque ad* §. 564.) ubi etiam de iis, quæ explicite credenda ſunt, de actu fidei, & vitiis illi oppoſitis &c. tractatum fuit. Videri etiam poſſunt Aſcetæ, qui de hac materia tractant, & inter alios Joannes a Jeſu Maria *in inſtruct. Novit. c. 2.* *Explicatur.*

§. 118.

Fides ante omnia eſt, in qua *exerceri* toto conatu debemus, ut in perfectione creſcamus. Probatur *primo* ex S. Scriptura *Hebr.* 11. ubi Apo- *Fides ad proficiendum neceſſaria eſt.*

Apoſtolus vim fidei extollens, eamque exemplo Sanctorum V. T. probans, v. 33. ait: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* Ubi S. Thomas *lect.* 7. probat, hoc ſpiritualiter verificari de Sanctis, quatenus per fidem vicerunt diabolum, carnem, & mundum cum regnis ſuis. „ Nullus „ enim poteſt præſentia contemnere, niſi pro- „ pter ſpem futurorum bonorum: per contem- „ ptum enim principaliter vincitur mundus; „ & ideo quod fides nobis oſtendit inviſibilia, „ propter quæ contemnitur mundus, ideo vin- „ cit mundum fides noſtra “. Plura fidei elogia Manſi *in Biblioth. mor. tr.* 22. *diſc.* 3. ex S. Scriptura congerit. *Secundo* patet ex PP. S. Chryſoſtomus *hom. de fide &c.* ait: *Eſt enim fides origo juſtitiæ, ſanctitatis caput, devotionis principium, Religionis fundamentum. Nullus unquam ſine hac Dominum promeruit, nullus ſine illa faſtigium ſublimitatis aſcendit. Quoties ad iſtam fidem acceditur, & pactum inter Deum & hominem firmatur, tunc homo Deo ſe credere profitetur, & a Deo homini pignus quoddam Spiritus S. tribuitur.* Subſcribit S. Thomas de Villanova *ſerm. in oct. Paſchæ*, de fide dicens: „ Hæc „ veros chriſticolas facit, mollia abjicere, dul- „ cia relinquere, aſpera ſubire, laborioſa ſuf- „ ferre. Fides prava deſideria frænat, effræ- „ nes appetitus cohibet, feroces cordis motus „ ſedat, vitia pellit, virtutes inſerit; mollia „ calcat, aſpera tolerat, in proſperis non eri- „ gitur, in adverſis non dejicitur: denique ni- „ hil eſt tam arduum, & tam durum, quod „ non aggrediatur propter Deum, qui viva fi- „ de

„ de credit in Deum “. Nota *viva fide:* mortua enim, otioſa, ſine operibus, & ſine ſpe, & charitate ad dicta non prodeſt, juxta Tridentinum *ſeſſ.* 6. *c.* 7. Eodem tamen teſte *c.* 10. etiam certum eſt, reliquas virtutes cum operibus non prodeſſe ſive ad primam juſtificationem, ſive ad ejus augmentum, niſi *cooperante fide bonis operibus.* Teſtatur item P. Valentia *t.* 3. *d.* 1. *q.* 7. Patres omnia fere aſcribere fidei, tanquam radici, & cauſæ: quia eſt fundamentum totius humanæ ſalutis, ita ut Apoſtolus *Hebr.* 11. merito dixerit: *Juſtus autem meus ex fide vivit.* Unde *tertio* apparet ratio, quam affert S. Thomas 2. 2. *q.* 7. *art.* 82. *&* *q.* 8. *a.* 1. *&* 7. *&* 8. tum quod fidei effectus ſpecialis ſit purificare cor. Act. 15. v. 9. *Fide purificans corda eorum.* Tum quod fides roboretur dono intellectus, quo movetur quis a Spiritu S. ut melius penetret res fidei, & Deo firmius inhæreat: tum quod huic dono, & fidei ſic roboratæ correſpondeat ex modo dictis puritas, & munditiés cordis, quæ eſt una ex octo beatitudinibus: tum quod illi etiam correſpondeat fructus Spiritus S. qui dicitur fides, tanquam ſpeciale gaudium ex certitudine fide illuſtrata proveniens. Denique quia, ſicuti notat Roſignolius *l.* 3. *Chriſt. perf. c.* 4. fides in gradu perfecto ad omnes virtutes, & actiones heroicas exercendas provocat, quæ ab hominibus fiunt, præſertim autem mundi contemptum, & humanarum divitiarum, ac rerum omnium perfectam abdicationem.

Schol. 1. Fides in gradu perfecto, & *heroico* dignoſci poteſt ab externa confeſſione eorum, quæ in corde cre- *Signa fidei heroica.*

creduntur: ſcilicet ex obſervantia præceptorum, ex oratione ad Deum, ex ſubmiſſione ad Deum, ad Eccleſiam Catholicam, & ejus viſibile caput, Romanum Pontificem, in omnibus, quæ pertinent ad credendum, & operandum propter ſalutem æternam; ex fidei dilatatione, aut ſaltem ejus deſiderio; ex timore Dei, ex cultu Dei, & Sanctorum; ex horrore peccati, & pœnitentia de eo commiſſo; ex patientia in adverſis; ex lætitia in bonis operibus; ex humilitate, & ſui abjectione; ex Martyrio, & aliis adverſitatibus, & perſecutionibus pro fide perpeſſis. Item dicimus habitum heroicum fidei ex his actionibus dignoſci, ſi earum frequentia ſuppetat, ſi facilitas, promptitudo, & delectabilitas eas comitentur, & ſi ex circumſtantiis, in quibus prodierunt, aliquid arduum & excellens adfuerit, quod admirationem conciliet, & ſic agentem elevet ſupra communem operandi modum, etiam proborum virorum, ad quæ donum Spiritus S. ſcilicet intellectus, concurrit, de quo Pſalm. 31. dicitur: *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris, & firmabo ſuper te oculos meos.* Quæ omnia probat Lauræa *t.* 2. *in* 3. *ſent. d.* 32. *a.* 9. & SS. Benedictus XIV. *de ſerv. Dei beatif. l.* 3. *c.* 23. exemplis illuſtrat.

Praxis implantandi fidem.

Schol. 2. *Actus*, quibus *fides* in anima chriſtiana implantatur, ſunt 1. quotidie Deo pro beneficio vocationis ad fidem catholicam gratias agere, & ſimul orare, ut nos in vera fide ſemper usque ad mortem conſervare dignetur: fides enim eſt donum Dei, initium juſtificationis noſtræ, & ſalutis, ſine qua Deo placere eſt impoſſibile. 2. Quotidie reflexe orare ſymbolum Apoſtolorum, & firmiſſime propter infinitam Dei veracitatem credere myſteria in eo ſymbolo contenta, & quidquid credendum proponit Eccleſia Romano-Catholica. 3. Sæpius elicere hunc actum, quod quis cum gratia Dei libentius velit mori, & omnia pati, ac perdere, quam fidem Romano Catholicam negare, aut deſe-

deſerere: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Math. c. 10. v. 33. 4. Sæpius recogitare, & agnoſcere imbecillitatem, ignorantiam, & errores proprii intellectus, & judicii, quoties nimirum aliquis propro judicio jam deceptus fuerit; adeoque melius eſt ſuum intellectum, & judicium captivare in obſequium fidei chriſtianæ, & illi ſimpliciter aſſentiri, quod Deus omniſcius falli, ac fallere neſcius revelavit, & hoc cum pio voluntatis in Deum affectu, hoc eſt: ex amore erga Deum, ex filiali reverentia, & fiducia erga illum, ex ſumma æſtimatione divinæ omniſcientiæ, ſapientiæ, & bonitatis, ex humillima veneratione divinorum judiciorum. 5. Sæpius perpendere, quod Deus ſit ens infinite perfectum, nos vero valde limitatæ perfectionis, & intellectus exigui: adeoque divina myſteria, judicia, & opera ſunt nobis incomprehenſibilia, & inſcrutabilia, quibus proinde intellectum noſtrum ſubjicere debemus, cum Apoſtolo exclamantes Rom. 10. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* 6. Non diſputare cum diabolo tentante de articulis fidei, ſed ſimpliciter credere, quæ credit S. Mater Eccleſia Romano-Catholica, & in, & pro hac fide cum gratia divina vivere, & mori velle.

Adhortatio ad fidem.

Corollar. Exerceamus igitur nos in fide, non qualitercunque, ſed in gradu perfecto, & heroico: *fortes in fide;* 1. Pet. 5. v. 9. & ut hoc præſtemus oremus: *Adauge nobis fidem.* Luc. 17. v. 5. Fides enim poteſt eſſe ſicuti charitas magis, vel minus perfecta, uti notat S. Thomas 2. 2. *q.* 5. *a.* 4. ſcilicet *ex toto corde.* Act. 8. v. 37. Non tantum non admittendo formidinem, ſed magis, & magis perfecte tam intenſive, quam extenſive revelatis adhærendo. Nihil ipſa experientia notius, quam ſummum inter perfectos, & imperfectos Chriſtianos diſcrimen, cum tamen omnes de fide glorientur ſub ea Petri de ſe exiſtimatione, Matth. 26. v. 35.

Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo
Verum de imperfectis merito timendum eſt, ne in probatione fidei ſuæ facile deficiant; operibus ſan multi deficiunt, ita viventes, quaſi non crederent cum econtra perfecti operando demonſtrant, quam vera ſit fides noſtra, quæ tam ſancta opera producit: unde ſe ante omnia in fide perficere ſtudent ut in cæteris omnibus proficiendo perfecti fiant „ Eorum fides, ait Alvarez de Paz *tom.* I. *vit.* „ *ſpir. l.* 4. *c.* 25. donis ſapientiæ, & intellectu „ adjuta, mirum eſt, quam aliter, atque alii com„ munes homines, humana & divina prævideat „ & myſteria cœleſtia cognoſcat. Humana quippe „ jam non ſecundum externam faciem, quæ pul„ chra, & decora apparet, ſed introrſus quoque „ aſpicit, & quia ad eorum brevitatem, & exili„ tatem, & inſtabilitatem penetrat, ex corde con„ temnit. Divina non quaſi eminus poſita, ſed „ quaſi proxima, & cito ventura cognoſcit: qua„ re illa ardenter concupiſcit. Myſteria etiam cœ„ leſtia fide quidem, dum hæc vita durat, ſed, „ ita loqui liceret, fide clara perluſtrant: non qu„ ipſorum fides clara ſit . . . . ſed quia fidei ſu„ ſtantia, ſervata obſcuritatis, & inevidentiæ ratio„ ne, retenta tanta ſapientiæ luce, roboratur, „ efficacitate veſtitur, ut res divinas pene non v„ deatur obſcure proponere, ſed quaſi clare, „ aperte enucleare".

§. 119.

Spes quid. Altera virtus Theologica eſt *ſpes*, quæ e virtus Theologica ſupernaturalis, a Deo inf ſa, per quam certa cum fiducia futuram æte nam beatitudinem, & media illius aſſequend per Dei auxilium expectamus.

Explicatur. *Schol.* Virtutem ſpei nobis ſumme eſſe neceſſari non tantum neceſſitate præcepti, ſed etiam me colligitur ex Tridentino ſeſſ. 7. cap. 16. *In D ſperan*

ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda. Sperare autem debemus æternam beatitudinem, & omnia media ad eam obtinendam neceſſaria, ſcilicet gratiam, pie vivendi, & moriendi; tentationes ſuperandi, virtutes exercendi, & peccatorum veniam obtinendi, & quidem ex motivo; quia Deus ſumme bonus, ſumme potens, & ſumme fidelis illa nobis dare promiſit, & Chriſtus ideo pro nobis paſſus, & mortuus eſt: quia tamen ſpes timorem omnem non excludit, hic etiam a nobis, cum diffidentia de nobismetipſis, excludi non debet. Quæ omnia tractata fuerunt (*in Comp. Th. t. 2. a n.* 569. *usque ad n.* 585.)

§. 120.

Spes ad proficiendum neceſſaria eſt.

Ut igitur in perfectione creſcamus, & proiamus in virtute fidei, ſedulo in *ſpe exerceri* demus. Probatur *primo* ex S. Scriptura S. Paus *ad Hebr.* 6. cum hortaretur fideles illos ad rfectiora v. 1. *Ad perfectiora feramur*, & eliora de illis, conſideret v. 19. *Confidimus tem de vobis dilectiſſimi meliora, & viciniora lutis*: id eſt, cooperationem fidelem ad omm perfectionem; eos ad eam adhortans ait 11. *Cupimus autem unumquemque veſtrum eam n oſtentare ſollicitudinem, ad expletionem ſpei ue in finem, ut non ſegnes efficiamini:* ad quod s per ſpem erigit, ſubdens: v. 18. *Firmiſum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tedam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram bemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem ue ad interiora velaminis.* Probatur *ſecundo* PP. S. Chryſoſtomus *hom. de fide, ſpe, & charit.*

charit. ait: *Fides gloriam inchoat, ſpes ſuſtinendo conſummat: illa fundamentum ponit, hæc ipſum hominem conſtruit: illa dat principium, hæc chriſtianum perducit ad ſummum: illa initia credulitatis aggreditur, hæc ad conſummationem virtutis meditatur: illa quod promittitur, credit, hæc, quod ſperat, jam cernit. Nec enim quisquam poterit fidei fructum percipere, niſi qui ſpei gloriam voluerit conſummare: ut enim ſine fide ſpes non habet firmitatem, ita ſine ſpe fides non poteſt habere mercedem.* Et S. Bernardus *ſerm.* 15. *in Pſ.* 90. *Qui habitat &c.* in quo deſcribitur, quomodo ſperans ad Deum confugiat, inimicos ſuos deſpiciat, & in mediis periculis tutus conſiſtat, ait: *Dulciſſima liberalitas, in ſe ſperantibus non deeſſe: hoc enim totum hominis meritum, ſi totam ſpem ſuam ponat in eo, qui totum hominem ſalvum facit . . . quantumcunque illa proceſſerit, obtinebit, ſi tamen in Deum tota figatur, ut firma ſit, & non titubet. Tertio.* Rationem dat Roſignolius *l.* 3. *de chriſt. perf. c.* 5. dicens: „ Ego vero opinor, quemadmodum fides, ut diximus „ (§. 118.) efficit actiones illas heroicas, quibus propter Dei gloriam homo ſeipſum, resque humanas omnes animoſe, fortiterque „ contemnit, ſic ſpem maxime juvare proficientem, ad perſeverandum conſtantiſſime „ in eodem ſuſcepto propoſito usque ad finem“. Unde etiam Apoſtolus in ipſa fidei definitione a fide ſtatim ad ſpem tranſit, & fidem dicit, *ſperandarum ſubſtantiam rerum*, ut Chriſtianus diſcat, quod non terrena, præſentia, & caduca, ſed cœleſtia futura, & æterna cogitare, ſperare, de iis loqui, & ad ea anhelare de-

debeat: maxime quia per ſpem in Deo firmatam, cum diffidentia in ſe, ardua quæque in via perfectionis ſuperare cum potentiſſimo Dei adjutorio quivis poterit.

Spes heroica explicatur.

Schol. 1. Quomodo procedat animus, ut in ſpem erumpat, docet S. Thomas 2. 2. *q.* 17. *a.* 7. ſcilicet ex lumine fidei excitatur quis in amorem beatitudinis, & rerum ad eam conducentium, indeque in deſiderium, ac demum in ſpem; quando enim deſiderium eſt efficax, nititur cognitione finis, ut ſibi poſſibilis, per media a Deo ſibi parata: vel imperat alium affectum, vel ipſum deſiderium eſt affectus, quo decernitur, difficilia quæque, & ardua ſuperare, Deo adjuvante, qui affectus ipſa ſpes eſt; quæ ſi fit in omni neceſſitate, & ad ſuſtinenda quæque adverſa propter vitam æternam, cum maxima fiducia, & ſecuritate, inceſſanter, alacriter, firmiſſime, prompte, & delectabiliter, aut ſaltem cum præparatione animi ad hæc inclinet, erit *ſpes heroica*, quam opera bona ſublimia demonſtrant, uti docet Lauræa *in* 3. *ſent. d.* 32. *a.* 10. Unde ſpes heroica deſumi poteſt ex perfecto modo ſperandi, cum Deus tanquam finis, bona creata tanquam ad illum conſequendum neceſſaria, vel magis conducentia tantum ſperantur, & amantur: & in omni neceſſitate, & periculo ſine ulla dubitatione, & indeſinenter ad illum recurritur, in eoque, & propter eum res difficillimæ ſperantur, & obtinentur, uti fecit S. Thereſia in reformatione ſuæ Religionis. 2. Ab aſpera pœnitentia, perfecta rerum temporalium renuntiatione, magna ſui ipſius diffidentia; ex arduis, quæ pro Dei gloria, & animarum ſalute quis aggreditur, & ex lætitia in adverſis, quæ pro Chriſto & juſtitia ſuſtinet, uti S. Ignatius &c. 3. Ab ingreſſu in Religionem, maxime, quando ex parte mundi gravia impedimenta occurrunt, uti S. Aloyſius ea ſuperavit. 4. Ex lætitia, quam quis

ex nuntio vicinæ mortis, & ejus meditatione percipit, uti S. Philippus Nerius habuit. Vide Benedictum XIV. *de ſerv. Dei beatif. l.* 3. *c.* 23.

Actus ſpei.

Schol. 2. *Actus*, quibus *ſpes* ſupernaturalis, & infuſa in nobis augetur, ſunt 1. In omnibus actionibus, & eventibus, veram, & filialem in divinam bonitatem, omnipotentiam, & fidelitatem fiduciam habere, & a Deo ſolo petere, & expectare auxilium, conſilium, vires, & gratiam, & omnia opera noſtra a nobis facta Deo adſcribere, ipſique propterea humiles grates rependere. 2. Non confidere in homine, nec in creaturis, ſed ante omnia in Deo. 3. Sæpe recogitare, quod Deus tot jam homines ex omni genere ſalvaverit, tot miraculis ad fidem pœnitentiam, & ſanctitatem perduxerit, a malis maximis, peccatis, & inferno miſericordiſſime præſervaverit; & occurrente gravi malo, aut periculo, primo per orationem ad Deum, & Sanctos recurrere, & poſtea modo ad humana remedia. 4. Firmiter credere, quod nos, & omnes creaturæ nihil poſſimus, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo ſit, adeoque in omni caſu cum firma fiducia ad eum recurrere.

§. 121.

Ad æternam beatitudinem aſpirandum.

Quia vero principalis actus ſpei Theologicæ eſt *expectatio æternæ beatitudinis*, & ejus deſiderium (§. 119.) ad eam jugiter aſpirandum eſt, quamprimum Deo placuerit, obtinendam, parato ſemper animo ad omnia præſentia, imo vitam ipſam libenter relinquendam, ut hoc deſiderium impleatur. *Primo* enim hic erat affectus ille frequens Davidis, etiam tunc cum necdum portæ Paradiſi reſeratæ erant. Unde ſuſpirabat Pſ. 41. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem,*

tem, vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Item *Pſ.* 83. *v.* 1. *&* 119. *v.* 5. Mirum proinde non eſt, quod ſancti N. L. ad cœlum jam reſeratum tanto deſiderio anhelaverint. Sic *Apocal.* 22. dicente Chriſto Jeſu v. 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt:* & v. 20. *Ecce venio cito, Amen;* illico repoſuit S. Joannes: *Veni Domine Jeſu.* Sic S. Paulus Rom. 8. v. 23. *Ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Et Philipp. 1. *deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* Et 2. Cor. 5. v. 8. *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. Secundo.* Eodem deſiderio flagrabant PP. & alii Sancti. S. Auguſtinus (vel alius ex eo) in ſoliloq. c. 1. *Eja Domine moriar, ut te videam: videam, ut hic moriar. Nolo vivere, volo mori: cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Mori deſidero, ut videam Chriſtum: vivere renuo, ut vivam cum Chriſto.* Et in Pſ. 90. *Si avari ſumus, vitæ æternæ debemus eſſe avari, talem vitam deſiderate, quæ non habet finem.* S. Bernardus ſerm. 2. de diverſ. *Si oblitus fuero tui Hieruſalem, oblivioni detur dextera mea . . . Quando conſcindes ſaccum meum Domine Jeſu, & circumdabis me lætitia, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar . . . Quando veniet tempus, ut perennibus gaudiis nos in ipſo divinitatis fonte profundius immergamur!* S. Climacus in Scal. c. 6. *Laudatus quidem ille eſt, qui mortem tanquam hodie venturam expectat: ſed ille ſanctus, qui eandem ſemper deſiderat.* Ratio eſt, tum quia hæc aſpiratio ad æternam beatitudinem ex di-

ctis (§. 63.) ad perfectionem chriſtianam ſectandam nos valde excitat: tum quia qui deficit in deſiderando finem ſuum ultimum, qui eſt poſſidere Deum, videndo, & amando illum, eoipſo videtur deficere in fide, ſpe, & charitate, adeoque in ſubſtantia chriſtianismi: quomodo enim credis Deum intuitive viſum, eſſe tuam perfectiſſimam beatitudinem, ſi non ardenter optas pervenire ad illum? Quomodo ſperas hanc beatitudinem ex promiſſione Dei tibi obventuram, ſi non audes te conjicere in Deum, ut ad illum evoles? Quomodo amas Deum ſuper omnia, ſi non ferventer deſideres eum ſtatum, in quo pro tuo modo perfecte cum hoc ſummo bono uniri potes? ergo in hoc deſiderio tam frequentes, quam in exercitio virtutum Theologicarum eſſe debemus: & quia qui finem vult efficaciter, velle debet media ad eum neceſſaria, quale in præſenti mors eſt, etiam mortem ipſam, quæ fit in Domino, non refugere, ſed optare debemus.

An ſit obligatio aſpirandi ad viſionem Dei.

Schol. Plura motiva, & modum, quo liceat, & ſanctum ſit optare mortem, maxime ob puriſſimum amorem, & deſiderium, ſe cum Deo perfecte uniendi, docet, & probat Rodericius *p.* 1. *Exercit. perf. tr.* 8. *c.* 19. 20. 21. Imo quod in aliquo gradu ſit non tantum perfectionis, ſed etiam obligationis, aſpirare ad viſionem Dei, ita, ut pœna dignum ſit, hujusmodi efficacia deſideria non frequentare, exemplis conſtat. Sic S. Birgitta *l.* 4. *revel. c.* 127. de quodam Eremita recens mortuo ait, ſibi revelatum eſſe a Deipara in hæc verba: „ Scias, quod anima iſtius ſtatim cum egreſſa fuit „ de corpore ejus, intraſſet in cœlum, niſi quia „ non habuit in morte perfectum deſiderium, per- „ veniendi ad præſentiam Dei, & ejus viſionem:

„ &

„ & ideo detinetur nunc in illo purgatorio deſide-
„ rii, ubi nulla pœna eſt, niſi ſolum deſiderium
„ perveniendi ad Deum “. Conſonatque ſibi *eod. lib. c.* 7. quo utroque loco videri poteſt Durantus. Idem habent S. Gertrudis, & S. Mechtildis apud Bloſium *in monit. ſpir. c.* 13. aliæque revelationes apud Ven. Bedam *l.* 5. *hiſt. Angl. c.* 13. apud Dionyſium Carth. *dial. de jud. part. c.* 31. Neque huic purgatorio deſiderii Bellarminus *l.* 2. *de Purgat. c.* 7. repugnat: & licet Suarez *d.* 46. *de Pœnit. ſ.* 1. de modo, & loco hujus purgatorii graves difficultates moveat, niſi ſumatur ſymbolice: fatetur tamen, veram eſſe doctrinam, quod anima tepida in deſideriis videndi Deum, puniatur hoc ipſo poſt mortem habito, & non impleto deſiderio, & ita quidem, ut relative ad hanc pœnam, reliquæ pœnæ ſibi nullæ videantur, & forte multo leviores reipſa ſint.

§. 122.

Licet autem ſpes æternæ noſtræ beatitudinis ratione ſui, motivo divinæ bonitatis, omnipotentiæ, & fidelitatis innixa certa ſit: (*Comp. Th. t.* 2. §. 573. *n.* 1.) reſpectu tamen noſtri incerta eſt, cum nemo de ſua gratia, & perſeverantia in illa certus ſit. (*Ibid. n.* 2.) Hinc omnem *timorem* non excludit, nec datur in hac vita is perfectionis ſtatus, in quo nec timor pœnarum, nec deſiderium remunerationis æternæ aliquam partem habeat, uti Quietiſtæ volunt: (*Ibid.* §. 574. 575.) ſed licet ſpes *timorem mundanum*, quo quis bona temporalia ita amittere timet, ut pro eorum conſervatione legem Dei violare paratus ſit, utpote malum; ac *timorem ſerviliter ſervilem*, quo quis plus timet pœnam, quam culpam, a qua abſolute non abhorret, utpote etiam malum, ſecum ha- *Spes cum timore conſiſtit.*

 beat.

beat. (*Ibid.* §. 576. 577.) *Timor* tamen ſecundum ſubſtantiam *ſervilis*, quo quis a culpa abhorret, & abſtinet, propter timorem pœnæ cum ſpe ſubſiſtit; (*Ibid.* §. 578.) ſicuti etiam *timor filialis*, quo timetur offenſa Dei propter timorem culpæ, qui eſt donum Spiritus S. & ad heroicitatem ſpei requiritur. (*Ibid.* §. 579. *Schol.*)

§. 123.

In timore Dei proficiens ſe exerceat.

Proinde cum ſpe etiam in *timore Dei* exercere ſe debet, qui in chriſtiana perfectione proficere deſiderat. Ita *primo* docet S. Scriptura Prov. 1. v. 7. & Pſ. 110. v. 10. & Eccl. 1. v. 16. *Timor Domini principium ſapientiæ.* Iſ. 66. v. 2. *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos.* Prov. 28. v. 14. *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* Ad Philipp. 2. v. 12. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Eccl. 34. v. 16. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit, quoniam ipſe eſt ſpes ejus.* *Secundo*, Ita docent PP. S. Hieronymus in Iſai. l. c. *Habitator cæli, imo Creator omnium, qui in terris templum habere ſe denegat, humilem, & quietum, & trementem ſermones ſuos hominem libenter aſſumit in templum . . . ipſum reſpicit Dominus.* S. Auguſtinus *l. de catechiz. rudib. c.* 5. ait: *Rariſſime accidit, imo vero nunquam, ut quisquam veniat, volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore perculſus.* Et. tr. 9. in 1. ep. Joan. *Opus eſt ergo, ut intret timor primo, per quem veniat charitas.* Et S. Bernardus ſerm. 54. in Cant. *In veritate didici, nihil æque efficax*

eſſe,

eſſe; ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam ſi omni tempore coram Deo inveniaris non altum ſapere, ſed timere. Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus. Time ergo, cum arriſerit gratia, time, cum abierit, time, cum denuo revertetur: & hoc eſt, ſemper pavidum eſſe. Succedant viciſſim ſibi in animo tres iſti timores, ſecundum quod gratia vel adeſſe dignatur, vel offenſa recedere, ſeu iterum placata redire ſentietur. Tertio. Ratio eſt, tum quia nihil ad gratiam Dei conſervandam efficacius, ſancto hoc timore, & diffidentia noſtri cum ſpe, & confidentia in Deum; cum econtra illuſtres etiam Sanctos ad graves ruinas, & lapſus nimia ſui ipſius fiducia, exiguus timor, & parva circumſpectio deduxerit. Uti obſervat S. Bernardus, vel alius *de ordin. vitæ*, & S. Ambroſius *ep. ad Demetriad.* 4. Tum quia ex timore Dei naſcitur fortitudo, & robur: facit enim, ut timens omnem ſpem ſuam in Deo collocet, qui eſt *firmamentum timentibus eum Pſ.* 24. *v.* 14. uti in SS. Martyribus apparet. Item *timor Domini delectabit cor.* Eccli. 1. v. 12. quia ad amorem Dei dulciter exſtimulat, & juxta S. Hieronymum ep. ad Fabiol. *virtutum cuſtos eſt.* Vide Rodericium *Exercit. perf. p.* 3. *tr.* 4. *c.* 9. *ſeq.*

Corollar. Chriſtiano igitur, præſertim generoſo, & ad magna anhelanti ſpes potiſſimum excitanda eſt, ut etiam ſæpe contra ſpem in ſpem credat; ſciatque ſpem nunquam eſſe nimis magnam, nec tanta ſperari a Deo, quin Deus plura a ſe ſperari velit, hoc enim modo admiranda ſupra naturam, ſupra vires efficiet. Sequamur monitum S. Chryſoſtomi *hom. de fide, ſpe, & charit.* „ Noli a ſpe propo- „ ſita Chriſtiane! deſiſtere, noli ſuſtinendi gloriam *Adhortatio ad ſpem.*

„ per-

„ perdere, noli rebellanti animo claudicare . . .
„ feſtina, quo tendis; quo properas, perveni:
„ currentis greſſus non retrahat inimicus, feſti-
„ nantis animum ſpes ipſa perducat ad Deum: ve-
„ loces ſequere, tardiores attrahe, pigros deſere,
„ fortiores fortiter imitare: tu alios provoca, te
„ provocent alii: cito enim, quo deſiderat, per-
„ venit, qui velociores ſequitur, & veretur, ne
„ a tardioribus tranſeatur. Perpende, ſi potes,
„ labores, & merita, ſudores, & præmia, cur-
„ ſus, & regna: nec tamen laborat, qui Deo ju-
„ vante feſtinat, aut oneroſum aliquid ſentit, cui
„ particeps Chriſtus exiſtit". Maximum proinde æternæ vitæ per ſpem deſiderium concipiamus, ut Deo perfecte uniamur, & licet ex cognitione noſtri timere debeamus, ex cognitione tamen Dei, qui præſto eſt, & omnia poteſt, & humiles, pauperculos, & trementes reſpicit, ad omnia potentes erimus, qui ſicuti ex nihilo omnia creavit, ita cum corde noſtro faciet, ſi nimirum agnoſcamus, ubi nihilum eſt ex nobis, ibi totum ex Deo eſſe.

§. 124.

Charitas quid. Tertia virtus Theologica eſt *charitas*, quæ eſt virtus Theologica ſupernaturalis divinitus infuſa, qua Deum ſuper omnia diligimus, & proximum, ac reliqua propter Deum.

Quotuplex. *Schol.* 1. Charitas 1. alia eſt amor *benevolentiæ*, quo quis alteri bene vult, & facit, quantum in ſe eſt, non ſui, ſed illius gratia. Alia eſt amor *concupiſcentiæ*, quo quis alteri bene vult ſui ipſius amantis gratia. 2. Charitas ratione objecti alia eſt *charitas Dei*, qua Deus ſuper omnia diligitur; alia *proximi*, qua proximus diligitur propter Deum. 3. Ratione perfectionis, & modi unus altero plus diligi poteſt, vel *objective*, quando volumus ei majus bonum, quam alteri: vel *appretiative*, quando unus pluris æſtimatur, quam alter, & amans

plus

plus refugit ejus, quam alterius inimicitiam: vel *intenſive*, quando unus intenſiori conatu, & affectu quam alter diligitur.

Schol. 2. *Objectum materiale* charitatis primarium eſt Deus; ſecundarium nos ipſi, & proximus noſter: *formale*, & motivum eſt divina bonitas, prout eſt in ſe, & propter ſe amabilis. Eſtque charitas excellentior omnibus virtutibus, augeri ſemper poteſt, & ejus actus eſt de gravi præcepto: quæ omnia demonſtrata ſunt. (*in Comp. Th. t.* 2. §. 586. *usque ad* §. 597.) S. Thomas etiam 2. 2. *q.* 24. *a.* 8. docet, charitatem in hac vita perfectam eſſe poſſe; vel cum homo ſtudium ſuum confert, ad vacandum Deo, & rebus divinis, prætermiſſis aliis, niſi quantum exigit vitæ hujus neceſſitas, quæ perfectio non eſt communis omnibus charitatem habentibus: vel cum quis habitualiter totum cor ſuum ponit in Deo, ita ut nihil cogitet, aut velit divinæ dilectioni contrarium, quæ perfectio omnibus charitatem habentibus convenit. *Quænam perfecta.*

Schol. 3. Gradus charitatis erga Deum referuntur a S. Thoma *opuſc.* 61. S. Bernardo *lib. de dilig. Deum:* S. Bonaventura *in Pharetra div. amor.* 1. Languere utiliter. Cant. 2. *amore langueo.* 2. Deum inceſſanter quærere. Pſ. 104. *Quærite Dominum, & confirmamini.* 3. Operari indeſinenter. Gen. 29. *Servivit Jacob pro Rachel, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* 4. Suſtinere infatigabiliter. Matth. 5. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* 5. Appetere impatienter. Pſ. 83. *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* 6. Currere velociter. Pſ. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* 7. Audere vehementer. Pſ. 72. *Quid enim mihi eſt in cœlo, & a te quid volui ſuper terram? defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* 8. Stringere indiſſolubiliter. Philipp. 1. *Mihi vivere Chriſtus eſt.* 9. Ardere ſuaviter. Pſ. 38. *Concaluit cor meum intra me.* *Gradus charitatis Dei.*

10. Si-

Qualis amor eſſe debeat.

Schol. 2. Deum appretiative ſuper omnia diligendum eſſe dictum eſt. (*Comp. Th. t.* 2. §. 596.) Cum enim ſit amabilis ſuper omnia, & infinities infinite ſuper omnia, quid rationabilius, quam Deum ita ſuper omnia in pretio habere, & non ſolum mente, vel ſpeculative, ſed etiam corde, vel practice ita firmiter illi adhærere, ut quis paratus ſit omnia potius, quam ejus amicitiam amittere; hoc enim exigit a nobis amor *ex toto corde:* id quod tenet etiam S. Thomas 3. *p. in ſuppl. q.* 5. *a.* 3 S. Bonaventura *in* 4. *d.* 16. *p.* 1. *a.* 2. *q.* 1. Et Catechiſmus Rom. *de pœnit. c.* 5. ait: „ Omnibus rebus „ Dei amorem anteponendum eſſe, ita ut ne vitæ „ quidem conſervandæ cauſa peccare liceat &c. „ quæ eſt vera, & efficax contritio “. Unde non audiuntur Lovanienſes, & nonnulli Galli moderni, qui ad perfectam contritionem requirunt intenſionem amoris determinatam ultra dictam perfectionem appretiativam. Ad ſummum admitti poterit aliqua indeterminata intenſio in aliquo minimo, ut contritio ſit efficax appretiative: licet fervor, & intenſio amoris magis, ac magis accenſa ſaltem ex conſilio ad perfectionem plurimum conferat. Porro amor Dei ſic appretiative perfectus includere debet voluntatem efficacem, obſervandi omnia præcepta divina, Joan. 14. v. 21. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Non quidem efficacem effective, ſive facientem, aut imperantem, ut omnia defacto impleantur; ſed efficacem affective, ſive de præſenti ſe ita reſolventem, omnia præcepta, dum urgent implere, ſic ut manente hac voluntate conſenſus in grave peccatum non admittatur: id quod ex conſideratione magnitudinis Dei, ſpe in Deo firmata, humili oratione, & mortificatione, & abnegatione ſui procurandum eſt. Quare etſi laudabile ſit in animabus perfectis deſcendere in particulari, ad quævis ardua v. g, Martyria potius ſuſtinenda, quam peccandum, quæ perfectiſſimum Dei amorem indicant, in debilioribus tamen juxta

S. Tho-

S. Thomam *Quodlib.* 1. *a.* 9. arduus hic individuus deſcenſus nec neceſſarius, nec conveniens eſt, niſi, uti notat Ludovicus a Ponte *t.* 1. *Chriſt. perf.* *c.* 3. intentationibus circa res frequenter occurrentes, & præcipue illas, quæ fuerunt ruinæ anterioris cauſa: quod ſi vero tentator ad caſus extraordinarios, & ſumme arduos mentem conditionate deferat, ſufficit, in genere reſolvere, ſe in quocunque caſu fidelem Deo extiturum ex gratia ipſius, & ſic latrantem canem contemnere. Ex his etiam colligere licet, bene contingere poſſe, quod amor Dei ſit efficax affective, quin ſit talis effective: quia nunc habens amorem affectivum, mox ex humana fragilitate ab eo, & ab effectu ſervandi præcepta, deficere poteſt, adeoque ultra gratiam requiſitam pro eliciendo amore Dei ſuper omnia, nova gratia ad perſeverandum longo tempore ſine gravi culpa requiritur. (*Comp. Theol. t.* 1. §. 348. *Schol.* 5.) Cito tamen in grave peccatum labi, vel frequenter recidere, ſignum eſt, nec affective fuiſſe ſatis efficacem actum amoris, etiam dum adfuit: nec enim humanum eſt, cor humanum tam facile abire ab uno extremo ad aliud, a Deo in ſummo pretio habito, ad contemptum ejus pro re viliſſima.

Schol. 3. *Actus* amoris Dei ſunt 1. vere ex corde gaudere, quod Deus ſit Deus, & omne bonum, & optare, ut ab omnibus creaturis agnoſcatur, ametur, laudetur, adoretur, & ejus voluntas fiat, & glorificetur, quia Deus eſt, & omni amore dignus eſt. 2. Sæpiſſime actum amoris Dei elicere. 3. Omnes cordis motus, reſpirationes, omnes greſſus, omnes cogitationes, verba, actiones, & opera peragere ex amore Dei, ita ut unica noſtra intentio in omnibus actionibus noſtris ſit gloria, voluntas, & amor Dei. 4. Etiam procurare, ut Deus ab omnibus agnoſcatur, ametur, glorificetur, & ejus voluntas in omnibus fiat. 5. Offerre ſe totum, imo etiam vitam, & ſanguinem pro Deo ex *Actus amoris Dei.*

ejus amore profundendum. 6. Deum ſemper i
memoria præſentem habere, cum eo converſari
colloqui, ſe ei unire, eum laudare, ſe humiliare
ei gratias agere, eum benedicere, adorare, ei
totum reſignare, & gratanter ab ejus manu omni
acceptare. 7. Deſiderare ſæpius, Deo frui in cœ
leſti patria.

Charitatis heroicæ ſigna.

Schol. 4. Charitas Dei heroica juxta SS. Benedictum
de ſerv. Dei beatif. l. 3. *c.* 23. ex ſequentibus acti
bus externis cognoſcitur. Ex zelo divini cultus
& honoris; ex deſiderio moriendi, ut fiat omni
moda cum Deo conjunctio: ex gaudio interno ſig
nis externis expreſſo, dum ſermo fit de Deo: e
pace in adverſis, & lætitia, ſi contigerit aliqui
pro Deo pati. Unde S. Maximus *hom.* 4. Charit
tem S. Petri laudat, *quod in navi poſitus conſider*
Dominum, & amore ejus ductus deſcendit in mar
S. Agnes juveni ejus amore capto reſpondit: *D*
ſcede a me . . . non potero illum derelinquere, cu
quo ſum charitate devincta. S. Hieronymus *ep.*
Euſtoch. Nobile dilectionis Dei ſuper omnia exem
plum oſtendit, dum S. Paulæ diſceſſum ab urbe
inviſenda loca ſacra deſcribit, *amorem filiorum*
majore in Deum amore contemnens. S. Laurenti
apud S. Leonem *ſerm. de S. Laur.* Tyrannum
alloquitur: *Nihil proficis . . . flammis tuis ſuper*
ri charitatis Chriſti flamma non poterit. Hi actus
frequenter, prompte, alacriter, cum delectation
in arduis, cum vitæ, vel bonorum periculo exe
ceantur, heroicitatem charitatis produnt, uti La
ræa *in* 3. *t.* 2. *d.* 32. probat, & ex dono ſapienti
procedunt. Item charitatem oſtendunt mens
Deum ſemper intenta, frequens de Deo locuti
continua conſideratio bonitatis divinæ, & myſt
riorum noſtræ Religionis, præcipue paſſionis D
minicæ; meditationes ad excitandum amorem De
gravis moleſtia ob Chriſti abſentiam, obſervanti
accuratiſſima præceptorum, & conſiliorum, exta
ſes, raptus, & alia ſigna externa, quibus Deu
ſu

ſubinde ſervorum ſuorum charitatem externam manifeſtare dignatur.

Corollar. Quia igitur charitas Dei ad proficiendum omnino nobis neceſſaria eſt, & Deus ex ſe infinite amabilis eſt, amemus eum in quantum nobis poſſibile eſt, ex toto corde, & in infinitum eum amare conemur, nam uti S. Thomas *in Matth.* 22. ait: „ Quantumcunque nitamini, non poteritis „ eum comprehendere, quia major eſt toto corde. „ Vultis ergo a me audire, ait S. Bernardus *tr. de* „ *dilig. Deo c.* 1. quare, & quomodo diligendus „ ſit Deus? & ego: cauſa diligendi Deum, Deus „ eſt, modus, ſine modo diligere. Et *c.* 4. Pro- „ inde in odorem unguentorum horum ſponſa cur- „ rit alacriter, amat ardenter, & parum ſibi ama- „ re ſic amata videtur, etiam cum ſe totam in „ amore perſtrinxerit ... Nec immerito; quid „ magnum enim tanto, & tanti rependatur amo- „ ri? ſi pulvis exiguus totum ſe ad redamandum „ collegerit, quem illa nimirum majeſtas in amo- „ re præveniens, tota in opus ſalutis ejus intenta „ conſpicitur? Et *c.* 5. Quid retribuam ergo Do- „ mino pro omnibus, quæ retribuit mihi? In „ primo opere (*creationis*) me, mihi dedit, in ſe- „ cundo (*redemptionis*) ſe: & ubi ſe dedit, me „ mihi reddidit: datus ergo, & redditus, me pro „ me debeo, & bis debeo. Et *c.* 6. Denique cum „ dilectio, quæ tendit in Deum, tendat in im- „ menſum, tendat in infinitum (nam & infinitus „ Deus eſt, & immenſus) quisnam quæſo debeat „ finis eſſe noſtri, vel modus amoris“? Concludamus ergo cum S. Thoma de Villanova *ſerm. de S. Magdal.* „ Domine dediſti, unde tibi teneor, „ da etiam, unde tibi reddam: nam ſi ego non „ ſum dignus amare te, tu autem Domine digniſ- „ ſimus es, amari a me ... Diligam ergo te „ omnibus modis: modum enim non habent, quæ „ feciſti pro me ... Non eſt nimius amor, qui „ in rebus modum ponit, aut rationis modum ex-

Adhortatio ad charitatem Dei.

„ quirit: nam modus amoris eſt, omnia facere „ ſine modo, & ejus ratio, nullam attendere rationem. Ipſe enim ſpiritualis amor, omni lege, „ omni ratione, omni caret modo, ipſe lex, & „ ratio, & modus ſuperior eſt ".

§. 126.

Charitas proximi cum charitate Dei conjungitur.

Una, eademque virtus Theologica charitatis, quæ inducit ad amorem Dei, inducit etiam ad *amorem proximi:* (*Comp. Th.* §. 588. *Schol.* 2.) nam 1. Joan. 4. dicitur. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Rationem vero, & modum dilectionis proximi docet S. Thomas 2. 2. *qu.* 44. *a.* 7. Rationem: quia ex charitate diligere debemus alios, cum ſint nobis proximi, & ſecundum naturalem Dei imaginem, & ſecundum capacitatem gloriæ. Modum: cum debeamus diligere proximum propter Deum, ſicut nosmetipſos pariter propter Deum diligere debemus; cum debeamus proximo non in malò, ſed ſolum in bonis conſentire, & non propter noſtram utilitatem, vel delectationem; ſed ſicut bonum nobismetipſis volumus, quæ dilectio proximi ſe etiam ad inimicos noſtros extendere debet. (*Comp. Th. t.* 2. *a* §. 598. *ad* §. 600.)

Partes potentiales charitatis proximi.

Schol. Virtuti charitatis erga proximum aſſignari ſolent quædam quaſi partes potentiales; ſcilicet: *benevolentia*, *beneficentia*, & *miſericordia.* Benevolentia, prout eſt in ordine ad ſupernaturalia, non diſtinguitur a charitate, & beneficentia importat actum correſpondentem benevolentiæ, adeoque a charitate elicitum: quare ſola miſericordia, non quatenus eſt dolor, ſeu paſſio appetitus ſenſitivi de aliena miſeria, ſed prout eſt motus appetitus intelle-

tellectivi, ſeu diſciplicentia de aliena miſeria, & voluntas, eam ſublevandi, a ratione directa ſpecialis virtus eſt. Actus miſericordiæ eſt *eleemoſyna*, ſeu opus, quo datur aliquid indigenti ex compaſſione propter Deum. Sunt autem eleēmoſynæ, vel ſpirituales, vel corporales. *Spirituales* ſunt ſeptem. 1. Ignorantes docere. 2. Conſulere dubitanti. 3. Conſolari triſtem. 4. Peccantem corrigere. 5. Remittere offendenti. 6. Portare patienter onerоſos, & graves. 7. Pro omnibus orare. Eleemoſynæ *corporales* etiam ſunt ſeptem. 1. Paſcere eſurientem. 2. Potare ſitientem. 3. Veſtire nudum. 4. Recolligere hoſpitem. 5. Viſitare infirmum. 6. Redimere captivum. 7. Sepelire mortuum. (*Vide Comp. Th. t.* 2. *a* §. 601. *ad* 603.) ubi de præcepto eleemoſynæ, & correctionis fraternæ actum fuit.

§. 127.

Charitas proximi ad proficiendum requiritur.

Ut igitur in perfectione proficiendo creſcamus, ex amore Dei etiam in *charitate proximi* ferventiſſime *exerceri* debemus. Nam *primo* S. Scriptura immediate poſt primum, & maximum mandatum dilectionis Dei adjungit *ſecundum ſimile huic*. Matth. 22. v. 39. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Imo in S. Scriptura ſicuti non ſemel ſola dilectio Dei, ut præceptum illius commendatur, ita & ſola dilectio proximi, tanquam illius potiſſimum argumentum, & omnium quaſi compendium mandatorum. 1. Joan. 4. v. 21. (& Joan. 13. v. 34. & 15. v. 12.) *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Rom. 13. v. 8. (& Gal. 5. v. 14. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Idem *ſecundo* patet ex PP. S. Auguſtinus *l.* 8. *de Trinit. c.* 7. ait: *Qui*

diligit Deum, conſequens eſt, ut faciat, quod præcipit Deus, & in tantum diligit, in quantum facit; conſequens ergo eſt, ut & proximum diligat, quia hoc præcipit Deus: & qui proximum diligit, conſequens eſt, ut ipſam præcipue dilectionem diligat. Deus autem dilectio eſt, & qui manet in dilectione in Deo manet: conſequens ergo eſt, ut præcipue Deum diligat. S. Hieronymus *Comment. ad Gal.* dictum S. Joannis ad charitatem diſcipulos ſuos continuo monentis refert: *Quia præceptum Domini eſt, & ſi id ſolum fiat, ſufficit: omnis enim lex in uno ſermone impletur: diliges proximum tuum ſicut teipſum, & hanc ſi obſervemus, totam legem obſervavimus.* Conſonat S. Iſidorus *in different. ſpir.* S. Laurentius Juſtin. *in grad. perf. c.* 13. &c. *Tertio.* Ratio paulo ante data fuit a S. Auguſtino, ſicuti enim charitas Dei ad proficiendum omnino eſt neceſſaria, (§. 125.) ita & charitas proximi, ſine qua charitas Dei non ſubſiſtit. Cui ſequentem addit M. Avila in *Audi filia c.* 96. „ Quamvis „ una ex parte valde ſit verum, Dominum „ nullam quærere remunerationem ex bonis, „ quæ alicui facit: re tamen alia ex parte rite inſpecta, nihil dat, (*adeoque nec profectum in perfectione*) cujus non velit mutuas vices; „ non quidem ſibi, cum ſit opulentiſſimus, incapax locupletari divitiis, & quæ donat, „ pure amanter donet; remuneratio vero, quam „ requirit, proximis eſt, qui ſane indigent „ æſtimari, ſublevarique paſſim ".

Actus charitatis etiam heroicæ er-

Schol. Actus charitatis erga proximum ſunt. 1. Gaudere de bonis proximorum illis a Deo collatis, & de bonis eorum operibus. 2. Triſtari de malo pro-

proximi, tum ſpirituali, tum corporali. 3. Orare pro omnibus, etiam inimicis. 4. Pro eorum ſalute ſe ad dura quæque, & ipſam mortem offerre. 5. Exercere opera miſericordiæ tam corporalis, quam ſpiritualis erga illos. Hæc & alia hujusmodi, ſi valde ardua fuerint, & prompte, facile, expedite, & frequenter præſtentur, etiam *heroicæ* charitatis ſigna eſſe poterunt, quæ potiſſimum etiam ex ardenti animarum zelo, ſervitio in hoſpitalibus exhibito, copioſis eleemoſynis, hoſpitalium pro infirmis, collegiorum pro juvenibus inſtituendis, fundationibus probari poteſt. Vide Benedictum XIV. *de ſerv. Dei beatif. c.* 23. *ga proximum.*

Corollar. Sit ergo noſter erga Deum amor non affective ſolum, quod magis Deum in ſe reſpicit, ſed etiam effective, quod magis ad proximum, & cum illo ad nosmetipſos ſpectat; eſt enim zelus animarum tam propriæ, quam omnium potiſſimus effectus, index, & probatio veri amoris Dei. Zelus autem hic inordinatus eſſe non debet, ita, ut quis ex nimio ardore, proficiendi aliis, in ſuo proprio profectu frigeſcat. Quippe charitas ordinata eſſe debet, juxta illud Cant. 2. v. 4. *Ordinavit in me charitatem.* Ubi bene obſervat S. Bernardus *ſerm.* 49. *&* 50. *in Cant.* & diſtinguit inter charitatem in actu, & in affectu; & quidem charitas affectus ad optima quæque, ſi non per ſe, ſaltem per alios ex amore Dei facienda ſe extendere debet: charitas vero actus imperantis opera externa nonniſi penes injunctam tum ſibi, tum aliis divinam ordinationem verſari debet. Nam juxta S. Thomam de Villanova *expoſ. in Cant.* „ Charitas, ſi ordinata non eſt, deſinit eſſe charitas ... „ auriga charitatis prudentia eſt, hac ducitur, „ quocunque vadit . . . Ordo charitatis rectus „ eſt, ut Deum præ omnibus, & ſuper omnia, „ nos poſt Deum, deinde proximum diligamus ... „ *Proximum ſicut teipſum*, non plusquam teipſum". Concludamus cum S. Chryſoſtomo *hom.* 3. *in gen.* *Adhortatio ad charitatem ordinatam erga proximum.*

 poſt

diligit Deum, conſequens eſt, ut ... Dominum, tam
cipit Deus, & in tantum ... am, tam manſuetum,
cit; conſequens ergo eſt ... noſtrorum curam ge-
quia hoc præcipit D... noſtræ ſalutis argumentum
conſequens eſt, u... non ſolum pro nobis ipſis
... proximo utiles fuerimus, ipſum
gat. Deus au... manuducentes“.
lectione in ...
præcipue ...
ment. ad ...
diſcip...
præ...
or...

§. 128.

A virtutibus Theologicis ad virtutes morales, & quidem *Cardinales*, earumque partes, & virtutes illis ſubjectas progredimur. Inter quas prima eſt *prudentia*, quæ a S. Baſilio hom. 12. ad popul. definitur: *Vera eorum, quæ agenda ſunt, cognitio.* Dictat enim prudentia, quid in quavis particulari actione honeſtum, & amplectendum, & quid inhoneſtum, ſeu fugiendum ſit; item docet media ad finem, maxime ſupernaturalem, conſequendum idonea eligere.

Quotuplex.

Schol. 1. Prudentia 1. alia eſt *carnis*, alia *ſpiritus*; unde Rom. 8. dicitur: *Prudentia carnis mors eſt; prudentia autem ſpiritus vita, & pax; quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta.* Quod ita explicat Eſtius: „ Sapere, „ curare, providere ea, quæ carnis ſunt, mortem „ affert, mortem meretur utique æternam &c. ſapere, & curare ea, quæ ſunt Spiritus ſancti „ concupiſcentis adverſus carnem, parit nobis „ vitam æternam “. Et S. Auguſtinus *l.* 1. *contra Gaudentium c.* 5. advertit malos aliquando in ſacris litteris dici prudentes; ſed nunquam innocentes. 2. S. Thomas 2. 2. *q.* 47. *a.* 13. triplicem prudentiam diſtinguit; & primam vocat *prudentiam falſam*: quando aliquis propter malum finem huic fini congruentia diſponit. Secundam vocat veram, ſed *imperfectam* prudentiam, aut quia bonum, quod pro fine accipit, non eſt communis finis

totius humanæ vitæ, ſed alicujus negotii ſpe- ... aut quia deficit in principali actu prudentiæ, ...is bene quidem judicat de his, quæ perti- ...totam vitam, ſed ea non efficaciter præ- ...rtiam vocat prudentiam veram, & *perfe-* ... ad bonum finem totius vitæ recte con- ..., judicat, & præcipit. Primam in ſolis pec- ...ibus reperiri: ſecundam eſſe communem bonis ... malis; tertiam ſolis juſtis competere aſſerit.

Schol. 2. *Actus*, ſeu officia prudentiæ a S. Thoma 2. 2. *q.* 47. *a.* 8. tria aſſignantur. 1. *Bene conſultare*, & deliberare de fine, & mediis ad illius conſecutionem eligendis, ita ut opus non inchoetur cum impetu, & accelerata determinatione. 2. *Bene judicare*, ita ut non feratur judicium neglecta attenta conſideratione qualitatum, & circumſtantiarum operis. 3. *Bene præcipere executionem*, ita ut quis a ſua reſolutione non temere recedat, ſed opportune exequendo, & effectum operis Deo relinquendo. Hæc officia prudentiæ exercentur, & perficiuntur per tria ſequentia quaſi inſtrumenta, ſeu partes ejus potentiales, & virtutes illi annexas, ſcilicet per *Eubuliam*, cujus actus eſt, bene conſulere: per *Syneſin*, cujus actus eſt, ſecundum leges communes judicare: & per *Gnomen*, cujus actus eſt judicare ex altioribus principiis præter communes leges etiam naturales, prout caſus, & circumſtantiæ expoſcunt, de quibus S. Thomas 2. 2. *q.* 51. *a.* 1. *ſeq.* *Officia prudentiæ.*

Schol. 3. Partes ſubjectivæ, ſeu ſpecies prudentiæ ſunt. 1. Prudentia *monaſtica*, quæ verſatur circa bonum proprium: *oeconomica*, quæ verſatur circa bonum domus, vel familiæ honeſte inſtituendæ. 3. *Politica*, quæ reſpicit bonum civitatis, Reipublicæ, aut Regni. 4. *Militaris*, quæ dirigit in rebus bellicis multitudinem ad tempus collectam in ordine ad patriam ab hoſtibus tuendam, & eorum inſultus repellendos, juxta D. Thom. 2. 2. *q.* 50. *a.* 1. *ſeq.* (Vide *Comp. Th. T.* 2. §. 617. *ſeq.*) *Prudentiæ ſpecies.*

U 5 §. 129.

§. 129.

Prudentia ad proficiendum neceſſaria eſt.

Prudentia ad proficiendum in perfectione chriſtiana *neceſſaria* eſt. Probatur *primo* ex S. Scriptura Prov. 4. *Poſſide ſapientiam, poſſide prudentiam: ne obliviſcaris, neque declines a verbis oris mei. Ne dimittas eam, & cuſtodiet te; dilige eam, & conſervabit te. Principium ſapientiæ, poſſide ſapientiam, & in omni poſſeſſione tua acquire prudentiam. Arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.* Item Prov. 9. *Scientia Sanctorum prudentia.* Et denique Chriſtus D. ipſe Matth. 10. jubet: *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes.* Accedunt *ſecundo* PP. S. Baſilius *hom.* 11. *var. arg.* ait: *Vera autem prudentia eorum, quæ agenda ſunt, & non agenda cognitio eſt; quam ſi quis recte ſectatus fuerit, nunquam ab officio, virtuteque diſcedet.* S. Gregorius l. 10. mor. *Hæc ſunt, in quibus ordinata mens ad culmen provehitur prudentiæ. Iſta nempe ſunt ſtudia ipſius, ut videlicet caveat, quidquam per oſtentationem fingere, ſed ſenſum verbis ſimpliciter aperire, vera, ut ſunt, diligere, falſa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, putare lucrum contumeliam pro veritate. Sed hæc prudentium ſimplicitas irridetur, & a mundi ſapientibus fatuitas reputatur.* S. Bernardus *ſerm.* 49. *in Cant.* ait: *Prudentia eſt quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrix affectionum, & morum doctrix.* Et ex Myſticis Roſignolius *de Action. virt. l. 2. c. 5.* ait: „ Prudentiæ ſunt

„ actio-

„ actiones aliarum virtutum omnium: neque „ enim eſt prudentia chriſtiana perfecta, ſi deſint aliæ virtutes, imo ſi vel aliarum deſit „ una. Ut ergo virtutum ſingularum quaſi nota eſt, & inſigne prudentia, ſic viciſſim actiones virtutum ſingularum teſtes, & nuntiæ „ ſunt prudentiæ &c. quam etiam ob cauſam „ menſuram prudentiæ collocat S. Gregorius „ in actionibus aliarum virtutum: quia nimirum, quanta ea ſit, ex harum momentis intelligitur". *Tertio.* Ratio eſt, tum quia prudentia eſt regula, a qua omnes hominis cogitationes, verba, & opera regulari debent, ut ſint moraliter bona, honeſta, & ad ſalutem conducentia, imo ſine ea etiam virtutes non ſervant medium, & declinant in vitia: tum quia prudentia chriſtiana in omnibus operibus intendit finem optimum, ſcilicet Dei gloriam, & animæ ſalutem, eligit media optima, ad eum conſequendum, eorumque executionem urget, & imperat. Item docet prævidere futura, & contra ea nos præmunire, evadere tentationes diaboli, pericula peccandi effugere, ex præteritis, & præſentibus rectum judicium formare, tempus bene impendere, actiones noſtras rite ordinare, aliorum exemplis ſapere, nociva declinare, & bona amplecti. (§. 128. *cum Schol.*)

Actus prudentiæ.

Schol. Actus, quibus prudentia acquiritur, tanquam partes ejus integrales ſunt: *Memoria,* ſeu præteritorum cognitio. *Intelligentia,* ſeu cognitio præſentium. *Docilitas,* ſeu cognitio per alterius eruditionem. *Solertia,* ſeu cognitio per propriam inventionem. *Ratio,* ſeu cognitio parta per illatio-

tionem unius ex alio. *Providentia*, ſeu ordinatio aptorum mediorum ad debitum finem. *Circumſpectio*, ſeu conſideratio circumſtantiarum præſentis negotii. *Cautio*, ſeu cura circa ea, quæ virtutis actum impedire poſſunt. Unde ad acquirendam prudentiam requiritur. 1. *Conſideratio* rerum agendarum, objecti, finis, & circumſtantiarum; deinde rememoratio præteritorum, ponderatio præſentium, providentia futurorum, circumſpectio, & cautio contrariorum, perpenſio exitus virtuoſorum, & interitus malorum, interrogatio ſeniorum, lectio librorum. 2. *Deliberatio*, nequis ſit præceps in judicando, non facilis in credendo, non temerarius in diſponendo, non inconſultus in reſpondendo, non improvidus in diſpenſando, non indiſcretus in corrigendo, non cœcus in moderando, non partialis in amando. 3. *Diſcretio*, diſcernendo peccatum ab imperfectione, mortale a veniali, virtutem a vitio, majus bonum a minori, ſenſuale a ſpirituali, temporale ab æterno, amorem carnalem, & ſenſibilem a conſolatione, & devotione ſpirituali. 4. *Electio*, quæ ut recte fiat, eligens aliquem ſtatum, aut actionem, non debet ſequi cœcam corruptæ naturæ inclinationem, ſed attendere ad finem ultimum ſupernaturalem ſuæ creationis, ad voluntatem divinam, majorem Dei gloriam cum indifferentia ad omne, ad quod Deus illum præmiſſa oratione pro cognoſcendo ejus beneplacito vocaverit. Expendere etiam debet commoda, & incommoda ſtatus eligendi, & ad id ſe reſolvere, quod alteri perfectionis ſtudioſo ſuaderet, vel quod ipſe moriens, & a Deo judicandus eligeret, omniaque cum Deo, & docto, ac pio Viro conferre. 5. *Executio*, quæ ſine cauſa non differri, nec temere conceptum ſemel propoſitum mutari debet. Quod ſi hæc omnia in rebus arduis prompte, faciliter, & jucunde exerceantur, quod a dono conſilii provenit, prudentiam *heroicam* produnt: uti Lauræa *in* 3. *ſent.* probat, & Benedictus XIV. *in cit. op. de Can. l.* 3. *c.* 24. variis exemplis illuſtrat.

§. 130.

Prudentiam, ut ſit perfecta, comitari debet *ſimplicitas*, quæ a S. Thoma 2. 2. *q.* 109. *a.* 2. ſic deſcribitur: *Simplicitas dicitur per oppoſitum duplicitati; quia ſcilicet aliquis aliud habet in corde, & aliud oſtendit exterius.* Proinde vera cordis ſimplicitas eſt virtus, qua excluſa quacunque duplicitate, aliud in ore, aliud in corde gerente, in omnibus, & ſingulis actionibus nihil proprium, ſed aut Dei gloria, aut proximorum ſalus, aut utrumque quæritur, & intenditur. Pro complemento ergo prudentiæ perfectæ proficientibus *ſimplicitas* eſt neceſſaria. Probatur *primo* ex S. Scriptura. Nam poſtquam Chriſtus *Matth.* 10. dixerat: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes:* ſtatim adjunxit: *Et ſimplices ſicut columbæ.* Et Apoſtolus *Rom.* 16. ait: *Volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.* Et *Jobi* 1. *v.* 8. Job laudatur, quod fuerit *homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo.* *Secundo* probatur ex PP. S. Chryſoſtomus *Hom.* 7. *in acta Apoſt.* ait: *Quis enim non obſtupeſceret? quis non admiraretur hominem moribus ſimplicem? vel quis non ſe jungeret ei, qui ſubdolus non eſt? At dicet quis; nonne & prudentia opus eſt? Quid enim aliud eſt ſimplicitas, quam prudentia? Quando enim nihil ſuſpicaris malum, neque moliri poteris malum; quando nihil fers moleſte, neque vindictam meditari poteris. Contumelia quis te affecit, non doluiſti: calumniatus es, nihil inde affectus es: odio te perſequitur, & ſic quoque nihil affectus es. Via quædam eſt ad Philoſophiam ſimplicitas.* S. Gregorius *l.* 4. *ep.* 31. ait:

Simplicitas quid.

Simplicitas prudentiæ conjungenda eſt.

ait: *Serpentis aſtutia columbæ, ſimplicitatem acui[t] & columbæ ſimplicitas ſerpentis aſtutiam temperat* S. Hieronymus *in Matth. Chriſtus jubet, ut p[er] prudentiam devitet inſidias, per ſimplicitatem no[n] faciat malum.* Et S. Remigius. *Simplicitas ſin[e] prudentia facile decipi poteſt, & prudentia pericu[-] loſa eſt, niſi ſimplicitate temperetur. Tertio.* Ra[-] tio eſt, quia ſimplicitas proprium commodu[m] gloriæ Dei, & proximorum ſaluti, ad defrau[-] dandos alios, non præponit, fictionem neſcit, vera diligit, falſa devitat, bona præſtat, mala non retribuit, & conſcientiam tranquillam red[-] dit, quæ uti Hugo *l. 2. de anima c. 9.* ait „ Omnibus eſt dulcis, nulli gravis, utitur ami[-] „ co, ad gratiam, inimico ad patientiam „ cunctis ad benevolentiam, quibus poteſt, ad „ beneficentiam ".

Actus, & ſigna ſimplicitatis.

Schol. Signa, & *actus ſimplicitatis* ſunt 1. Si qu[is] æquali modo ſe præbeat omnibus, & coram om[-] nibus, juxta illud: *Qui ambulat ſimpliciter, ambu[-] lat confidenter.* 2. Si quis eadem promptitudi[ne] omnibus, parvis, & magnis, pauperibus, & di[-] vitibus, ſine acceptione perſonarum opera chari[-] tatis exhibeat. 3. Si quis ſemper eodem modo in quocunque loco publico, & privato ſe gerat 4. Si quis eandem ſemper vultus hilaritatem ex teſtimonio bonæ conſcientiæ ortam præſeferat 5. Si quis peccatum, aut culpam a ſe commiſſam non excuſet, ſed candide fateatur. 6. Si quis veritatem ſine fictione puro corde confiteatur, & ſui contemptum æquanimiter ferat.

Adhortatio ad prudentiam & ſimplicitatem.

Corollar. Simus ergo prudentes ſicut ſerpentes: hujus prudentia eſt, diligenter cavere a ſupplantantium inſidiis, nec vi, nec fraudi locum relinquere, Eri[-] mus excellentes, & heroes in prudentia monaſti[-]

ca,

ca, ſi appetitus noſtros moderemur, terrena deſpiciamus, cœleſtia appetamus, omnia ad finem ſupernaturalem dirigamus, ſanctæ vitæ exemplo alios ædificemus. In prudentia œconomica, ſi domeſticos in timore Domini, & morum diſciplina diligentiſſime contineamus, ac ferventiſſimo zelo pro æterna eorum ſalute vigilemus. In politica, ſi reipublicæ incolumitati ſtudeamus. Verum cum prudentia ſimplicitatem columbæ conjungamus, nulli injuriam inferamus, nulli dolos, aut inſidias paremus, nihil per oſtentationem fingamus, veritatem corde, & ore promamus: relinquamus noxiam carnis prudentiam, & diſcamus laudabilem ſimplicitatem, quæ a mundi prudentibus ſtultitia reputatur, ſimus ſtulti propter Chriſtum, ut ad altiſſimam Dei ſapientiam contemplandam, & pro viribus imitandam provehamur.

§. 131.

Altera virtus cardinalis eſt *juſtitia*, quæ juxta S. Thomam 2. 2. *q*. 58. *a*. 1. eſt virtus moralis, *ſeu habitus, per quem aliquis conſtanti, perpetua voluntate jus ſuum unicuique tribuit.* *Juſtitia quid.*

Schol. 1. Juſtitia large, & ſtricte ſumi poteſt. Si large ſumatur, accipitur pro quocunque virtutis actu perfecta undique rectitudine abſoluto, quo modo viri boni in S. Scriptura juſti dicuntur: ſi ſtricte ſumatur, competit ei data definitio, & ſpecialem virtutem cardinalem, hic conſiderandam, conſtituit, cujus partes ſubjectivæ, ſeu species ſunt juxta S. Thomam, 2. 2. *q*. 61. *a*. 1. Juſtitia *commutativa*, quæ ſervat inter partes æqualitatem rei ad rem: *& diſtributiva*, quæ ſervat æqualitatem proportionum, ut ſcilicet unicuique detur ſecundum merita, vel neceſſitatem. (*Comp. Th. T.* 2. §. 671. *ſeq.*) *Partes ejus ſubjectivæ.*

Schol. 2. *Partes potentiales* juſtitiæ juxta eundem S. Thomam ſunt 1. *Religio*, ſeu virtus, quæ debitum *Partes potentiales.*

tum Deo cultum, tanquam rerum omnium principio, exhibet per devotionem, de qua actum eſt (§. 67. ſeq.) orationem, de qua (§. 32. ſeq.) adorationem, de qua actum fuit. (*Comp. Th. T.* 2. §. 788. ſeq.) Sacrificium, (*Ibid.* §. 799. ſeq.) Juramentum, (*Ibid.* §. 815. ſeq.) Votum (*Ibid.* §. 822. ſeq.) 2. *Pietas*, ſeu virtus, per quam ſanguine junctis, patriæque debita officia, & charitas exhibetur. (*Ibid.* §. 875. ſeq.) 3. *Obſervantia*, ſeu virtus cultum deferens ſuperioribus, & aliis perſonis excellentibus, quæ homines gubernant, vel gubernare idoneæ ſunt, cujus actus eſt. 4. *Obedientia*, qua exequimur actus a ſuperiore præceptos, quia præcepti ſunt. (*Ibid.* §. 878. ſeq.) 5. *Gratitudo*, ſeu virtus, quæ benefactoribus gratiam rependit. (*Ibid.* §. 882.) 6. *Vindicatio*, ſeu virtus, qua peccantibus ad emendationem, & juſtitiæ conſervationem pœna infligitur. (*Ibid.* §. 884.) 7. *Veritas*, ſeu virtus, qua quis vita, & ſermone talem ſe exhibet, qualis eſt. 8. *Affabilitas*, ſeu *amicitia*, ſeu virtus, quæ convenientiam ordinis ad alios in vita ſociali obſervat. (*Ibid.* §. 885.) 9. *Liberalitas*, ſeu virtus moderans amorem divitiarum, & reddens hominem promptum, ad eas erogandas, quando recta ratio dictat. (*Ibid.* §. 886.)

§. 132.

Juſtitia ad proficiendum neceſſaria eſt.

Juſtitiæ exercendæ ſtudere debet, qui in chriſtiana perfectione vult proficere. Ita *primo* præcipit S. Scriptura Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem: nemini quidquam debeatis.* Verbo: jus ſuum cuique, quæ eſt ipſiſſima juſtitia. *Secundo.* Ita docent PP. S. Petrus Chryſologus *ſerm.* 145. *Penes Deum neque pietas ſine juſtitia eſt, neque ſine pietate juſtitia. Cæleſti ſenſu ſine bonitate æquitas,*

ſine

ſine æquitate bonitas non habetur, virtutes, ſi ſeparatæ fuerint, dilabuntur. Æquitas ſine bonitate ſævitia, & juſtitia ſine pietate crudelitas. Joſeph ergo meritò juſtus, quia pius, & pius, quia juſtus. Denique dum pietatem cogitat, crudelitate caruit, dum cauſam temperat, judicium cuſtodivit, dum vindictam differt, crimen evaſit, dum refugit accuſatorem, fugit ſententiam. Et S. Bernardus ſerm. in octav. Epiph. *Eſt juſtitia quædam ſtricta, & anguſta valde, ita ut quam cito pedem verteris, in peccati foveam cadas: nec licet præponere ſe æquali, nec æquare præpoſito. Hujus definitio eſt, reddere unicuique, quod ſuum eſt.* Ratio eſt *tertio.* Quia juſtitia unicuique ſuum tribuit, ſcilicet Deo Religionem, ſuperioribus obedientiam, proximo ſuum honorem, famam, & fortunæ bona, ſine quorum exacta obſervatione nemo ad perfectionem chriſtianam pertingere poteſt.

Schol. *Actus* virtutis juſtitiæ ſunt. 1. Per virtutem Religionis Deo tanquam primo rerum omnium principio, & excellentiſſimo Domino debitum cultum latriæ per ſacrificium Miſſæ, de quo alibi, per orationem (§. 32. *ſeq.*) adorationem, oblationes, vota, juramenta exhibere; in eum credere, ſperare, eum diligere, timere, (§. 117. *ſeq.*) Eccleſias, & loca ſacra venerari &c. 2. Cœlitibus debitam venerationem, & quidem beatiſſimæ Virgini Mariæ per Hyperduliam, reliquis Sanctis per Duliam tribuere, (§. 37. *Collor.* & §. 111. *ſeq.*) eorum imagines venerari, ſicuti & reliquias. 3. Per pietatem parentibus debitum amorem, honorem, & obſequium præſtare. 4. Per obedientiam ſuperioribus debitam reverentiam, & ſubmiſſionem exhibere, etiam contra proprium judicium, in rebus etiam difficilibus: de quo item alibi agemus. 5. Per *Actus juſtitiæ.*

juſtitiam diſtributivam proportionem inter merita & præmia, per vindicativam inter culpam, & pœnam ſervare, & per commutativam omnibus, quod ſuum eſt, in bonis fortunæ, famæ, honoris, corporis, & animæ tribuere. 6. Benefactoribus debitas grates rependere. 7. Veritatem corde, & ore proferre. 8. Liberalem ſe erga proximum, prout recta ratio dictat, exhibere. 9. Affabilem erga omnes pro ratione ſtatus, & circumſtantiarum in converſatione ſe præbere. Quodſi hæc omnia in materia ardua prompte, delectabiliter & faciliter præſtentur, *heroicæ* juſtitiæ actus exercebuntur.

Adhortatio ad juſtitiam. *Corollar.* Demus igitur cuique, quod ſuum eſt: adoremus, laudemus, benedicamus, glorificemus Dominum Deum noſtrum, & gratias agamus illi pro omnibus, quæ retribuit nobis: quia eſt Rex noſter, Creator, Redemptor, Sanctificator, Glorificator, & Benefactor noſter, infinitus in ſuis perfectionibus, in majeſtate, ſapientia, potentia, ſanctitate; implens cœlum, & terram, cujus magnitudinis non eſt finis, æternus in duratione, ineffabilis locutione, incomprehenſibilis cogitatione, infinite bonus, unica ſpes noſtra, amor noſter, dulcedo noſtra, quies, & gaudium noſtrum, Protector, Defenſor, & Pater noſter. Poſt Deum veneremur etiam beatiſſimam Virginem Mariam, & alios Cœlicolas. Præſtemus ſuperioribus noſtris obedientiam, & Rom. 13. *Omnis anima potestatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Itaque neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Denique proximo tribuamus, quod ſuum eſt, memores præcepti naturalis: quod tibi vis fieri, alteri feceris: &, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

§. 135

§. 133.

Tertia virtus cardinalis eſt *fortitudo*, quæ eſt virtus moralis, per quam animus erga ea, quæ acerba, & terribilia ſunt, recte ſe habet, ut nec prave timendo, nec timere audendo, ab officio deſciſcat. ***Fortitudo quid.***

Schol. 1. Fortitudo chriſtiana in duplici ſignificatione ſumi poteſt, large videlicet, & ſtricte. *Large* ſumpta omnes virtutes complectitur, ideoque S. Proſper l. 3. c. 20. inquit: *Animi fortitudo ea debet intelligi, quæ non ſolum diverſis pulſata moleſtiis inconcuſſa permaneat, ſed etiam nullis voluptatum illecebris reſoluta ſuccumbat. Stricte* ſumpta ſpecialem virtutem cardinalem conſtituit, & modo definita fuit, de qua etiam actum eſt in (*Comp. Th. t.* 2. §. 623. *ſeq.*) ***Explicatur.***

Schol. 2. Juxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. *q.* 128. *a. un.* nullæ ſunt partes *ſubjectivæ* fortitudinis, prout eſt particularis virtus. Integrales tamen non deſunt: ſcilicet 1. *Fiducia*, qua deſignatur promptus animus, ad ardua aggredienda, quando Deus, vel ſuperiores volunt, vel recta ratio dictat. 2. *Magnificentia*, quæ pertinet ad operis executionem, ne quis deficiat in executione illorum, quæ fiducialiter inchoavit: quæ duæ virtutes ab aliis ſub nomine *Magnanimitatis* exprimuntur, & de qua ſparſim in decurſu hujus operis agitur. 3. *Patientia,* quæ eſt virtus, per quam labores, difficultates, & mala undecunque advenientia æquanimiter, & libenter tolerantur, de qua inferius ſuis locis ſermo erit. 4. *Perſeverantia*, quæ eſt virtus inclinans, & roborans hominem ad continuationem bonorum operum usque in finem. De qua item in decurſu tractatur. ***Virtutes illi annexæ.***

§. 134.

Fortitudo ad proficiendum requiritur.

Fortitudo neceſſaria eſt illi, qui vult proficere in perfectione chriſtiana. Ita *primo* hortatur S. Scriptura Tob. 7. *Forti animo eſto, in proximo eſt, ut a Deo cureris.* Et Pſ. 17. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.* Pſ. 22. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et Rom. 4. *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia? . . . Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita . . . neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Secundo.* Accedunt PP. S. Gregorius *l.* 7. *Mor. c.* 9. ait: *Alia juſtorum, alia eſt fortitudo reproborum. Juſtorum quippe fortitudo eſt, carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, hujus mentis aſpera pro æternis præmiis amare, proſperitatis blandimenta contemnere, adverſitatis metum in corde ſuperare. Reproborum vero fortitudo tranſitoria eſt, ſine ceſſatione diligere, contra flagella conditoris inſenſibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium nec in adverſitate quieſcere, ad inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento pervenire, bonorum vitam non ſolum verbis, ac moribus, ſed etiam gladiis impugnare, in ſemetipſis ſpem ponere, iniquitatem quotidie ſine ullo deſiderii defectu perpetrare.* S. Ambroſius Jobi fortitudinem laudans ejus neceſſitatem oſtendit *l.* 1. *Off. c.* 3. dicens: *Quid horum S. Jobo vel in virtute defuit, vel in vitio obrepſit? Quomodo dolorem ægritudinis, fri-*

frigoris, famis pertulit? Quomodo deſpexit ſalutis periculum? Numquid rapinis divitiæ coacervatæ, de quibus tanta in operibus affluebant? Numquid avaritia ſenſus, aut voluptatis ſtudia, cupiditatesque excitavit? Numquid trium Regum injurioſa contentio, vel ſervorum contumelia in iram excuſſit? . . . Quis igitur tam fortis, quam ſanctus Job. Denique ex Myſticis Roſignolius *tr. de actio. virt. l. 2. c. 11.* ait: „ Majorem „ item campum fortitudini bellicæ dat chriſtia- „ na Religio, quam forte Philoſophia: nec „ enim, ſi rem ſuo pondere examinemus, for- „ titudo bellica in anguſtias unius publici belli „ compellenda eſt. Eſt, aut eſſe poteſt uni- „ cuique ſuum bellum; imminet Chriſtiano „ cuilibet, ac pio viro ſuum ab fidei chriſtia- „ næ, & virtutis hoſte periculum: in acie no- „ bis ſtandum eſt, & ſi gladio non petendus „ hoſtis, ſuſtinendus certe ejus impetus, di- „ ſcrimen capitis ſubeundum pro fide, proque „ virtute. Cum res poſtulat, vita ſanguisque „ fundendus. Sed adhuc latius patet fortitu- „ do chriſtiana: munit enim, & corroborat „ adverſus quæcunque alia vitæ diſcrimina ". *Tertio.* Ratio eſt: multa ardua, difficilia, carni acerba, & terribilia in via perfectionis occurrunt, qui enim pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur: ergo fortitudine opus eſt proficientibus, ut illa ſuperare poſſint.

Schol. *Actus* fortitudinis ſunt 1. aggredi ardua juxta rectam rationem, ob finem ſupernaturalem in omni materia ſive præcepti, ſive conſilii: quod ſi prompte, faciliter, delectabiliter cum omnium bonorum, & vitæ periculo fiat, fortitudinis *heroicæ* *Actus fortitudinis.*

actus erit. 2. Actus fortitudinis chriſtianæ communis ſunt; patienter mala, calamitates, & dolores ſufferre propter Deum. Heroicæ autem fortitudinis actus ſunt, hæc & ſimilia, imo & acerbiora, & mortem ipſam, ſi opus fuerit, prompte, & hilariter propter Deum, fidem, aut virtutem, adeoque Martyrium, tolerare, de quo fuſe agit Benedictus XIV. *de ſerv. Dei beat. l.* 3. & tractatum fuit (*in Comp. Th. t.* 2. §. 625. *ſeq.*) Porro præter fortitudinem, quæ virtus eſt, datur etiam fortitudo, quæ eſt donum ſpeciale Spiritus ſancti, quod conſolidat firmitatem, & depellit trepidationem naturæ, ita ut fortis ſine ullo timore, imo cum lætitia mortem ſubeat, quod ſola virtus fortitudinis forte præſtare non poſſet, quæ licet inclinet ad ſuperandum opus difficile, ſola tamen virium imbecillitatem ſolidare nequit juxta S. Thomam *in* 3. *d.* 34. *q.* 3. *a.* 1. Unde fortitudo heroica donum fortitudinis annexum habet.

Adhortatio ad fortitudinem. *Corollar.* Simus proinde fortes in bello, & pugnemus cum antiquo ſerpente, & accipiemus regnum æternum. Aggrediamur ardua, quando Deus, vel obedientia, vel neceſſitas, vel charitas proximi, vel honor Dei, vel defenſio fidei, vel ſalus propria ad difficilia virtutum opera nos vocant, & credamus, *omnia nos poſſe in eo, qui nos confortat.* Philipp. 4. *Fidelis enim Deus eſt, qui non patietur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſimus ſuſtinere.* 1. Cor. 10. *Non timeamus eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timeamus eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Matth. 10. Ubi ſunt Domitiani, Maximiani, Diocletiani, & alii Tyranni, qui Martyres tam crudeliter cruciabant? Deſcenderunt in puncto in infernum, poſtquam duxerunt in bonis dies ſuos; cum econtra SS. Martyres triumphent in cœlis coronati. Poſſideamus ergo in patientia animas noſtras, & in ea conſtantes ſimus usque ad

ad mortem, nam *qui perſeveraverit usque ad finem, hic ſalvus erit.* Matth. 10. „ Et nunc quid reſtat chariſſimi, ſcribit S. Bernardus *ep.* 129. niſi ut ad„ moneamini de perſeverantia, quæ ſola meretur „ Viris gloriam, coronam virtutibus? Prorſus „ absque perſeverantia neque, qui pugnat, victoriam, „ neque palmam, victor conſequitur. Vigor vi„ rium, nutrix ad meritum, mediatrix ad præ„ mium: ſoror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, „ amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis „ vinculum, propugnaculum ſanitatis. Tolle „ perſeverantiam, nec obſequium mercedem ha„ bet, nec beneficium gratia, nec laudem forti„ tudo „.

§. 135.

Quarta virtus cardinalis eſt *temperantia*, quæ eſt virtus moderans appetitum circa voluptates animi, & corporis: & a S. Auguſtino *de mor. Eccl. c.* 19. deſcribitur: *Munus temperantiæ eſt in coercendis, ſedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt a legibus Dei, & a fructu bonitatis ejus.* Et l. 1. de lib. arbitr. c. 13. *Temperantia eſt affectio coercens, & cohibens appetitum ab iis, quæ turpiter fiunt.* *Temperantia quid.*

Schol. 1. De temperantia agit S. Thomas 2. 2. *q.* 141. ubi *art.* 1. probat temperantiam eſſe virtutem, quia inclinat ad id, quod eſt ſecundum rectam rationem. *Art.* 2. *ſeq.* Probat eſſe ſpecialem virtutem, quia ſpecialem habet materiam, refrænando appetitum ab his, quæ hominem maxime alliciunt, circa delectationem cibus, potus, & venereorum, quibus tantum utitur, quantum vitæ neceſſitas requirit. *Explicatur.*

Schol. 2. Partes *integrales* temperantiæ, ſunt 1. *Honeſtas*, quaſi honoris ſtatus ex S. Iſidorio *l.* 10. ſeu amor illius, quod virtuoſum, pulchrum, decorum, & non turpe eſt. 2. *Verecundia*, ſeu timor oppro- *Partes ejus integrales.*

 brii,

brii, & actus turpis, ex quo opprobrium generatur, quæ non eſt virtus proprie dicta: quia deficit a perfectione, cum apprehendat aliquid exprobrabile, & turpe, quod ſibi faciendum fóret; quia tamen verecundari ſecundum rectam rationem eſt bonum, & laudabile, ideo verecundia eſt laudabilis paſſio, & ſubinde dicitur virtus late talis.

Species temperantiæ. *Schol.* 3. Partes *ſubjectivæ*, ſeu ſpecies temperantiæ ſunt. 1. *Abſtinentia*, ſeu virtus moderans ſecundum dictamen rationis concupiſcentias, & delectationes ciborum, ut non impediant bonum rationis. 2. *Sobrietas*, ſeu virtus moderans affectum, & uſum potus: de quibus jam dictum fuit (§. 97. & *ſeq.*) & in decurſu adhuc dicetur. 3. *Caſtitas*, ſeu virtus moderativa delectationum in venereis juxta dictamen rectæ rationis, quæ triplex eſt, conjugalis, vidualis, & virginalis: de qua aliqua attigimus, (§. 112.) & alia ſuis locis occurrent. Vide (*Comp. Th. t.* 2. §. 632. *ſeq.*)

Partes potentiales. *Schol.* 4. Partes *potentiales*, ſeu virtutes temperantiæ annexæ ſunt. 1. *Manſuetudo*, ſeu virtus moderatrix iræ, de qua dictum fuit, ubi de mortificatione paſſionum actum eſt. (§. 89. *ſeq.*) 2. *Clementia*, quæ eſt virtus moderans pœnas ex animi lenitate, in quantum ratio juſtitiæ patitur. 3. *Humilitas*, ſeu virtus temperans appetitum tendendi ad excelſa, de qua ſuo loco inferius ſermo erit. 4. *Studioſitas*, ſeu virtus moderans appetitum, & ſtudium veritatis cognoſcendæ ſecundum regulas rectæ rationis. 5. *Modeſtia*, ſeu virtus, quæ motus, & geſtus corporis externos ſecundum rationis præſcriptum moderatur. 6. *Eutrapelia*, quæ in dictis, & factis ludicris ad recreationem corporis, & animi inſtitutis decorem ſervat. De quibus vide (*Comp. Th. t.* 2. §. 664. *ſeq.*)

§. 136.

Temperantiæ ſtudere de- *Temperantiæ ſtudere* debet, qui ad chriſtianam perfectionem proficiendo contendit. Nam pri-

primo 1. *Cor.* 9. *v.* 25. dicitur: *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet:* vel juxta græcum textum ſecundum verba: *Omnis autem agonizans omnia temperat*, ſcilicet in delectationibus corporis. Et 2. *Petri* 1. *v.* 6. hortatur S. Apoſtolus: *Miniſtrate . . . in ſcientia autem abſtinentiam*, ſive uti alii legunt, *temperantiam*, per quam juxta Eſtium in hunc locum ea virtus intelligitur, quæ in frænandis, ac reprimendis voluptatibus verſatur. *Secundo.* Ad eandem virtutem hortatur S. Proſper, ſeu quivis alius author *de vita Contempl. c.* 10. *l.* 3. dicens: *Temperantia temperantem facit, abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, ſerium, verecundum. Hæc virtus, ſi in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes pravas removet, inſerit ſanctas, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, animi teporem deſiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam ſemper ab omni vitiorum tempeſtate defendit. Tertio.* Ratio eſt: quia ſine temperantia voluptates refrænante, hæ rationem obnubilant, ita ut eam in dirigendis actionibus prudentia tuto conſulere non poſſit. *bet proficiens.*

Schol. *Actus* temperantiæ ſunt 1. moderatio in cibo, & potu per jejunium. 2. Abſtinentia a venereis illicitis voluptatibus. 3. Refrænatio iræ. 4. Humiliatio ſui. 5. Modeſta corporis, & actuum externorum compoſitio. 6. Moderatio in luſu, & aliis corporis recreationibus &c. Quod ſi hæc, & alia prompte, expedite, & delectabiliter in rebus arduis, etiam cum diſcrimine corporalis ſalutis, *Actus temperantiæ.*

ac vitæ, ex Spiritus ſancti dono timoris, quod juxta D. Thomam 2. 2. *q.* 141. *a.* 1. temperantiæ reſpondet, exerceantur, actus *heroicæ* temperantiæ erunt.

Adhortatio ad temperantiam. *Corollar.* Abſtineamus igitur a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam. Sequamur monitum Eccleſiaſtici c. 37. *Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam: in multis enim eſcis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram. Propter crapulam multi perierunt, qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Per hanc abſtinentiam caſtitatis virtutem in tuto collocabimus, nam *luxurioſa res vinum.* Prov. 20. Et ideo ſapiens *Eccl.* 2. ait: *Cogitavi in corde meo, abſtrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad ſapientiam.* Et S. Paulus Eph. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Modeſtia* etiam *noſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus enim prope eſt.* Philipp. 4. Sit greſſus noſter non nimis præceps, nec nimis lentus cum moderata gravitate, oculi modeſte demiſſi, geſtus non ludicri, ſed honeſti, riſus non excuſſus, manus compoſitæ, vultus non torvus, nec moroſus, veſtes decenter aptatæ, vox ſubmiſſa, converſatio noſtra cum aliis mitis, & manſueta, cavens offenſionem aliorum: præbeamus nos omnibus affabiles, nec tamen temere omnia ſine diſcrimine ſtatim credamus, ſed optima prudenter ſeligamus: ſimus omnibus amici, nemini familiares, quia familiaritas contemptum parit: non revelemus omnibus ſecreta, nec omnibus promiſcue fidamus, quia Eccli. 6. *eſt amicus, qui odium, & rixam, & convitia denudabit.*

§. 137.

Tentatio quid. Proficientes in vita ſpirituali, dum animam ſuam virtutibus exornare ſtudent, variis tentationibus, præſertim inhoneſtis, exagitari ſolent,

lent, & P. Godinez *in Prax. Th. myſt. l.* 2. *c.* 8. teſtatur: „ Quod licet cum non paucis perſo- „ nis ſanctis de negotio animæ egerit, vix ta- „ men aliquas invenerit, quibuscum Deus in „ hoc peculiari puncto diſpenſare voluerit, „ propterea quod hæc tentatio ſit humilitatis, „ ceu ſacri monilis cuſtodia, & martius pug- „ narum, coronarum, & præmiorum campus. „ Hanc tentationem neque virgines pudicitia „ eximiæ, nec remotiſſimi ab humanis Ana- „ choretæ auffugiunt: cum illa & magiſtri „ ſpirituales confligtantur, ut humilientur: „ raroque ſunt ab ea exempti incipientes, niſi „ forte ſint terreſtres, frigidi, & nimium me- „ lancolici; quo in caſu hi tales pejoribus la- „ borant incommodis, & tentationibus". Eſt autem *tentatio* juxta S. Thomam *in* 2. *d.* 21. *q.* 1. *a.* 1. Impugnatio virtutis, & incitamentum ad peccatum.

Schol. *Tentare* in genere loquendo juxta S. Thomam 2. 2. q. 97. a. 1. *eſt proprie, experimentum ſumere de eo, qui tentatur.* Sic homo dicitur vitioſe tentare Deum, quando ſine cauſa vult experimentum ſumere de eo, quod Deus poteſt, vult, aut ſcit, vel cum Gloſſa *in Deut.* 6. *v.* 16. *Deum tentat, qui habens, quod faciat, ſine ratione committit ſe periculo, experiens, utrum poſſit liberari a Deo.* Econverſo Deus dicitur tentare hominem, *cum experimentum de aliquo ſumit, ut aliis oſtendat.* Quare juxta eundem S. D. l. c. in 2. d. 21. *Alia tentatio eſt, in qua ſalvatur . . . manifeſtatio tentanti: & ſic dicitur, caro tentare, vel mundus, quia in his cognoſcitur manifeſte virtus, vel infirmitas mentis, ſicut in bello cognoſcitur virtus militis, quamvis hoſtes non impugnent, ut cognoſcant, ſed ut vincant. Unde ipſa impugnatio virtutis tentatio dicitur.* Hoc autem

Cauſæ tentationum.

autem eſt vel a principio intrinſeco, ſcilicet a corruptione carnis; & ſic dicitur tentatio a carne: vel a principio extrinſeco, & hoc dupliciter: quia illud, quod exterius eſt, vel impugnat per modum objecti: & ſic eſt tentatio a mundo, cujus rebus corda hominum alliciuntur ad peccandum: vel per modum agentis, qui trahit ad peccatum perſuadendo, terrendo, blandiendo, & ſic de aliis: & ſic dicitur tentatio eſſe ab hoſte, ſcilicet diabolo, & ab his, qui ſunt membra ejus. Homo igitur 1. Deum tentat, ſi temere ſe in pericula conjiciat, & totum opus, ſe liberandi, Deo relinquat. 2. Deus hominem tentat, quatenus probat ſive juſtos, ut in juſtitia promoveantur, ſive peccatores, ut a peccatis avocentur: probat autem hujus vitæ pœnis exercendo, & tentationes in malum inclinantes permittendo, juxta illud Deut. 13. v. 3. *Tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima veſtra.* 3. Caro tentat, quia per peccatum originale corrupta, quæ corruptio vocatur concupiſcentia, vel deordinatio partis inferioris contra ſuperiorem, inclinat in peccatum: quo ſenſu non Deus, ſed concupiſcentia eſt, quæ tentat, juxta illud Jac. 1. v. 13. *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator* (id eſt non tentator) *malorum eſt, ipſe autem neminem tentat.* 4. Mundus tentat, quatenus mundi bonis occaſionaliter homines illis abutentes ad malum, alliciuntur ad peccandum, quo ſenſu ſcriptum eſt Sap. 14. v. 11. *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum,* (ſcilicet ex culpa eorum, qui inſipienter eis utuntur, ait S. Thomas 1. *p. q.* 65. *a.* 1. *ad* 3.) *& in muſcipulam pedibus inſipientium.* 5. Diabolus tentat, quia ipſe eſt, qui directe intendit, impugnare virtutem, quod eſt proprium ipſius, & illorum, qui tanquam illius membra idem faciunt: unde antonomaſtice diabolus *tentator* vocatur. *Matth.* 4. *v.* 3.

§. 138.

§. 138.

Conformare nos debemus divinæ permiſſioni in *tentationibus*, ex divina providentia in bonum noſtrum ordinatis, quæcunque illæ ſint. Nam *primo Jac.* 1. *v.* 12. dicitur: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Ergo ut beati ſimus, & coronam promiſſam accipiamus, quamcunque tentationem a Deo, etiam tantum permiſſam, tolerare patienter, ejusque divinæ permiſſioni nos conformare debemus. *Secundo.* S. Hieronymus *ep.* 50. *ad Ocean.* ait: *Suſtineamus ergo ergo nos paululum, in hac vita tentari, ut æternam poſtmodum poſſimus pro temporali capere tentatione mercedem.* Caſſianus *collat.* 24. *c.* 25. ex Abbate Abrahamo docet: *Majora nobis per colluctationem tentationum laudis contulit præmia benigna erga nos gratia Salvatoris, quam ſi omnem a nobis neceſſitatem certaminis abſtuliſſet. Etenim ſublimioris, præſtantiorisque virtutis eſt, perſecutionibus, ærumnisque vallatum manere ſemper immobilem, & adverſum ſe ſævientibus cunctis certum de præſidio Dei, atque intrepidum perdurare, humanisque incurſibus velut armis invictæ virtutis accinctum, glorioſiſſime de impatientia triumphare, & acquirere quodammodo de infirmitate virtutem, quia virtus in infirmitate perficitur.* S. Leo *ſerm.* 1. *Quadr.* ait: *Nulla ſunt enim dilectiſſimi! ſine tentationum experimentis opera virtutis, nulla ſine perturbationibus fides, nullum ſine hoſte certamen, nulla ſine congreſſione victoria. Vita hæc noſtra in medio inſidiatorum, in medio prælio-*

Tentationes patienter ſufferendæ.

liorum eſt: ſi volumus non decipi, vigilandum eſt, ſi volumus ſuperare, pugnandum eſt. Ex his *tertio* patet Ratio: quia tentatio materiam merendi, & præclaras virtutes exercendi, nobis præſtat, uti teſtatur Apoſtolus graviſſima tentatione etiam poſt ter repetitam ferventem orationem vexatus, dicens: 2. Cor. 12. v. 9. *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Quippe virtus non probata, non tentata ſolius nominis virtus eſt. Certe charitas Dei virtutum omnium ſumma, & perfectionis chriſtianæ eſſentia, nonniſi per opera, & inter ea nonniſi tentationum probatione cognoſcitur: nam in judicio contradictorio ſolum liquido conſtat, an ſolus Deus in corde regnet, & ſolus appretiative ſuper omnia diligatur, ſi quis paratus ſit, pro Deo omnia mala ſufferre, & omnia bona perdere. Item Chriſtus ipſe *ductus eſt in deſertum, ut tentaretur a diabolo.* Matth. 4. v. 1. Et *tentatus fuit per omnia pro ſimilitudine absque peccato.* Hebr. 4. v. 15. Ut nimirum ad ejus ſimilitudinem non renuamus, omnibus modis ad placitum divinæ providentiæ, peccato tamen excepto, tentari. Denique tenemur conformare nos divinæ voluntati. Matth. 6. v. 10. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.* Sed quia in terra hæc Dei voluntas nonniſi per medias tentationes fieri poteſt, conformare nos in illis ſufferendis divinæ providentiæ debemus, ut merendo nunc in terra, probati, fruendo in cœlo, beati evadamus. Teſte enim Abbate Piamone apud Caſſianum coll. 18. c. 13. *Patientia in eo eſt præclara, atque glorioſa, quod irruentibus in ſe tentationum procellis immobilis perſeverat.*

Schol.

Schol. Manichæi peccata, ac proinde etiam tentationes, Deo tribuebant non modo permittenti, ſed volenti; non tamen Deo bono, ſed Deo malo, & reſpectu duarum ſimiliter animarum in homine, quarum altera bona, altera mala eſt. Quibus annumerandi ſunt, qui Deum eſſe Authorem cujuscunque mali aſſerebant, vel qui e diverſo nullum malum, etiam afflictionis, & pœnæ a Deo eſſe contenderunt. Denique Paterniani, & Venuſtiani apud S. Auguſtinum *l.* 5. *cont. Jul. c.* 8. dicebant: *A lumbis uſque ad pedes diabolum feciſſe corpus hominis; ſuperiores vero partes Deum.* Hi hæretici refutantur ex dictis. (*Comp. Th. t.* 1. §. 58. 81. 102.) *Hæreſes.*

§. 139.

Ex §. præcedenti fluit *primo* quod in *malis ſolius pœnæ*, nulla exceptione facta, cum voluntate divina, per illa nos tentante, vel probante, conformari debeamus. Ita *primo* docet S. Scriptura, Jer. 18. v. 11. *Ecce ego fingo contra vos malum.* Amos 3. v. 6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Apoc. 3. v. 19. *Ego, quos amo, arguo, & caſtigo.* Ergo mala pœnæ Deus nobis immittit, non quia malum, ſed bonum nobis vult, nos amat, probat, caſtigat: conſequenter beneficæ ejus voluntati conformari debemus. *Secundo.* Ad hoc hortantur PP. S. Baſilius hom. 9. *Ne deficiamus in afflictionibus, ſed expectemus bonitatem Dei, ſciamusque, quod ille prudenti quadam diſpenſatione afflictionibus nos dedat, & ſecundum proportionem unicujusque fidei probationum inducat menſuram.* *Tertio.* Ratio eſt, quia Deus per ejusmodi mala pœnæ noſtrum bonum intendit, & nos per gratiam ſuam ad bonum eorum uſum excitat, & adjuvat: ergo nos

Tentationes in malis pœnæ ad Deo ſuſcipiendæ ſunt.

nos ejus divinæ voluntati quoad hoc confor-
mare debemus.

§. 140.

In tentationibus culpæ excepto peccato voluntati Dei nos conformare debemus.

Secundo ſequitur, quod etiam in tentationibus ad *malum culpæ*, inducentibus, quæ a carne, mundo, & diabolo proveniunt, dummodo culpam declinemus, cum voluntate Dei eas permittente *conformari* debeamus. Sic *primo* nos inſtruit ſuo exemplo S. Paulus 2. Cor. 12. v. 7. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* Quod ſi igitur S. Paulus exemptus non eſt, ſed edoctus, ſuſtinere tam fœdam ſub iniquo adeo Tyranno tentationem, nos certe in tentationibus a Deo permiſſis, excepto peccato, ejus divinæ permiſſioni nos conformare debemus. *Secundo* S. Gregorius l. 2. Mor. c. 6. ait: *Sciendum eſt, quia Satanæ voluntas ſemper iniqua eſt, ſed nunquam poteſtas injuſta, quia a ſemetipſo voluntatem habet, ſed a Domino poteſtatem, quod enim ipſe inique facere appetit, hoc Deus fieri nonniſi juſte permittit.* Id quod ex illo 1. Reg. 16. v. 23. *Spiritus Dei malus arripiebat Saul:* probat, dicens: *Ecce unus, idemque ſpiritus & Domini appellatur, & malus: Domini videlicet per licentiam poteſtatis juſtæ, malus autem per deſiderium voluntatis injuſtæ.* Ergo huic poteſtati, & permiſſioni divinæ juſtæ conformari tenemur; uti enim notat S. Baſilius hom. 9. *Deus Satanæ utitur ad noſtram exercitationem malignitate, quemadmodum medicus viperæ veneno, ad ſalutarem medicamentorum præparationem.* Ex his *tertio* eruitur Ratio: quia dœmones &c. ſunt inſtrument-
qu-

quibus mediantibus Deus infligit mala pœnæ, tentationis, probationis, & purificationis cauſa, quantum eſt ex parte Dei: ergo inimicos noſtros ſuſcipere debemus, ut inſtrumenta Dei, qui illis nos affligentibus utitur, ut probemur, & purificemur. Deinde licet Deus pure permittat, quæ vel ſunt peccatum, vel ad illud inclinant, nec approbet, ſed odio habeat illos, qui peccant, vel pravæ inclinationi non repugnant, effectus tamen exinde ad bonum collecti, non ſolum a Deo permittuntur, ſed amantur, maxime reſpectu illorum, qui non peccant, ſed tantum patiuntur, ſicuti de Chriſti paſſione dicitur: *Paſſio placuit, actio diſplicuit.* Ergo etiam in illis, excepto peccato, voluntatem, & permiſſionem divinam adorare, eique conformari oportet.

§. 141.

Ad tentationem ſemper parati eſſe debemus.

Tertio ſequitur, quod omnes incipientes, proficientes, & perfecti ſemper ad *tentationem* cum nutu, & ad nutum Dei *parati* eſſe debeant. Ita monet *primo* S. Scriptura; pro incipientibus quidem Eccli. 2. v. 1. *Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Pro proficientibus, Tob. 12. v. 13. *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Pro perfectis 2. Cor. 12. v. 7. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ.* Hoc idem *ſecundo* oſtendit ex profeſſo S. Gregorius *l.* 24. *Mor. c.* 7. dicens: *Si vigilanter intendimus, hæ tres vices mœroris, & lætitiæ in uniuscujusque electi animo iſtis alternanti-*

 bus

bus modis invenimus: id eſt, converſione, tentatione, & morte. Quod per partes exponit quatenus non modo in converſione ipſa qui tentatur a ſuis hoſtibus, ne eam exequatur ſed etiam poſt executam, ne in ea perſiſtat: *quia ne ſecuritatis negligentia diſſolvatur, impulſu tentationis afficitur.* Itaque, ut inquit, initio converſionis lætitia conſolationis datur, mox ſuccedit mœror tentationis. *Poſt converſionis vero certamina, poſt probationis ærumnam reſtat adhuc dura tentatio: quia venire non poteſt ad perfectæ gaudia libertatis, niſi prius debitum ſolveri humanæ conditionis.* Unde etiam Gerſon *tr. de div. tent.* Alvarez de Paz *t.* 2. *de vit. ſpir. l.* 1 *p.* 3. *c.* 12. Roſſignolius *de chriſt. perf. l.* 1. *a. c.* 17. & *l.* 2. *a. c.* 33. & *l.* 5. *c.* 27. tentationes incipientium, proficientium, & perfectorum memorant. *Tertio.* Ratio eſt: quia *militia,* ſeu juxta LXX. *tentatio eſt vita hominis ſuper terram.* Jobi 7. v. 1. Nam tota vita noſtra in medio hoſtium verſatur, imo in nobismetipſis hoſtem circumferimus; ergo ſi perire nolimus ad pugnam tentationis ſemper parati eſſe debemus: quia ſine hac pugna nulla eſt victoria.

§. 142.

Tentationes gaudenter tolerandæ.

Quarto. Denique ſequitur, quod in *tentationibus*, modo explicato, non ſolum *patienter* ſed etiam *libenter*, imo & *gaudenter* cum voluntate divina nos *conformare*, ſtudere debeamus. Ita *primo* hortatur S. Jacobus 1. *Jac.* 2. *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.* Id quod exemplo ſuo nos Chriſtus, & Apoſtoli docuerunt: Chriſtus

Luc.

Luc. 12. v. 50. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usquedum perficiatur?* S. Paulus 2. Cor. 12. v. 9. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto.* Apoſtoli Act. 5. v. 41. *Illi quidem ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Idipſum *ſecundo* inculcant PP. S. Gregorius l. 2. Mor. c. 12. *Magna eſt conſolatio in eo, quod diſplicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui nonniſi juſtum placet.* Et S. Auguſtinus in ſolilloq. c. 22. *Omnia mihi amareſcant, ut tu ſolus dulcis appareas animæ meæ, qui es dulcedo inæſtimabilis, per quam cuncta amara dulcorantur . . . pro tua enim dulcedine ibant Apoſtoli gaudentes.* Et S. Thomas in 2. Cor. lect. 3. *Quia virtus Chriſti habitat in me in infirmitatibus, & in tribulationibus omnibus, & ideo complaceo mihi, id eſt multum delector, & gaudeo dictis infirmitatibus meis.* *Tertio.* Ratio petitur a voluntate divina tentationes vel immittente, vel permittente, cui nos itaque cum gaudio conformare, ſtudere debemus.

§. 143.

Orare debemus, ne tentemur, vel vincamur.

Conformitas cum Dei voluntate in ſufferendis tentationibus non obſtat, quo minus deſiderare, & *orare* debeamus, *non vinci a tentatione*, quin etiam *non tentari*, niſi prout ſecundum divinam providentiam nobis expedierit. Sic *primo* Chriſtus ipſe docet nos orare. Matth. 6. v. 13. *Et ne nos inducas in tentationem.* Id

eſt juxta explicationem P. Suarez *tom.* 2. *de Rel. l.* 3. „In tentationem noxiam, quæ nos eſt „ſuperatura: de tali autem verum eſt, poſtulare nos, tum ne illa vincamur, tum etiam, „ne illam patiamur". Rurſus *Matth.* 26. *v.* 41. Chriſtus ait: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Rationem ſubdit: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Ergo licet deſiderabile non ſit, imo moraliter impoſſibile, quin & ſæpe non expediens, non tentari, non tamen, nec indiſcriminatim orandum eſt, tentari, ſed potius non tentari; niſi prout expedierit. *Secundo.* Ita docent PP. S. Auguſtinus l. 10. Conf. 20. *Quis velit moleſtias, & difficultates pati? tolerare jubes eas, non amare. Nemo, quod tolerat, amat, etſi tolerare amat: quamvis enim gaudeat, ſe tolerare, mavult tamen non eſſe, quod toleret. Proſpera in adverſis deſidero, adverſa in proſperis timeo: quis inter hæc medius locus? ubi non ſit humanæ vitæ tentatio? Væ proſperitatibus hujus ſæculi ſemel, & iterum a timore adverſitatis, & a corruptione lætitiæ! Væ adverſitatibus ſæculi ſemel, & iterum, & tertio, a deſiderio proſperitatis, & quia ipſa adverſitas dura eſt, & naufragat tolerantia.* Ergo ſi adverſitates, quæ minoris ſunt mali, non jubentur ſaltem ab omnibus deſiderari, ſed tolerari, multo minus tentationes, quæ noxiæ eſſe poſſunt, indiſcriminatim deſiderandæ, ſed per orationem ſecundum Dei voluntatem avertendæ ſunt. S. Thomas etiam *in* 2. *d.* 21 *q.* 1. *a.* 3. docet: *Tentatio per ſe ordinata eſt ad hominis perditionem, ad ſalutem vero non ordinatur, niſi per accidens, ſcilicet ex hoc, quod vincitur*

per

per auxilium gratiæ divinæ: & ideo tentari ſimpliciter non eſt appetendum, ſed tentari, & vincere ſimul acceptum appetendum eſt: ſed quia propter noſtram fragilitatem victoria nimis dubia eſt, ideo ſecurius fugitur, quam quæritur. S. Bonaventura *in* 4. *proc. Relig. c.* 12. ait: *Utrum autem ſit utilius habere tentationes, vel carere, ſolus rei exitus probat; quia habere eas, & viriliter reſiſtere, magnæ virtutis eſt: ſuperare vero, & triumphare de ipſis, glorioſum eſt: carere autem, commodius, & ſecurius eſt; ſuccumbere periculoſum: appetere eas, & ſeſe ingerere, incautum, maxime infirmis, & imperfectis.* Idem ſentit Dionyſius Carth. *l. de remed. cont. ten.* ſtatuens, tentationes non eſſe appetibiles, prout ſollicitant ad peccatum, ſed quatenus ſunt materia luctæ, victoriæ, & meritorum, quod ipſum ſolis Viris generoſis, & in amore Dei ſixis concedit. S. Franciſcus Saleſius *p.* 3. *Introd. c.* 37. valde temperat deſideria tentationum, quæ cruces ſunt, & omnino prohibet eas deſiderare, quæ propriæ tentationes ſunt, ſaltem pro imperfectis, & nonniſi cum rara exceptione. Alvarez de Paz *t.* 2. *de vit. ſpir. l.* 1. *p.* 3. *c.* 2. Scupuli in *lucta ſpir. c.* 13. & Rodericius *Exerc. perf. p.* 2. *tr.* 4. *c.* 8. dum tentationes appeti, & peti poſſe aſſerunt, pro raris caſibus intelligendi ſunt. *Tertio.* Ratio eſt paulo ante a S. Thoma aſſignata: cui accedit, quod non orare, ne vel tentemur, niſi prout ſecundum divinam providentiam nobis expedit, vel a tentatione non vincamur, eſſet confidere propriis naturæ viribus, quaſi vero per illas ſine auxilio gratiæ, quod nonniſi orantibus promiſſum eſt, tenta-

tiones vincere poſſemus. Unde etiam omnes Theologi agnoſcunt gravem orandi obligationem, tam ad vitandas, prout fieri poteſt, graves, & periculoſas tentationes, quam ad reſiſtendum, ſi vitari nequeant. (*Comp. Th.* t. 1. §. 349. *Sch.* 3.)

Hæreſis. *Schol.* 1. Pelagiani pro vincendis quibusvis tentationibus, etiam per totam vitam, & quidem fructuoſe, & meritorie ad vitam æternam, naturæ vires ſine auxilio gratiæ ſufficere afferebant. Verum contra eos non modo pugnat fides catholica, ſed etiam certa Theologorum ſententia tenet, non tantum non fructuoſe, ſed neque præciſe non peccando, nec peccatorem, nec juſtum tentationes ſaltem difficiliores, vel per totam vitam ſine gratia Dei ſpeciali vincere poſſe. (*Comp. Th.* t. 1. §. 34. *ſeq.*) Sufficiat nobis audire Tridentinum, quod ſeſſ. 6. c. 13. ait: *Formidare debent* (adhuc juſti) *ſcientes, quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt, de pugna, quæ ſupereſt, cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent, dicenti: debitores ſumus non carni &c.*

Corollaria, & regulæ. *Schol.* 2. Ex dictis fluit 1. quod tentationes, vel potius probationes per mala pœnæ, uti morbos, mortem, egeſtatem, quandoque expediat deſiderare, ac petere, quandoque non; prout vel ab effectibus, vel inſpirationibus, vel juxta directoris conſilium prudens judicium formari poteſt, quid Deo magis placiturum ſit: rationem dat Suarez *l.* 2. *de orat. c.* 19. Quia non ſunt mala ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & erunt ſimpliciter bona, ſi ex honeſta ratione, & propter finem ſimpliciter bonum appetantur, ſi alia bona contraria v. g. ſanitas &c. nobis obfutura credantur. Non omnibus tamen hic orationis modus conſulendus eſt, quia ad hoc genus probationis non omnes ſunt idonei, & in dubio de noſtra potius fragilitate timere

mere debemus, ſed hæc deſideria ſollicite probentur, an ex Deo ſint. Unde S. Saleſius *Introd. p.* 3. *c.* 37. monet: „ Cave, ut ne novas deſideres „ cruces, niſi ad menſuram modi, quo prius ha„ *bitas* tuleris: quia eſt abuſus in propatulo, „ Martyrium exoptare, qui ſe imparem invenit, „ ad ſuſtinendam injuriam. Tentator excitat in „ nobis ſæpe magna deſideria objectorum abſen„ tium, quæ nunquam evenient, ex fine ſpiritum „ removendi noſtrum a præſentibus objectis, quæ „ quantumvis parva proficere multum poſſent: „ congredimur imaginarie cum Africæ monſtris, „ & negligimus, lethaliter ab exilibus morderi „ ſerpentibus, quæ in via noſtra occurrunt paſſim". 2. Quando in tentationibus, aut probationibus intervenit malum culpæ alienæ v. g. in perſecutionibus a malis hominibus illatis, cavendum eſt, ne, ſi eas deſiderare expediat, optemus, quod culpa ſit, vel etiam permiſſio culpæ, ſed ſolus noſter in perfectione profectus deſiderandus eſt: nam ſicuti *non licet facere mala, ut eveniant bona,* Rom. 3. v. 8. Ita nec mala deſiderare licet, ut bona inde emergant. Optandum itaque, quod contumelias, & injurias pati ſine ullo proximi peccato fieret: quodſi tamen peccatum, nulla per patientes illas occaſione ad illud data, contingat, bonum eſt, ut quis permiſſive ſe ad peccatum habendo, ſub data tamen præcautione n. 1. magnum illud bonum, Chriſto ſe aſſimilandi exoptet. 3. Tentationes circa vitia, & peccata ſpiritualia ſuperbiæ, iræ, invidiæ, acediæ deſiderari, & peti poſſunt, quando ex gratia Dei ſperatur de illis victoria: ita docet S. Bonaventura *in* 4. *proc. Relig. c.* 12. „ Exercitare tamen ſe „ ad pugnam ſpontaneam contra ſpiritualia vitia, „ videlicet iram, invidiam, & vanam gloriam „ &c. aliquando utile eſt ei, qui inter alios morari eligit, qui eum perſequuntur, & offendunt, „ ut ſic diſcat patientiam: & ei, qui ſub diſcreto „ Magiſtro vivit, qui in omnibus frangit ejus vo-

„ luntatem, ut ſic aſſueſcat eſſe humiliter obe-
„ diens, & prompte, & ſic de cæteris vitiis ſpi-
„ ritualibus expugnandis “. 4. Tentationes circa vitia, & peccata carnalia, luxuriæ, gulæ, avaritiæ, vix aliquando deſiderari, & peti poſſunt, ſed generaliter potius deſiderari, & peti debet, quod diſcedant, juxta illud 1. Cor. 6. v. 18. *Fugite fornicationem:* & juxta exemplum ejusdem S. Apoſtoli, qui petiit enixe, ut ſtimulus carnis diſcederet a ſe. Unde S. Bonaventura l. c. pergit:
„ De carnalibus autem vitiis hoc periculoſum, &
„ ſtultum eſt, ſed ſunt fugiendæ eorum pugnæ,
„ & a memoria excludendæ, & occaſiones earum
„ tollendæ “. Id quod probat exemplo Chriſti, qui noluit de hac re tentari, & denique ſubdit:
„ Tentationibus autem, in quibus delectatio con-
„ ſiſtit, maxime teneri, & infirmi ſuperantur, in
„ quibus amor mundi nondum extinctus eſt, &
„ ideo citius accenduntur ex concupiſcentiis mun-
„ di “. Quapropter exempla nonnullorum, qui in vitis Patrum rogarunt ſuos Patres ſpirituales, ut non pro liberatione a ſpiritu fornicationis, ſed pro tolerantia, & victoria in hac pugna orarent, & quibus nonnulli Patres ſuaſerunt, ut orarent pro reſtituenda hac pugna, ne in teporem inciderunt, non paſſim imitanda, ſed caute ſumenda ſunt pro illis ſolum, in quibus longo uſu, & ſub judicio Patris ſpiritualis compertum eſt, hujusmodi fœdam humiliationem plus utilitatis, quam periculi afferre: meliusque *in vit. PP.* Sara impugnata per annos tredecim a ſpiritu fornicationis, ibi exinde profectus ſibi conſcia, nec orabat tentari, nec liberari, ſed ſolum: *Domine da mihi fortitudinem.*

§. 144.

Primum remedium contra tentatio-

Quodſi Deus tamen preces noſtras, ne tentemur, non exaudiat, ſed nihilominus nos quibuscunque tentationibus probari permittat, tunc

tunc de *remediis* adhibendis ſolliciti eſſe debemus, de quibus nobis providit, ne a tentatione vincamur: inter quæ *primum* eſt *reſiſtentia* cum divina gratia. Præſcribit hoc remedium nobis *primo* S. Scriptura 1. Petr. 5. v. 8. *Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Eph. 6. v. 10. *Fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus: induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* Et v. 13. *Propterea accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* Denique hanc armaturam deſcribit v. 16. *In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela iniquiſſimi ignea extinguere.* Neque ſolum de armis, ſed etiam de viribus gratiæ, ad reſiſtendum neceſſariis, nos Deus ſecuros reddit, dum *Matth.* 11. *v.* 28. ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Et Pſ. 90. *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Cujus teſtis eſt S. Paulus, Philipp. 4. v. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Et Rom. 8. v. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Hoc idem *ſecundo* reſiſtentiæ medium inculcant PP. S. Chryſoſtomus in ep. Eph. hom. 22. *Vide, quomodo nos hoſtis potentia excitet, vigilareque faciat, dum ſcimus magnorum bonorum eſſe periculum, magnaque nos conſecuturos, ſi quidem vicerimus.* Et modum reſiſtendi per fidem oſtendit S. Thomas *l.* 5. *ad Eph.* 6. ſcilicet *ſi tentator tentat de gula, ſecundum illud; non in ſolo pane vivit homo: vel illud: non eſt regnum Dei eſca, & potus. Si de luxuria:*

nes eſt reſiſtentia.

 non

non mœchaberis. Si de futuro: non furtum facies: & ſic de aliis. De gratia autem divina in tentationibus nobis præſenti, & ad reſiſtendum auxiliante, ait idem S. Chryſoſtomus l. c. *Et cujus gratia pugna nobis adverſus dæmones nata eſt? Quoniam adjutorem habemus inexpugnabilem, nempe Spiritus S. gratiam: artem talem edocti ſumus, ut nequeamus adverſus homines luctari, ſed adverſus dæmones.* Et S. Bernardus in Pſ. Qui habitat &c. *Nonne ex hoc jam ſuo ipſius gladio inimicus perimitur, & magnitudo tribulationis, de qua tentare ſolebat, ipſas magis tentationes exuperat, tanquam certiſſimum divinæ præſentiæ argumentum? Quid enim timendum nobis, ſi adeſt, qui portat omnia?* Unde S. Antonio poſt acrem cum dæmonibus conflictum amanter querulo: „ Ubi eras bone Jeſu! ubi „ eras? quare non a principio adfuiſti? re- „ ſpondit Dominus: Antoni hic eram, ſed „ expectabam videre certamen tuum". *S. Athanaſ. in vit.* ſimile reſponſum tulit S. Catharina Senenſis: „ Ego eram in corde tuo ... „ Quis faciebat, ut triſtareris, & non delectareris in illis ſpurciſſimis cogitationibus, niſi „ ego, qui latebam in medio cordis tui". *Tertio.* Ratio eſt: tentator maximus ſive per ſe, ſive per carnem, & mundum, non ſinitur a Deo nos tentare, niſi in quantum cum ejus gratia ſuſtinere poſſumus, tum quia dominium non habet immediate in actus noſtros liberos: tum quia nec motus fluidi nervei in cerebro, & ſanguinis producere poteſt, quibus propter unionem animæ cum corpore malæ cogitationes in anima reſpondeant, niſi quantum Deus illi

illi permittit, ſcilicet ſecundum vires noſtras cum gratia: (*Comp. Th. t.* 1. §. 209.) Ergo tentationibus ejus cum gratia illius reſiſtere & poſſumus, & tenemur, nec excuſabiles erimus, ſi, quantumvis fortiſſima ſit tentatio, illi cedamus.

Schol. 1. Pſeudo - Illuminati, quos pro more ſuo commendat perperam Arnoldus in ſua hiſtoria *p.* 2. eoquod, ut ipſe putat, vitæ internæ ſatius, quam externis Religionis ritibus, & Sacramentis vacent, ab erroribus a S. Inquiſitione Hiſpanica damnatis 45. ad 54. & 76. Item Molinos inter errores ab Innocentio XI. damnatos a prop. 37. ad 54. ſub falſo prætextu unionis cum Deo omnia obſcœna admittebant, ſive ut a diabolo, ſeu etiam a Deo immiſſa non modo, ut nullum peccatum, ſed etiam ut virtutem, & pietatem, atque adeo effutiebant, nec eſſe reſiſtendum tentationibus, nec auſteritatibus utendum: ſufficit inter alias ſpurciſſimas propoſitiones hic pro exemplo afferre prop. 41. *Deus, ut nos humiliet, & ad veram transformationem pertingere faciat, permittit, & vult in animabus quibusdam perfectis, etiam non arreptitiis, ut dæmon operetur violentiam in earum corporibus, illasque committere faciat actus carnales, etiam in vigilia, & ſine mentis offuſcatione, movendo illis phyſice manus, aliaque membra contra earum voluntatem; & idem dicendum eſt in ordine ad alios actus per ſe peccaminoſos; quo caſu non ſunt peccatum, quia non adeſt conſenſus.* Et 42. *Poteſt dari caſus, quo hæ violentiæ ad actus carnales exiſtant in eodem tempore ex parte duarum perſonarum, id eſt viri, & fœminæ, & conſequatur actus ex parte amborum.* Has, & alias ſpurcitias abſtergere quidem conatur a Molinos citatus antea Arnoldus, & illas falſo illi aſperſas eſſe contendit, ſed pro more ſuo ſine ſolida probatione. Eas cum aliis erroribus refutarunt Card. Noailles in *Inſtit. Paſt. de perf. chriſt.* *Hæreſes.*

&

& vita interiori adverſus ſpuriorum Myſticorum errores. Benignus Boſſuet *de ſtatibus orationis.* Paulus Godet de Marais *in Inſt. Paſt. contra novæ myſtagogiæ illuſiones.* Et contra eos pugnant probationes modo allatæ, & adhuc dicenda reſtant in ſequentibus. Hæc ſane portenta demonſtrant, nullum eſſe præcipitium, in quod animæ a ſemita perfectionis corruere non poſſint, ſi ſemel a ſolidæ virtutis greſſibus per abnegationem ſui, cordis humilitatem, & obedientiam Evangelico directori præſtandam deflectere incipiant.

Modus reſiſtendi diabolicis tentationibus.

Schol. 2. Quia tentationes vel a diabolo, vel a mundo, vel a carne oriri ſolent, ideo nonnulla obſervanda ſunt, quomodo his tribus hoſtibus noſtris reſiſtere debeamus. Et quidem diabolo in nomine Domini non timide, ſed fortiter reſiſtendum eſt, licet enim de nobis ipſis timere ſemper poſſimus, & debeamus, ſicuti etiam de periculis, & occaſionibus, quibus nos exponere præſumptio, & tentatio Dei foret; ſi tamen permittente Deo inviti a diabolo tentemur, timor excutiendus eſt, tum quia plus dolis, quam viribus valet, quos vi contemnere, & eludere poſſumus; tum quia fortitudo ſua, utpote ligata, ſolum exerit vires, quas ei noſtra timiditate ſuppeditamus: unde Jac. 4. v. 7. dicitur: *Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis.* Et S. Chryſoſtomus hom. 22. ad pop. *Cani ſimilis eſt voluptas; ſi pellas, fugit: ſi nutrias, permanet.* Et hom. 22. in ep. Eph. *Huic ſemper inimicus eſto, ſemper acerbus, ſemper immitis. Ita abjectus erit ille, ita contemptibilis, ita facilis captu. Si nos ſævierimus adverſus eum, ipſe non erit nobis ſævus: ſi nos manſueti fuerimus, tunc ipſe ſævus erit.* Et S. Gregorius l. 5. Mor. c. 17. *Diabolus aliis leo eſt, aliis formica: quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, ſpirituales vero infirmitatem illius pede virtutis calcant.* Quare S. Antonius ſuos diſcipulos ita hortabatur: „ Una eſt ergo ratio „ vincendi inimicum, lætitia ſpiritualis, & animæ

„ Do-

„ Dominum ſemper cogitantis recordatio, quæ „ dœmonum ludos quaſi fumum expellens, per- „ ſequetur adverſarios potius, quam timebit “.

Schol. 3. Magis timendus eſt mundus, cujus illecebris honorum, divitiarum, & delitiarum diabolus ad nos tentandos, & in peccatum inducendos utitur: quare admodum cauti eſſe debemus in declinandis mundi periculis. Nam 1. Joan. 5. v. 19. *Mundus totus in maligno poſitus eſt.* Et c. 2. v. 16. *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Scilicet per objecta harum concupiſcentiarum ad ea cum exceſſu appetenda nos tentans: ob quem turpem noſtrum abuſum Sap. 14. v. 11. dicuntur creaturæ eſſe *in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium:* quam metaphoram aurea ſua explicatione exponit S. Chryſoſtomus *hom.* 15. *ad pop. ante med.* dicens: *Sicut enim terra laqueos, ſic diabolus vitæ voluptatibus peccata circumtexit . . . Undique igitur res cum diligentia perſcrutemur. Agnoſcamus præcipitia, nec appropinquemus. Hoc maxime ſecuritatis vobis erit occaſio, non tantum peccata fugere, verum & quæ videntur media quidem eſſe, ad peccatum vero nos ſupplantant.* Id quod ab inductione explicat, hortando fugere ab intempeſtivo riſu, verbis ſcurrilibus, deliciis, theatris, equorum certaminibus ſpectandis, luſu alearum &c. *quæ non videntur multis peccatum eſſe, ſed infinita vitæ mala ſolent inferre.* Quæ Patrum doctrina non quidem poſtulat, ut a remotiſſimis periculis recedamus, *alioquin debueratis de hoc mundo exiiſſe.* 1. Cor. 5. v. 10. Sed nec contenta eſt illa communi Theologorum ſententia, in ſolo proximo peccandi periculo obligationem gravem fugiendi ſtatuente: nam ulterius procedunt Patres, & ubi periculum ſpeciale imminet, licet non ita certo proximum, ita conſulunt fugere, ut ſine hac fuga omnimodam ſecuritatem non agnoſcant.

Modus reſiſtendi mundi tentationibus.

Schol. 4.

Modus reſiſtendi tentationi carnis.

Schol. 4. Adhuc magis quam diabolus, & mundus, caro timenda eſt, cujus concupiſcentiis, niſi coerceantur, dœmon, & mundus omnes ſuas vires exurunt: quippe tentationes reliquæ ſunt extrinſecæ, quæ niſi ab intrinſeca concupiſcentiarum deordinatione juvarentur, vel facile propulſarentur, vel nonniſi raro, & per exceſſum malitiæ nos vincerent. Cum vero natura noſtra per paſſionum exceſſus, ſeu concupiſcentiam deordinata ſit, in maximo periculo verſamur, in peccata labendi, & ſumus veluti ſacculi pulvere pyrio repleti, quibus vel una ignis ſcintilla ſufficit, ut in perniciem nos inducat. Unde Jac. 1. v. 14. dicitur: *Unusquisque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus.* Solerter ergo inſultibus concupiſcentiæ reſiſtendum eſt, & quidem quamprimum fieri poteſt; *nam concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum* ibid. v. 15. Quare etiam bene hortatur S. Gregorius l. 17. Mor. c. 20. *Suggeſtioni diaboli ſi primo non reſiſtitur, repentine totus ad interiora cordis, dum non ſentitur, illabitur.* Et S. Iſidorus l. 3. ſent. c. [illegible] *Qui ſuggeſtiones diaboli non recipit, in ejus inſidias minime tranſit: nam facile in conſequenti opere repellitur, ſi prima obiectamenta illius reſpuantur. Diabolus enim ſerpens eſt lubricus, cujus ſi capiti id eſt primæ ſuggeſtioni non reſiſtitur, totus in interna cordis, dum non ſentitur, illabitur.*

§. 145.

Secundum remedium oratio.

Alterum remedium præſentiſſimum, & potentiſſimum, ut tentationes nobis ſint proficuæ, eſt humilis *oratio.* Hanc *primo* commendat S. Scriptura Eccli. 31. v. 21. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur: & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat.* 1. Petri 5. v. 6. *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis.* Scilicet reſiſtentia facta diabolo

bolo tentanti, quam v. 8. & 9. præſcripſit. Matth. 26. v. 41. *Orate, ut non intretis in tentationem.* Et practice Chriſtus nos orare docet. Matth. 6. v. 13. *Et ne nos inducas in tentationem. Secundo.* Docent ita PP. S. Chryſoſtomus cit. hom. 15. ad pop. *Et qua de re tot laquei? ne deorſum volemus, ſed ſuperiora quæramus. Etenim volatilia, donec aerem ſecant, non facile capiuntur: ita ut, donec ad ſuperiora reſpexeris, nec laqueo, nec ullis aliis facile capieris inſidiis: venator eſt diabolus, fias igitur ipſius halamis ſublimior . . . In altum aſcendens non mplius ullam rerum admirabitur humanarum: ſed cut poſtquam in montium verticem aſcenderimus, arva nobis & urbs, & mœnia eſſe videntur, & rmicarum more nobis viri ſuper terram ire viuntur: ſic poſtquam ſupra cœlum Philoſophiæ gitatione aſcenderis, nihil te terrenorum percellepoterit, ſed parva videbuntur omnia, & divi-æ, & gloria, & potentia, & honor, & ſi quid iud hujusmodi, cum cœleſtia reſpicias.* Plura ſtimonia Patrum alibi de oratione (§. 33. *ſeq.*) lata ſunt. *Tertio.* Ratio eſt: oratio tum ocalis, tum mentalis in caſu neceſſitatis maxime neceſſaria eſt: ipſa enim neceſſitas in hoc ncto critico de ſumma rerum cogit nos, ad plorandum divinum auxilium in periculo animæ, ſicut implorari ſolet in diſcrimine corpos. Monemur ab ipſa tentatione de fragilitate ſtra, unde facile ad humilitatem, & orationem adigimur: & quia ſæpe tentatio latenter gruit, operæ pretium eſt, hoc etiam titulo or a terrenis abſtrahere, & mentem ad cœleſtia levare, ut humiliari & orare diſcat. Vid. (§. 143.)

§. 146.

§. 146.

Tertium remedium mortificatio.

Tertium remedium contra tentationes eſt *mortificatio*. Nam *primo* Matth. 16. v. 24. volenti ſequi Chriſtum dicitur: *abneget ſemetipſum.* Et Gal. 5. v. 16. *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis: caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* Et v. 24. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Ergo nos mortificare, abnegare, concupiſcentias noſtras crucifigere debemus, ut tentationibus reſiſtere, easque vincere valeamus. *Secundo.* Ita conſulunt PP. S. Chryſoſtomus hom. 58. in ep. ad Gal. 5. *Qui jejunat, levior eſt, & vigilanter orat, & cupiditatis incendia extinguens, ac animam ſuam humilians facile Deum placat ... Qui orans jejunat, binas poſſidet alas, quibus ventos ipſos volando prætervehitur: non enim oſcitat, nec extenditur, nec torpet orando, quæ multi patiuntur: ſed igne ardentior, & terra ſuperior eſt: quare terribilis hoſtis dæmonibus redditur.* Et S. Thomas ex cit. loco *ad Gal.* 5. infert: *Oportet ergo, ut debilites carnem, & conſortes ſpiritum: ſed ſpiritus conſortatur per orationem, quia oratio eſt aſcenſus mentis in Deum: caro vero debilitatur per jejunium.* *Tertio.* Ratio eſt, quia caro cum concupiſcentiis ſuis, & paſſionibus eſt periculoſiſſimus tentationum fomes. (§. 144. *Sch.* 4.) Ergo per abnegationem, & mortificationem earum vinci debet. Vide dicta (§. 84. *ſeq.*)

§. 147.

§. 147.

Quartum remedium SS. Euchariſtia.

Quartum remedium efficaciſſimum non ſolum ad vincendas tentationes, ſed ad proficiendum in chriſtiana perfectione eſt devotus uſus *SS. Euchariſtiæ*, ad quam ut accendamur, affectiva meditatio SS. hujus Sacramenti plurimum conducit. Nam Chriſtus Jeſus in SS. Euchariſtia dedit ſe nobis, ut nos ad ſe attrahat, ac magis, ac magis ſecum uniat. Patet hoc *primo* ex Joan. 6. v. 56. *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ubi Chriſtus intimam nobiscum, & quidem permanentem unionem mirifice expreſſit. Ideo enim Salvator noſter ait Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. Hoc Sacramentum eſſe voluit *ſymbolum unius illius corporis, cujus ipſe caput exiſtit, cuique nos tanquam membra arctiſſima fidei, ſpei, & charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit. Et ſeſſ.* 22. *cap.* 7. addit, merito præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent, inter alia: *quod, cum aqua in Apocalypſi B. Joannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentetur.* Unde etiam SS. Euchariſtia a PP. Communio, quaſi communis unio vocatur, tam communicantis cum Chriſto, quam communicantium inter ſe. 1. Cor. 10. v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Ita nimirum, ut in Chriſto, & cum Chriſto omnes unum ſint. *Secundo* probatur ex PP. S. Dionyſius de cœl. Hier. ait: *Cum unum*

quodque Sacramentorum etiam diviſas, ſecretaſque vias noſtras in uniformem illum ſtatum, quo dii efficimur, colligat, Deoque ſimili diviſorum connexione nobis ejus, quod unum eſt, ſocietatem, & unitionem impertiat; perfectio, atque efficacitas ex divinis hujus, (Euchariſtiæ) *perficiendique vim habentibus donis accedit.* S. Cyrillus Jeroſ. *Catech.* 22. ait: *In figura panis datur tibi corpus, & in figura vini datur tibi ſanguis, ut cum ſumpſeris corpus, & ſanguinem Chriſti, concorporeus, & conſanguineus ipſi efficiaris: ſic enim chriſtiferi efficimur, diſtributo in membra noſtra corpore ejus, & ſanguine.* Et S. Cyrillus Alex. l. 4. in Joan. c. 17. *Sic qui carnem & ſanguinem Domini recipit, cum ipſo ita conjungitur, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inveniatur.* S. Chryſoſtomus hom. 61. ad pop. *Cum ſuum in nos amorem indicare vellet, per corpus ſuum ſe nobis commiſcuit, & in unum nobiſcum redegit, ut corpus cum capite uniretur; hoc enim amantium maxime eſt.* Et S. Bonaventura p. 3. Centiloq. ſ. 50. *Spiritualis operatio, ſive efficacia hujus Sacramenti eſt unire, non de novo, ſed jam unitos per gratiam magis unire: digne enim accedentem reddit ferventiorem, ut carbo ignitus, & fortiorem, ut bonus cibus. Tertio.* Rationem dat S. Thomas 3. *p. q.* 75. *a.* 1. dicens: „ Hoc competit charitati Chriſti, ex qua pro ſalute noſtra corpus verum noſtræ naturæ aſſumpſit. Et quia maxime proprium amicitiæ eſt, convivere amicis, ſuam præſentiam corporalem nobis repromittit in præmium, dicens: ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. Interim tamen nec ſua præſentia cor-

„ pora-

„ porali nos in hac peregrinatione deſtituit, „ ſed per veritatem corporis, & ſanguinis ſui, „ nos ſibi conjungit in hoc Sacramento. Un- „ de ibi dicit: qui manducat meam carnem, „ & bibit meum ſanguinem in me manet, & „ ego in eo. Unde hoc Sacramentum eſt ma- „ xime charitatis ſignum, & noſtræ ſpei ſub- „ levamentum ex tam familiari conjunctione „ Chriſti ad nos “.

Schol. Doctrinam fidei catholicæ de SS. Euchariſtia fuſe expoſuimus in (*Comp. Th. t.* 3. *de SS. Euch.*) eamque contra hæreticorum errores vindicavimus. Hic ſolummodo ea pertractamus, quæ affectum noſtrum erga ſanctiſſimum hoc Sacramentum excitare, & ad dignam, & fructuoſam illius ſumptionem præparare nos poſſunt: de frequenti enim, vel quotidiano ejus uſu tomo ſecundo tractabitur. Unde varios modos, quibus ſe nobis Chriſtus in SS. Euchariſtia unit, nunc explicandi ſunt.

§. 148.

Primus itaque, & univerſaliſſimus modus, quo Chriſtus in SS. Euchariſtia ſe *unit*, eſt *ſacramentalis*, qui in eo conſiſtit, quod facta a quocunque Sacerdote conſecratione ſub debita intentione, forma, & materia, ex tunc, & usque dum ſpecies corrumpantur, extet, & permaneat Chriſtus ſacramentaliter præſens ſpeciebus, & ſub iis ſacramentaliter præſens loco, & cuicunque manducanti, quæ utraque præſentia vocari poteſt quædam ſacramentalis unio. Patet hoc ex verbis Chriſti: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.* Quæ verba non haberent firmam, & ſtabilem veritatem,

Primus modus unionis eſt ſacramentalis.

 niſi

niſi cum omni prædicta amplitudine intelligerentur: uti oſtenſum fuit. (*Comp. Theol. t.* 3. §. 986.)

Explicatur. *Schol.* Totus ergo Chriſtus pronuntiata forma conſecrationis infallibiliter, & ſine ulla temporis mora accidentibus Euchariſticis præſens ſubeſt: (*Comp. Th. t.* 3. §. 988. 989.) nec recedit, quamdiu accidentia panis, & vini duraverint, ſive in lutum, aut cloacam deveniant, ſive a mure, aut alia beſtia devorentur, ſive peccator ſacrilege communicans, ſive Judæus, hæreticus, aut incantator ea impie abuſurus accedat. (*Ibid.* §. 996.) *Nec vergit hoc in detrimentum dignitatis Corporis Chriſti, qui voluit a peccatoribus crucifigi absque diminutione ſuæ dignitatis:* ait S. Thomas 3. *p. q.* 80. *a.* 3. *ad* 3. Qui etiam addit in caſu muris SS. Euchariſtiam devorantis: *non ſacramentaliter, ſed per accidens corpus Chriſti manducat: ſicut manducaret ille, qui ſumeret hoſtiam conſecratam, neſciens eam eſſe conſecratam.* Quatenus nimirum ſumit id, quod Sacramentum eſt, non autem ſumit modo ſacramentali cum cognitione, quod Sacramentum ſit. Unde etiam proprie loquendo Chriſtus in Euchariſtia non unitur cum peccatore, nec cum bruto, vel alio continente, illa ſpecialitate, qua cum juſto, vel etiam accidentibus unitur, quia non aſſumuntur a Chriſto ea intentione, ut ſe cum illis intime, & amicabiliter conjunctum repræſentet. Quare ex hoc amor Dei erga nos ſummus, & infinitus maxime elucet.

§. 149.

Secundus modus unionis per communionem ſpiritualem. *Secundus* modus, quo Chriſtus etiam illis juſtis, qui nequeunt SS. Euchariſtiam ſacramentaliter ſumere, ſeſe *unit*, eſt *ſpiritualis:* quando quis ex fide hujus myſterii per charitatem operante, accenditur in deſiderium, etiam ſacramentaliter, ſi poſſibile, & expediens foret,

ret, accedendi: hæc eſt *communio ſpiritualis*, quæ a Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. commendatur pro illis, *qui voto propoſitum illum panem cœleſtem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem ſentiunt.* Sentiunt videlicet augmentum charitatis, & gratiarum, & actuum fervidorum, huic deſiderio, & objecto reſpondentium: quod ipſum eſt, ſpiritualiter magis cum Chriſto uniri. Hanc eandem ſpiritualem communionem cum Aſcetis valde commendat Bloſius *in inſti ſpir. c.* 8. *n.* 6. qui optat, illam ſaltem quotidianam, & ſæpius per ſingulos dies fieri debere. Et S. Thereſia *in via perf. c.* 35. ita loquitur: „ Sorores meæ, „ quando ſacram communionem vobis adire „ non licet, in ſacro, quod audietis, ſpiritua- „ liter communicare poteſtis, quod ſane cum „ primis utile eſt; ac poſtea pari modo ad vos „ ipſas introverti, & retrogradi: hac enim ra- „ tione Domini hujus amor multam, & pro- „ funde cordibus noſtris imprimitur; quoties- „ cunque enim nos ad ipſum recipiendum di- „ ſponimus, ſemper aliquid nobis dat, idque „ diverſis, & variis modis, quos ipſæ neuti- „ quam intelligimus “.

Notanda de ſpirituali communione.

Schol. De ſpirituali communione notandum eſt 1. quod proprie loquendo nec Angeli, nec juſti antiquæ legis hoc Sacramentum ſpiritualiter manducaſſe cenſendi ſint, ſi quidem pro illis inſtitutum non fuit, adeoque illud ſacramentaliter ſumere deſiderare non poterant, ſed ad ſummum improprie, nempe rem, quæ ſub Sacramento eſt, id eſt Chriſtum deſiderando, vel prout eſt in Euchariſtia, non ſibi, ſed aliis ſuis poſteris appetendo. 2. Etiam peccatori non proprie convenit communio ſpiritua-

lis, cum licite non poſſit, manendo in ſtatu peccati, deſiderare accipere hoc SS. Sacramentum, nec ſit pro tunc capax fructus augmenti gratiæ, niſi a contritione ipſum juſtificante incipiat. 3. Fructus, qui a juſto per communionem ſpiritualem haberi poteſt, non eſt niſi objective a Sacramento, & ſubjective ſolum ad menſuram operis operantis, non vero ex opere operato: quia promiſſio effectus proprie ſacramentalis, non eſt facta voto, aut deſiderio, ſed reali ſuſceptioni Sacramenti. 4. Ad propriam communionem ſpiritualem non ſufficit deſiderium implicitum in voto, vel propoſito ſervandi omnia præcepta incluſum, ſed in ordine ad dictum effectum augmenti gratiæ per novam unionem, explicitum deſiderium requiritur.

§. 150.

Tertius modus unionis per realem præſentiam.

Tertius modus, quo Chriſtus plus, vel minus, pro qualitate diſpoſitionis, ſe *unit* omnibus digne communicantibus, eſt *ſacramentalis ſimul, & ſpiritualis:* quatenus ſaltem eo tempore, quo ſumitur, & ſpecies in ſtomacho incorruptæ permanent, eſt intime præſens, penes corpus, ſanguinem, animam, & divinitatem tam corpori, quam animæ ſuſcipientis, eum maximo ſimul amicitiæ amore proſequendo, quod eſt illi uniri. Patet hoc ex ipſa veritate catholica hujus SS. Myſterii, juxta quam caro, & ſanguis Chriſti, & totus Chriſtus vere, & realiter ſe communicat manducanti, & in eo phyſice permanet, uti cibus toto illo tempore, quo idem cibus permaneret, ſi purus panis foret. (*Comp. Th. t.* 3. §. 996.) Cum hoc totum fiat ex fine uniendi ſe, quando ſuſcipiens non repugnat, ſed eſt capax, & bene diſpoſitus (§. 147.) patet, quod hic aliqua unio major,

major, quam ſola ſpiritualis, & ſacramentalis interveniat, quam P. Suarez *d.* 64. *ſect.* 3. ita explicat: „ Quando Chriſtus digne ſumitur, „ realiter conjungitur ſuſcipienti; quia vere, „ ac proprie intra ipſum conſtituitur, & quaſi „ quodam corporali amplexu apprehenditur. „ Ex quo fit, ut quamdiu Chriſtus ibi adeſt, „ quantum eſt ex ſacramentali virtute ejus, „ excitet ſuſcipientem, ut diligat, & affectu „ etiam complectatur eum, quem corporaliter „ habet præſentem “. Id quod etiam probatur ex illo: *Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.* Et ex illo: *In me manet, & ego in illo.* Et deinde ex expoſitione Patrum: (§. 147.) hoc enim ſonat, quod S. Cyrillus Jeroſolym. dicebat: quod *Chriſtiferi* efficimur: & qui communicat, *concorporeus, & conſanguineus efficitur Chriſti.* Et quod S. Hilarius *l.* 8. *de Trinit.* & S. Cyrillus Alexand. *l.* 4. *in Joan.* docent, non voluntate, vel habitudine ſolum, ſed *naturali participatione*, ac proprietate perfectæ unitatis Chriſtum eſſe in nobis: & S. Hieronymus *l.* 3. *contra Pelag.* per hunc panem ſuperſubſtantialem dignos poſſe nos effici *aſſumptione* Corporis Chriſti. Item quod S. Auguſtinus dicit *tr.* 26. *in Joan.* quod, qui digne accedit, *incorporetur* Chriſto: & quod S. Chryſoſtomus ait, *hom.* 61. *ad pop.* quod in vi amoris *per corpus ſuum ſe nobis Chriſtus immiſceat.* Denique ratio eſt, quia ſi de cibo corporali in ſtomachum immiſſo, etiam ante ſui alterationem dicitur, quod nobis incorporetur: cur non ſimiliter loquamur, de noſtro cibo vitali, ac ſuperſubſtantiali? ſi per conſum-

mationem matrimonii carnalis fit ex utroque conjuge una caro, & ideo matrimonium dicitur ab Apoſtolo Sacramentum magnum in Chriſto, & Eccleſia, quatenus eſt figura unionis factæ cum Chriſto, & anima juſta, ubi fit hæc expreſſius, quam in mutua ſacra corporum miſtione in ſuſceptione SS. Euchariſtiæ?

Corollaria. *Schol.* Ex modo dictis eruitur 1. multum conferre ad ſuſceptionem, ſeu manducationem ſacramentalem, quod ſimul ſit ſpiritualis; & ad ſpiritualem, quod ſimul ſit ſacramentalis; quia ex utroque hoc eſſe partim phyſico, partim morali coaleſcit unio phyſico-moralis Euchariſtica. 2. Ab ipſo initio ſumptionis per totum tempus, quo accidentia perſeverant, manet hæc unio ſpecialis, & ſuo modo realis Euchariſtica, cum in eo Chriſtus aſſiſtat, poſſideat, & quaſi aſſumat corpus, & animam ſuſcipientis. 3. Sufficit, quod lingua, guttur, & ſtomachus SS. Euchariſtiam immediate ſuſcipiant, ut erga totum corpus, & animam ſuſcipientis, reſultet in Chriſto illud jus, quod complet unionem poſſidentis, & ſuo modo aſſumentis. Quare hoc eſt ſacratiſſimum illud tempus, in quo cum toto Jeſu nobis præſente devotiſſime agere, & negotiari debemus. Proinde S. Carolus Borromæus *p.* 4. *Act. mediolan.* monet: „ Inſtruat Parochus fideles, ut „ in ipſa SS. Communione toto corde, omnique „ intima pietate Deo gratias agant de tanto beneficio, infinitaque charitate, qua erga populum „ chriſtianum uſus eſt . . . Monebit, ne poſtea, „ qui ſacram communionem ſumpſerint, ab Eccleſia ſtatim decedant, ſed permaneant in oratione, „ quantum fieri poteſt, quieto, & remoto loco... „ Ut reverenter glutiant, ut bene ſe purificent; ne „ ſtatim ſpuant, ſed per quartam ſaltem horæ „ partem a ſputatione abſtineant “. Quippe teſte Lugo *d.* 10. *de Euchar.* ex medicorum teſtimonio etiam in Sacerdotibus ſano ſtomacho gaudentibus

poſt

poſt horæ quadrantem ſpecies jam corruptæ erunt. Denique S. Thereſia *in via perf. c.* 34. monet: „ Hoc ergo eſt appoſitum tempus, ut nos doceat, „ inſtruatque Magiſter noſter; auſcultemus illum „ nos, ipſiusque deoſculemur pedes, propterea „ quod voluerit edocere nos: oremus etiam ſup- „ plices, ne abſcedat a nobis. Si petere ſic debe- „ tis, viſa imagine Chriſti Jeſu; ineptia mihi vi- „ deretur, eo tempore perſonam relinquere ipſam, „ pro attente obſervanda ejusdem imagine “.

§. 151.

Quartus modus, quo Chriſtus unitur digne communicanti, eſt per *augmentum gratiæ ſanctificantis.* Ita docet Concilium Florentinum *in decret. fid. Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum. Et quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt, quod per hoc Sacramentum in ſumentibus digne gratia augeatur; omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem; ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur ſpiritualem.* Et Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. definit, ſumi hoc Sacramentum *tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit: qui manducat me, & ipſe vivit propter me.* Quæ vita animæ in gratia ſanctificante conſiſtit. (§. 9.) Præter augmentum gratiæ ſanctificantis, nam primam gratiam SS. Euchariſtia utpote Sacramentum vivorum non confert, (*Comp. Theol. t.* 3. §. 1002.) niſi per accidens (*ibid. Schol.*) juxta Tridentinum *l. c.* SS. Euchariſtia alias

Quartus modus unionis per augmentum gratiæ.

gratias producit, & eſt *antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervemur*; *pignus præterea eſt futuræ noſtræ gloriæ, & æternæ felicitatis.* Dat etiam gratiam nutritivam, cauſat ſpiritualem dulcedinem, mitigat fomitem, aliquam pœnam temporalem remittit, & cauſat reſurrectionem corporis: quæ omnia explicata ſunt. (*Comp. Th. t.* 3. *a* §. 1003. *ad* 1009.)

Corollaria. *Schol.* Notandum ex his 1. quod pari paſſu cum gratia habituali per SS. Euchariſtiam augeantur, & charitas, & reliqui habitus virtutum, & donorum ſupernaturalium, uti in omni juſtificatione, vel augmento illius contingit. 2. Quod augeantur etiam gratiæ actuales, illuminationes, inſpirationes, pii affectus voluntatis, & virtutes ex illis procedentes, prout ſcilicet ſe quisque ad audienda verba Dei interius loquentis, & illis obſequendum diſpoſuerit. 3. Quod hoc modo obtineatur dulcedo, & devotio ſaltem ſubſtantialis (§. 67. *Sch.* 4.) quæ huic Sacramento veluti meliori manna propria eſt. 4. Quod SS. Euchariſtia deleat peccata venialia, & pœnam debitam minuat, ſi non ex opere operato, quod magis proprium eſt Euchariſtiæ ut ſacrificio, ſaltem ex fervore charitatis. 5. Quod præcaveat peccata mortalia, vires, & fervorem augendo, diabolique artes eludendo, nec enim pro ſolo tempore communionis, ſed etiam pro futuro acquiritur ſpecialis Dei protectio, præſertim ſi communio modo ſpiritualis, modo ſacramentalis frequentetur. 6. Quod ſic fomes, & paſſiones mitigentur, & 7. denique paretur via ad perſeverantiam, & conſequenter jus ſpeciale acquiratur ad reſurrectionem corporis cum anima in vitam æternam.

§. 152.

Quintus modus *unionis* eſt, quod corruptis etiam ſpeciebus non ſolum maneat Chriſtus per gratiam, & charitatem unitus animæ digne communicantis, ſed etiam *perſonaliter* penes ſuam *hypoſtaſin*, & *Deitatem*, ita nimirum, ut ſicuti in omni juſtificatione, non modo per gratiam, ſed etiam perſonaliter Spiritus S. fit animæ juſti præſens non ſimpliciter per ſubſtantiam, quia per immenſitatem ſuam ubique præſens eſt, ſed ſpeciali modo, quo juſtum afficit, in eo habitat, ex quo ſpecialis effectus in anima exurgit, ſcilicet, quod fiat ſancta, juſta, Deo grata, filia Dei adoptiva, & hæres vitæ æternæ, qui perſonam Spiritus S. ſubſtantialiter præſentem conſtitueret, ſi per immenſitatem ſuam præſens non eſſet. (*Comp. Th. t.* 1. §. 172. *Sch.* & §. 361.) Sic etiam Chriſtus perſonaliter ſcilicet penes ſuam hypoſtaſin virtute SS. Euchariſtiæ ſpeciali modo cum incremento gratiæ, unionisque cum Deo etiam corruptis ſpeciebus permaneat. Ita docet Riguera *in prax. Th. Myſt.* cum Leſſio *l.* 12. *de perſ. div. c.* 15. Cornelio a Lap. *in Joan.* 6. *v.* 57. & 58. &c. Et probatur *primo* ex citato ſæpius textu: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* In his verbis non innuitur, 1. unio pure ſacramentalis, ſeu præſentia realis Chriſti ſub ſpeciebus: (§. 148.) quia hæc eſt tranſiens, & pure materialis, per quam amicabiliter nec creatura in Chriſto manet, nec Chriſtus in creatura. 2. Nec unio pure ſpiritualis per com-

Quintus modus unionis per præſentiam perſonalem corruptis ſpeciebus.

communionem ſpiritualem: (§. 149.) quia hæc non eſt manducatio ſacramentalis, & realis, de qua textus citatus loquitur. 3. Nec unio ſacramentalis, & ſpiritualis: (§. 150.) quia hæc pro ſolo tempore durationis ſpecierum manet, & cito tranſit. 4. Nec unio per gratiam, (§. 151.) quia hæc non eſt perſonalis, ita, ut per illam Chriſtus poſſet dicere: *ego* in illo maneo: ergo innuitur unio, ſeu præſentia perſonalis modo explicata, per quam Chriſtus quoad perſonam manet modo ſpeciali in virtute digne factæ communionis. Id quod magis patet ex adjuncta ſententia: *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* „ Ubi non „ dicit: vivet *propter carnem*, ſed *propter me*, „ nempe Dei Filium, cui per carnem unitur „ manducans, & accipit in ſe Chriſtum, ut in „ eo manere dicatur ". Ait Toletus *in c. 6. Joan. Secundo*. Idem colligitur ex PP. §. 147. *&* 150. allatis, qui aliquid plusquam unionem affectivam, moralem, & per gratiam aſſignant: & S. Ambroſius *l. 6. de Sacram. c. 1.* ait: *Quomodo ergo panis vivus? quia idem D. N. Jeſus Chriſtus conſors eſt, & divinitatis, & corporis: & tamen qui accipis ejus carnem, divinæ ejus ſubſtantiæ in illo participaris alimento.* Ubi notandum, divinitate nos ali non tam participantes, quam participatos, & adhærentes Deo. Et S. Damaſcenus *l. 4. de fide c. 14.* ait: *Participatio etiam hoc Sacramentum dicitur, quia per illud divinitatis Jeſu participes efficimur. Communio item optimo jure appellatur; quia per illud cum Chriſto commercium habemus, ac carnem ipſius,*

ſius, & divinitatem percipimus; atque adeo nos inter nos communicamus, atque copulamur. Sed recedente Sacramento cum ſpeciebus hoc non fit in carne; ergo in divinitate. Idem innuit S. Bonaventura *in c.* 6. *Joan.* ubi illud: *Ego ſum panis vivus*, accipit ſecundum divinitatem, & decies loquitur Chriſtus D. de actibus vivificandi ex hac vita, uti mox S. D. obſervat: & ad illud: *Qui manducat* &c. ait: *quia ſcilicet in me manet, & ego in eo, qui cum manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Ergo cum hic panis dicatur vivus, ſecundum divinitatem, ſufficit ſecundum hanc corruptis etiam ſpeciebus manere, ut vivificet; & ut veritas verborum Chriſti ſalvetur, *ego* maneo in eo, qui in charitate manducat, ſufficit, & requiritur, quod maneat non ſecundum ſolam charitatem, ſed ſuam divinitatem perſonaliter. *Tertio.* Ratio eſt: omnes Theologi tenent, quod corruptis etiam ſpeciebus maneat unio ſpecialis Chriſti per gratiæ augmentum: (§. 151.) ergo ad hanc requiritur unio, ſeu perſonalis Chriſti præſentia dicto modo in hoc paragrapho. Unde bene infert Cornelius a Lap. *in c.* 6. *Joan. v.* 57. „ Sicut cibus, poſtquam digeſtus eſt, ſuam „ virtutem alendi relinquit in chilo, qui rema„ net: ſic Euchariſtiæ ſpecies, poſtquam di„ geſtæ ſunt, ſuam virtutem alendi in vitam „ æternam quodammodo relinquunt, in Dei„ tate Chriſti, quæ cum gratia remanet ".

Solvuntur objectiones.

Schol. Contra modo dicta dici poteſt I. Quod Patres, & Theologi non alium effectum SS. Euchariſtiæ agnoſcant, quam unionem myſticam per gratiam, non vero dictam perſonalem. *Reſp.* hanc tamen

non

non excludunt, imo eam ſupponunt, quando agunt de miſſione Spiritus S. ſi autem ſubtiliter quæras, qualis ſit hæc unio, dicimus, eſſe potius unionem ſpiritualem, quam corporalem, & non eſſe ſimpliciter realem, ſed æquivalenter, ſicuti omnes de unione ad Spiritum S. ſimul cum gratia habita explicare debent. II. Uniri, & permanere per Deitatem cum gratia eſt commune toti SS. Trinitati, vel ſaltem ſpeciale ſolius Spiritus S. in præſenti autem debet eſſe aliquid ſpeciale ſolius Chriſti. *Reſp.* Permanentia Chriſti in virtute SS. Euchariſtiæ debet quidem tribui Chriſto modo ſpeciali, ſed non ita, ut non etiam tribuatur toti SS. Trinitati. Sicuti enim Spiritui S. ſpecialiter attribuitur miſſio inviſibilis, licet communis ſit toti SS. Trinitati, quia ſit augmentum ſpeciale charitatis, quæ per attributionem correſpondet amori, notionaliter proprio Spiritui S. eodem modo ſpecialiſſimo jure attribuenda eſt Chriſto permanentia cum incremento gratiæ, unionisque cum Deo, vi SS. Euchariſtiæ, quia ad hunc effectum præcedit ſub ſigno viſibili totus Chriſtus, quo communicans excitatur, ut ſe pro augenda gratia, & retinenda, ac unione cum Deo diſponat. III. Hic effectus eſt communis omnibus Sacramentis quia per omnia vel acquiritur, vel augetur gratia, adeoque Deitas communicatur. *Reſp.* Differentia eſt in eo, quod in SS. Euchariſtia detur etiam ſpecialis gratia ſacramentalis ad exercenda pietatis exercitia, ad majorem unionem cum Deo, & nutriendam charitatem, & vitam ſpiritualem. (*Vide Comp. Th. t.* 3. §. 909.)

§. 153.

Sextus modus unionis per animam Chriſti replicatam.

Sextus modus, quo ſe Chriſtus uniendum permanenter offert in SS. Euchariſtia eſt, non ſolum per Deitatem, hypoſtaſin, & perſonam ſuam, ſed etiam per ſuam ſacratiſſimam *animam*, quatenus corruptis ſpeciebus, adeoque

rece-

recedente corpore, & ſanguine, retinet tamen replicationem ſuæ animæ, & cum illa velut immediato inſtrumento verbo conjuncto ſpecialius, quam per ſolam Deitatem permanet ſpecialiſſime unitus nonnullis animabus valde perfectis, digne ſe ad hoc privilegium diſponentibus. Ita docet Cardinalis Cienfuegos *in lib. vita abſcondita:* & Cardinalis Belluga, *in judicio præliminari cit. libri.* Probatur *primo.* Hic modus nullam involvit contradictionem, nam ſpecialis hæc unio cum ſolis animabus perfectis, qui ad gradum perfectionis, qui dicitur *transformatio* aſcenderunt, non obſtat, quominus relinquatur effectus unionis ſufficienter verificatæ pro juſtis reliquis: ſicuti etiam accedens cum actuali devotione accipit ſpecialem hujus SS. Sacramenti effectum, ſcilicet ſpiritualem dulcedinem, qua privatur ille juſtus, qui ſine dicta devotione communicat: (*Comp. Th. t.* 3. §. 1000. *Sch.* 2. & §. 1004.) Et quia in hoc SS. Sacramento, quod eſt Sacramentum charitatis, prout manemus plus minusve cum Chriſto per charitatem uniti, ipſe plus minusve cum nobis unitus permanet. *Secundo.* Specialiſſimus hic per Chriſti animam effectus non excedit limites illius liberaliſſimæ promiſſionis: *in me manet, & ego in illo,* quæ eſt unio permanens, perſonalis, & illimitata ex ſummo amore profecta, adeoque non eſt, cur prædictus modus unionis ab extenſione hujus promiſſionis excludatur. Deinde non excedit limites inſtitutionis hujus SS. Sacramenti, ſi quidem in illo defacto reperitur anima Chriſti aſſumpta per Deitatem, & cauſaliter aſſumens ani-

animam juſti communicantis, quamdiu in illo durat Sacramentum. Præterea promiſſum non fuit, quod Sacramentum duret, aut aliquid vi verborum ſub illo expreſſum, ſcilicet corpus, & ſanguis Chriſti, ſed unio cum Chriſto: ergo promiſſio dicta bene extendi poteſt ad hoc, quod cum perfecta anima, digne ſe diſponente, penes id, quod ſupereſt, ſcilicet Deitatem cum anima Chriſtus corruptis etiam ſpeciebus permaneat. *Tertio.* Sine hac ſpeciali per animam Chriſti unione, non ita plene adimpleretur Dominica promiſſio, & inſtitutio SS. Euchariſtiæ cum tota extenſione, quam admittit; quia etſi illud: *& ego in illo*, abſolute ſufficienter verificetur per Chriſti perſonam, quaſi formam aſſiſtentem pro ratione gratiæ, non tamen eſt dubium, illud plenius verificatum iri, ſi ſimul anima Chriſti verbo unita perſeveret. Item quia illud: *in me manet*, in animabus perfectis ſummo affectu optantibus eo modo detinere Chriſtum, quo fieri poteſt, verificatur per Deitatem Chriſti, & humanitatem ſibi in SS. Euchariſtiam communicatam, cur non illud: *& ego in illo*, pro ſummo Chriſti in eas amore cum effectu verificetur, dum animam ſuam ab illis detineri ſinit, cum cœteroquin anima Chriſti nihil magis optet, quam ejusmodi animas invenire, quibus ſe omnibus modis a congrua diſpoſitione non abhorrentibus communicet.

An etiam ſecundum corpus in nonnullis ſervatis miraculoſe

Schol. Cum igitur hic modus unionis nullam involvat contradictionem; cum ſit maxime congruus inſtitutioni, & promiſſioni Chriſti de ſacra Euchariſtia, & ſuo effectu, ſi debita adſit diſpoſitio; cum conveniens ſit amori Chriſti Jeſu diligentis diligen-

ligentes ſe; cumque nihil contra fidem in ſua ſingularitate contineat, concludit Reguera *in prax. Th. myſt. t.* 1. *pag.* 540. *n.* 405. nihil magis rationi eſſe conforme, quam ita, licet cum paucis, fieri. Rarius autem multo eſt, nec ſat firmis teſtimoniis omnibus Doctoribus probatum videtur, quod in *Myſt. civ. p.* 3. *l.* 7. & 8. refertur, ſcilicet, quod beatiſſima Virgo Maria inceſſanter habuerit in corde ſuo filium ſuum ſub hoc Sacramento a prima communione usque ad momentum ſui tranſitus conſervatis miraculoſe ſpeciebus ab una communione ad aliam: & quod aliquid reſpective ſimile contingat aliis animabus per tempus, & annos incorruptam Euchariſtiam in pectore habentibus. Nullo autem ſolido fundamento nititur eorum ſententia, qui opinantur, SS. Euchariſtiam dicto modo etiamnum permanere in corde beatiſſimæ Virginis Mariæ, & in æternum ſic duraturam; quos refellit, Raynaudus in *heteroclit. ſpirit. par.* 1. *ſect.* 1. *punct.* 7.

ſpeciebus Chriſtus manſerit longo tempore.

§. 154.

Ut autem a Jeſu Chriſto in SS. Euchariſtia usque ad arduam ſui unionem magis, ac magis trahamur, nullum illi impedimentum ponere, ſed devote nos *diſponere* debemus. Inter has diſpoſitiones *prima* eſt, ut ſine conſcientia gravis peccati accedamus, ita ut omnis affectus ad peccatum mortale excludatur: debet etiam præmitti confeſſio peccati gravis præteriti, necdum rite confeſſi; neque contritio ſufficit, ſi adſit copia Confeſſarii, & ſi hæc deſit, nulla ſit communicandi neceſſitas. Probatio habetur (*in Comp. Th. t.* 3. §. 1000.)

Prima diſpoſitio ad SS. Euchariſtiam munditia a peccato gravi.

Schol. Etiamſi aperte nos conſcientia alicujus gravis reatus non redarguat, humiliter tamen ſollicitl probemus nos, ſuſcepturi Sacramentum amoris,

Præſertim contritione charitatis Dei

 Spe-

anim... ...mis de charitate Dei, an nimirum du... ...ganti nos, veluti olim S. Petrum: fu... ...n. 21. v. 17. ſincere cum eodem re- vi... ...ſimus: *Domine tu omnia noſti, tu ſcis,* ... Deinde de charitate proximi, me- ...us Evangelici præcepti, Matth. 5. v. 23. ...s *munus tuum ad altare, & ibi recordatus* ... *quia frater tuus habet aliquid adverſum te,* ... *ibi munus tuum ante altare, & vade prius* ...*iliari fratri tuo.*

§. 155.

Secunda diſpoſitio eſt, accedere, quantum Deus dederit, ſtudendo ab una ad aliam communionem *vitare peccata venialia*, maxime non admittendo *diſtractiones*, nec committendo ullas *irreverentias* in ipſo actu ſacræ communionis. Oſtendit hoc *primo* ipſe Chriſtus D. uti poſt Patres obſervat Catechismus Romanus *de SS. Euch.* „ Nam antequam Apoſtolis pretioſi „ corporis, & ſanguinis ſui Sacramenta daret, „ quamvis jam mundi eſſent, pedes eorum „ lavit, ut declararet, omnem diligentiam ad- „ hibendam eſſe, ne quid nobis ad ſummam „ animi integritatem, & innocentiam deſit, „ cum ſacra myſteria percepturi ſumus “. Unde ait Joan. 13. v. 10. *Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet.* *Secundo.* Patres pro hac re ſunt. S. Ambroſius *l.* 3. *de Sacr. c.* 1. Et S. Bernardus *ſerm. in Cœna Dom.* Ideo etiam in rubricis, & cæremoniis Miſſæ præſcribitur, ut lavemus manus, proxime ad altare acceſſuri, ſcilicet noſtrarum operationum, affectu compunctionis; & in ipſa Miſſa extremitates digitorum, id eſt, minimorum defectuum, uti

ex

: S. Dionyſio interpretatur S. Thomas 3. *p.* 83. *a.* 5. *ad* 1. Et ad excutiendum teporem, diſtractiones in ipſa Miſſa excitamur per illa rba: *Surſum corda.* *Tertio.* Ad hoc nos rovocat dignitas maxima hujus auguſtiſſimi acramenti, & uberrimus fructus illius, quem er affectum ad venialia in nobis impedimus, icuti etiam timor, & tremor reverentialis, quo d tam excelſum Dominum accedere oportet.

An venialia omnem fructum SS. Euchariſtiæ impediant.

chol. Ut SS. Euchariſtia conferat augmentum gratiæ habitualis, non quidem requiritur devotio actualis, excludens venialia: ſed ſufficit ſtatus gratiæ habitualis expellentis omnia mortalia, uti probatum fuit. (*in Comp. Th. t.* 3. §. 1000. *Sch.* 2.) Verum etiam ibidem annotatum fuit, quod venialia effectum ſpiritualis dulcedinis impediant, & quod ita tepide communicans ob vitioſos ſuos habitus, & impedita auxilia actualia ponat obicem, ne gratia hujus SS. Sacramenti intenſius operetur; imo ſi ſæpe tam tepide accedat, de mortali peccato ſibi timere poſſit.

§. 156.

Tertia diſpoſitio eſt ſtudium mortificationis.

Tertia diſpoſitio eſt, accedere ſtudendo *mortificationi* paſſionum, & quantum ad eam expedit, etiam mortificationi externæ. Ita monet S. Gregorius l. 4. Dial. c. 58. *Penſemus, quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra paſſionem unigeniti Filii ſemper imitatur.* Et c. 59. *Sed neceſſe eſt, ut cum hæc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus: quia, qui paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari, quod agimus. Tunc ergo vere pro nobis hoſtia erit Deo, cum noſmetipſos hoſtiam fecerimus.* Et S. Thomas de Vil-

 lanova

lanova conc. 1. de corp. Chriſt. *Mundum ab hac farinula* (ſæculi) *deferat animæ palatum, qui cæleſte cupit guſtare edulium: ſi enim quavis terrena paſſione guſtus fuerit infectus, palato cordis non ſapit Deus.* Cujus ratio eſt: ſicuti enim in corpore, ut cibus medicinalis proficiat, arcendi ſunt per diætam, vel amaras herbas purgativas, cibi, & humores noxii, & ſuperflui, ita potiori jure in anima, ut hoc cibo cœleſti medicinali proficiat, per mortificationem cibi objectorum ſenſualium, humoresque paſſionum peccantium purgandi, & arcendi ſunt.

Explicatur. *Schol.* Veriſſimum quidem eſt, quod SS. Euchariſtia fomitem, & paſſiones inordinatas mitiget, qui juxta S. Bernardum *ſerm. in Cæna. Duo illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & ſenſum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrum non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori & ſanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat, quod peſſimum ulcus accedat ad ſanitatem.* Verum ad hunc effectum conſequendum, neceſſe eſt, ut & nos cum gratia Dei cooperemur. Si quis enim, licet frequenter communicet, mortificationi tamen non ſtudeat, ſibi imputet, quod profectum non ſentiat & cibatus pane Angelorum, delectatus tamen ſiliquis porcorum, firma ſanitate non gaudeat.

§. 157.

Quarta diſpoſitio eſt meditatio. *Quarta diſpoſitio* eſt, accedere cum *reflexione*, conſideratione, aut *meditatione.* Hoc enim poſtulat textus 1. Cor. 11. v. 29. *Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit*

no

non dijudicans corpus Domini. Quod S. Chryſoſtomus *hom.* 28. ita exponit: *Hoc eſt, non inveſtigans, non conſiderans, ut oportet, magnitudinem propoſitorum, non reputans muneris magnitudinem. Si enim didiceris diligenter, qui ſit propoſitus, & quid, cui ſeipſum exhibet, nullius alterius indigebis ratione, ſed hoc tibi ad omnem ſobrietatem ſufficiet, niſi ſis ignaviſſimus.* Unde Alvarez de Paz. *t.* 3. *de vit. ſpir. p.* 5. *ſect.* 3. *c.* 2. monet: „ Timendum, quod multi fructum „ parvum accipiunt de menſa Chriſti, quia nec „ antea, nec poſtea ſunt in ſufficienti cuſtodia „ ſui, nec ſatis reverenter præcogitant, quis „ eſt, qui venturus eſt, nec poſtea ruminant, „ quia hodie ſanctus Sanctorum ingreſſus eſt „ ad eos ". Accedit textus propheticus Pſ. 110. v. 5. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe.* Et illud Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ad nos quippe ſpectat, quod de figura hujus veri Manna Iſraelitæ dixerunt. Exod. 16. v. 15. *Manhu! quod ſignificat: quid eſt hoc?* Et S. Thomas *opuſc.* 58. *c.* 2. tria omnibus obvia pro hac re meditationis puncta proponit: ſcilicet, memoriam de præterito noſtri Redemptoris; de præſenti noſtri inſpectoris; de futuro noſtri judicis.

Quanto tempore meditandum.

Schol. Joannes Avila *p.* 2. *epiſt.* cum inſtrueret quendam Sacerdotem, nimium non putavit, ſi perſequi horam meditando prævie ad celebrandum ſe diſponeret: per dimidium autem horæ, vel etiam per alteram horam poſt celebrationem meditationi vacaret, prout inter alios S. Franciſcus Borgias faciebat. Et S. Bonaventura *in reg. Nov. c.* 4. inſtruens non Sacerdotem ſingulis Dominicis communi-

municaturum, totam hebdomadam vult eſſe quaſi continuam præparationem, prout S. Aloyſius Gonzaga faciebat, tribus diebus præparationi, & aliis tribus gratiarum actioni incumbens: & de primis fidelibus exemplum nobis proponit S. Scriptura *Act.* 2. *v.* 42. *Qui erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicationis fractionis panis, & orationibus.* Saltem ſic continuo vivere deberemus, tanquam qui communicavimus, & frequenter communicaturi ſumus. Nec ſit Sacerdos, qui illas breves, & optimas orationes, quæ in ipſa Miſſa ſemper recitantur, ſibi pro præparatione, & gratiarum actione ſufficere velit: uti enim Cardinalis Bona *tr. de Miſſ. c.* 6. obſervat, aliud eſt, quod ab eo publice tanquam miniſtro Eccleſiæ agitur, in quo ab ipſa Eccleſia menſura ſumenda eſt; aliud quod agitur privatim pro cujusque neceſſitate aut profectu: in quo caſu tenet illud conſilium Evangelicum. Matth 6. v. 6. *Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito.* Hoc niſi fiat, & celebrans ante, & poſt communionem ſe non recolligat, a diſpoſitione congrua nimium deficiet, ſine qua reliquæ orationes vocales curſim ſono vocis recitatæ vix, aut nihil ad nutritionem ſpiritus conducent.

§. 158.

Quinta diſpoſitio eſt actualis devotio.

Quinta diſpoſitio eſt, accedere cum actuali *devotione*, quantum nobis Dei gratia donaverit. Suppoſita enim doctrina (§. 67. *ſeq.*) tradita, devotio, quæ ad bene operandum, & orandum maximi facienda eſt, & conducit, ad ſalutarem uſum hujus SS. Sacramenti potiſſimum requiritur, & ſi non ſemper devotio ſenſibilis, & accidentalis haberi poſſit, habeatur ſaltem ſpiritualis, & ſubſtantialis, quæ utraque humili oratione a Deo poſtuletur. Deinde certum

tum eſt, quod ad guſtandam ſpiritualem dulcedinem, quæ eſt effectus SS. Euchariſtiæ (§. 151.) actualis hæc devotio requiratur: (§. 155. *Sch.*) quis autem hanc omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem guſtare non deſideret? S. Bonaventura *præp.* 2. *ad Miſſ.* notat: *Si affectionem ibi nullam habuit* (celebrans, vel communicans) *recogitet, ſignum eſſe infirmitatis, vel mortis. Ignem enim poſuit in ſinu, & calorem non ſentit; mel poſuit in ore, & dulcedinem non percipit. Et ideo talis miſeriam ſuam recognoſcat, & mutet in melius vitam ſuam. Si vero refectionem ibi recipit, non ſibi tribuat; ſed infinitæ divinæ Majeſtatis bonitati, quæ ſe ad bonos, & malos extendit: & dicat in corde: in me Dominus operatur mirabilia ad deteſtationem miſeriæ meæ, & ad convincendam beneficiis iniquitatem meam magnam. Nam me mortuum fecit ſentire, & vermem viliſſimum cæleſtia deguſtare: ſi mihi peccatori talia fecit Dominus, quid faciet, ſi correxero vitam meam? & continue volvere, in melius promovere, & cæleſtibus delitiari meditationibus, & ſibi ſoli de cætero adhærere? quod tamen poterit auxilio Domini, non propria virtute, & ſicut cogitat, ſic opere adimpleat.*

Schol. S. Laurentius Juſtinianus *l. de perf. mon. c.* 19. explicat, quomodo a cunctis quidem requiratur devotionis affectus, ſed ſolummodo juxta menſuram charitatis Sacramenti hujus effectus ſubinde ſenſibiliter, ſubinde inſenſibiliter percipiatur, ita tamen, ut juſtus nunquam profectu ſpirituali careat. *Nam etſi devotio plurimum huic congruat Sacramento, tamen prius vita commendabilis habenda eſt, deinde devotio . . . Propterea non debet a ſan-* *Explicatur.*

ſta Domini convivio repelli indevotus, juſte vivens, virtuoſe converſans, humiliter ſe agnoſcens, pure confitens, & reverenter accedens: talis quippe inſenſibiliter, ac ſpiritualiter hoc Sacramento nutritur, & vivit. Et S. Thomas de Villanova *conc. de corp. Chriſt. in med.* de devotione, & ſpirituali dulcedine in hoc Sacramento non ſemper experta ait: „ Quod ſi dixeris, non ita experior; hoc eſt, quod „ ergo vehementer doleo, quia raro, qui hoc ex„ periatur, inventus eſt dignus. Refici namque „ hoc edulio pluribus commune eſt; ſed hanc ip„ ſam reflexionem experiri, paucorum eſt, quos „ pius Dominus adamavit . . . frequentius hoc „ noſtra evenit tepiditate, quoniam Ægypti fari„ nula cœleſtem non percipit alimoniam". Vide Rodericium *p. 2. Exerc. perf. tr. 8. c. 13.*

§. 159.

Sexta diſpoſitio eſt exercitium virtutum.

Sexta diſpoſitio eſt, ut accedamus cum multiplici exercitio affectuum omnium *virtutum*, maxime vero charitatis. Hos affectus ſuppeditat inter alios Cardinalis Bona *tr. de Miſſa c. 4. §. 12.* De charitate tanquam Regina pauca hic afferre juvat. Eſt quippe SS. Euchariſtia calculus candidus, qui ſimul cum Manna hoc abſcondito vincenti offertur, *Apoc. 2. v. 17.* calculus, inquam, quem tulerat de altari, & quo Seraphim os Prophetæ tetigit, *Iſ. 6. v. 6.* & Sacerdos os digne communicantis, quo nullus non igneſcere deberet. Hoc idem in Agno paſchali, figura SS. Euchariſtiæ, indicatur, qui igne aſſari, & ejus reliquiæ comburi debebant. *Exod. 12. v. 9. & 10.* „ Quia, uti B. Albertus M. *tr. de Euch. d. 3. tr. 4. c. 3.* obſervat: „ In igne charitatis totum hoc Sacra„ mentum debet accendi". Denique *Luc. 12.*

monentur expectare Dominum noſtrum cum lucernis ardentibus: quam ſimilitudinem Deus Pater colloquens cum S. Catharina Senenſi ita expoſuit. *tr.* 3. *Dialog.* 110. „ Cum hoc amo„ re venire debetis ad recipiendum hoc Vene„ rabile Sacramentum, lumen utique dulciſſi„ mum, atque glorioſum, quod vobis exhibui „ miniſtrandum ab electis miniſtris meis, ex„ hibendum vobis in cibum ". *Proba* ergo *te*, ait S. Bonaventura *tr. de præp. ad Miſſ. c.* 4. *ex quanta charitate, & quali fervore accedis.*

Corollar. 1. Ut ergo medullitus Chriſto in SS. Euchariſtia uniamur, attente conſideremus, quantum donum nobis in ea communicetur. Datur nimirum nobis corpus Chriſti. *Quotquot igitur*, clamat S. Chryſoſtomus *hom.* 61. *ad pop. hujus participes corporis efficimur . . . cogitemus, quod illum ſurſum ſedentem, qui ab Angelis adoratur, incorruptibili vicinus virtuti, hunc deguſtamus. Heu mihi! quot ad ſalutem nobis viæ! Nos corpus ſuum effecit, nobis ſuum communicavit corpus, & horum nos nihil a malis avertit.* Sacro cultu proſequimur, & ad pectus noſtrum devote applicamus ſacras Reliquias: quid cogitemus, habentes intra pectus noſtrum, non alicujus Sancti, ſed ſancti Sanctorum corpus ſanctiſſimum? Illas manus, & pedes ſacratiſſimas, illud cor amabiliſſimum cum vulneribus ſuis. Recogitemus, hoc eſſe corpus pro nobis in cruce, & nobis, ac pro nobis in Euchariſtia traditum, dicamusque toto cordis affectu: *Corpus Chriſti ſalva me.* Præterea datur nobis ſanguis Chriſti. *Hic ſanguis*, ait S. Chryſoſtomus l. c. *floridam nobis reddit regiam imaginem, hic decus indelebile, hic animæ generoſitatem tabeſcere non permittit, eam irrigans jugiter, & nutriens . . . Hic ſanguis effuſus omnem terrarum orbem abluit . . . Hic eſt ſalus animarum noſtrarum, hoc abluitur ani-*

Adhortatio ad devotam communionem.

ma, hoc adornatur, hoc inflammatur. Hic mentem noſtram igne reddit ſplendidiorem, hic auro clariorem animam facit. Hic ſanguis effuſus eſt, & cœlum fecit acceſſibile. Hic terrarum orbis eſt pretium, hoc Chriſtus emit Eccleſiam, hoc eam omnem adornavit . . . Hujus ſanguinis participes cum Angelis, & Archangelis, & ſupernis manent virtutibus, ipſi Chriſti regiam induti ſtolam, & arma gerentes ſpiritualia. Sed nondum quidquam dixi, ipſum enim induti ſunt Regem. Ulterius datur nobis anima Chriſti, de qua ipſe dixit Joan. 10. v. 17. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam a me: ſed ego pono eam a meipſo, & poteſtatem habeo, ponendi eam, & poteſtatem habeo, iterum ſumendi eam.* Ubi S. Auguſtinus *tr.* 47. ait: „ Quis ponit, & quam „ ponit Chriſtus? Quid eſt Chriſtus? verbum & „ homo: nec ſic homo, ut ſola caro, ſed quia homo conſtat ex carne & anima. Conſidera proinde, monet S. Franciſcus Borgias *l.* 9. *oper. tr.* 1. „ ut Chriſti anima omnia ſua in verbo habet, quia „ in divina hypoſtaſi ſubſiſtit, nec extra verbum „ divinum aliquid eſt. Perpende, ut juxta noſtram tenuitatem debeamus imitari hanc ſacratiſſimam animam, nihil facientes, quod a nobis „ originem tantum habeat, habeamus omnia in „ Deo, ei uniti amoris nexu “. O anima Jeſu ſanctiſſima! conjungere meæ, ut ſimus anima una, & cum Apoſtolo dicere poſſim, Gal. 2. v. 20. *Vivo jam non ego, ſed vivit in me Chriſtus.* Denique datur nobis Chriſtus Deus, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Coloſſ. 2. v. 3. *In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* v. 9. Hic Deus venit ad nos cum omnibus theſauris ſuis, volens egenos ditare nos. Reficiamus ergo ſacculos cordis noſtri, & ampliemus illos, ut *mercedes* congregamus, nec eas mittamus in *ſacculum pertuſum* Aggæ. 1. v. 6. dicamusque cum Pſalmiſta Pſ. 105. v. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Et

Pſ.

Pſ. 22. v. 5. *Calix meus inebrians quam præclarus eſt!* Felix inebriatio! quæ animam vino amoris in calice Euchariſtico propinato extra ſe raptam in ſuum dilectum transformat.

Corollar. 2. Ex omnibus hucusque de diſpoſitione ad SS. Euchariſtiam allatis patet, quam merito ab Innocentio XI. damnata fuerit propoſitio Michaelis de Molinos ordine 32. „ Nec ante, nec poſt communionem alia opus eſt præparatione, aut gratiarum actione pro animabus hisce internis, quam ut ſe teneant in ſolita reſignatione paſſiva; quia in hac invenitur amor, qui ſupplet modo perfectiori, quam alii omnes virtutum actus, qui fieri poſſunt, & fiunt in via ordinaria. Et ſi in hac occaſione communionis accidant motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimi debent, quoties non cognoſcuntur eſſe ſpeciales Dei impulſus; aliter enim ſunt impulſus naturæ nondum mortuæ “. Falſitas hujus doctrinæ ex doctrina Patrum explicata liquido apparet.

§. 160.

Aphorismi, qui pertinent ad proficientes in vita ſpirituali.

Aphorismi pro proficientibus.

I. Implere ſtatus obligationem, eſt via recta tendere ad perfectionem.

II. Qui orat, operatur: opera enim ſunt vera ſigna amoris, & non ſola verba oris.

III. Multum dare temporis orationi, & deeſſe obligationi, plus habet illuſionis, quam orationis.

IV. Fraudibus obnoxiam reputa orationem, quæ ſine virtutum exercitio ambit perfectionem.

V. Vis cujusque paſſionis venenum eſt orationis: & quidem a vehemente, multa turbatio naſcitur in mente.

pro proficientibus. rubore purpureo ſuffunduntur: alii pallidi, & decolorati cernuntur: in aliis ſubſultat cor: alii ſentiunt pulſus in cerebro: alii veluti nervorum, & oſſium diſſolutionem, membrorumque fuſtuarium paſſi, laſſati reperiuntur. Cujus ratio eſt, quia anima noſtra in ſtatu conjunctionis cum corpore actus vitales, & ſpirituales intelligendi, & amandi cum converſione ad phantasmata, & cum dependentia ab organis materialibus cordis, & cerebri producit, quomodocunque demum hoc fiat, id quod Philoſophorum criſi relinquimus, ſi ergo adſit operatio intellectualis vehemens, ac perſeverans in cerebro, hoc organum immutatur, & defatigatur, & exinde in pulſationes commovetur. Si amor divinus cor occupat, illud dilatat, & ſubſilire facit, copioſioremque ſanguinem in alias partes corporis expellit, unde rubor in vultu, & ſi ſanguis inflammatur, corpus ardet, ac febri ſubinde tentatur. At ſi humorem melancolicum deprehendit, illum alterat, & ad externam faciem effundit, unde pallor oritur. Eodem modo conſtrictis nervis, & impedito fluxu fluidi nervei ſtupor membrorum oritur.

II. Mulieres etiam minus ſanctæ, quam viri, pluribus ſubinde cœleſtibus deliciis, & favoribus recreari a Deo ſolent, tum quia pollent indole molli, ſuavi, & amabili, quibus deliciæ ſpiritus ſaltem occaſionaliter ſe accomodant: tum quia ob debilitatem ſuam opus habent ejusmodi rheda, lecticaque favorum pro acquirenda fortitudine per innumeros labores, qui in vita ſpirituali occurrunt: tum quia cum

Deus

Deus adeo propenſus ſit, ad amicos ſuos honore afficiendos, & mulieres aliunde ſint Sacerdotii, prædicationis Evangelicæ, aliorumque ejusmodi favorum incapaces, illas aliis iſtiusmodi favoribus honorare conſuevit.

III. Nonnulli in altiſſima interius oratione detenti, nulla de hoc exterius argumenta oſtendunt; quia talis oratio pendet a principio infuſo, & parum, aut nihil ipſius participant ſenſus externi, cum in intellectu, & voluntate tota eſſentia illius conſiſtat.

IV. Multi Sanctorum vivunt continuis perſecutionibus, morbis, & infirmitatibus gravati, quia ſanctitas eſt quædam primogenitura, & majoratus, quem Chriſtus D. in ſua paſſione inſtituit, ſuæque voluit cruci alligari: ideo eſſe ſanctum, & eſſe cruci affixum, perinde eſſe ſolet: cum hoc tamen diſcrimine, quod crucem invaletudinis reliquerit ſanctis ſolitariis, crucem vero perſecutionum ſectatoribus vitæ mixtæ, licet in his, & illis ſuæ etiam exceptiones dentur, ac certe crux tentationum omnibus promiſcue communis eſt.

V. Aliqui eorum, qui fuerunt in juventute ita pœnitentes, & abſtemii, in ſenectute acerbæ indolis, guloſi, & impatientes evadunt: quia acerbitas eſt tributum, quod natura pendit ſenectuti: guloſitas eſt ſubſidium quaſi neceſſarium ſolutum invaletudini: impatientia oritur ex imprudentia, ob quam ſenes cito ex actionibus juniorum exacerbantur.

VI. Qui mortificatione, & pœnitentia excellunt, deliciis ſpiritualibus præ cæteris in ora-

oratione mentali abundare ſolent, quia morti-ficatio eſt ultima quædam diſpoſitio, cui mo-raliter loquendo Dominus orationem mentalem veluti formam ſubſequentem alligavit, unde majorem mortificationem plerumque major, & melior oratio mentalis ſubſequitur.

VII. Vita ſpiritualis ex defectu magiſtri do-centis, & adjuvantis ſolet ſcatere periculis, quia hæc eſt ſapientia practica, mille difficul-tatibus, dubiis, tentationibus, præliis, my-ſteriis, ac ſublimitatibus ſpiritualibus repleta, & ſicut artes mechanicæ ſine magiſtro male ad-diſcuntur, ita perfectio orationis, & vitæ ſpi-ritualis ſine magiſtro, & uti nonnullis videtur, ſine miraculo ægre comparari poteſt.

VIII. Qui parum fidunt Patri ſpirituali, ne-que debitam illi conſcientiæ rationem reddunt, devia ſemita incedunt, & plus occultorum ha-bent vitiorum, quam manifeſtarum virtutum tum ex defectu humilitatis, & nimia de ſe præ-ſumptione: tum quia ex hoc ſigno colligitur perverſa quædam malitia nolens detegere me-dico ſpirituali ſuas infirmitates, ne curationi ſubjicere cogatur: tum quod hi tales ſoleant habere conſcientiam nullius pretii, & vix, aut nihil curent proficere in vita ſpirituali: tum denique, quod dæmones ab hac confidentia re-trahere conetur; quia eos reperit bene diſpoſi-tos ad ſcelus aliquod committendum: omnis namque artificioſa diſſimulatio in vita ſpirituali multam denotat malitiam, ſi quidem virtus non artificiis, neque malitiis, ſed plana in-amat ſimplicitate.

CA

CAPUT IV.

Quomodo perfecti in via unitiva ad unionem cum Deo perveniant, & quibus modis cum eo uniantur.

§. 162.

Homo a vitiis, & peccatis in via purgativa purgatus; virtutibus in via illuminativa illuminatus: tandem ad apicem perfectionis chriſtianæ in hac vita aſſequibilis in *via unitiva* aſcendit, in qua totus cum Deo, in quantum in hac vita mortali poſſibile eſt, unitur. Unit namque via unitiva hominis memoriam cum Deo, ut illius ſemper memor ſit: unit ejus intellectum cum Deo, ut de ipſo ſemper cogitet; unit ejus voluntatem cum Deo, ut illum ſemper amet: unit reliquas hominis potentias cum Deo, quatenus homo earum actus exercet ex amore Dei, & quia, & quomodo Deus vult. *Via unitiva quid.*

Schol. Finis igitur, & effectus vitæ unitivæ eſt unio hominis cum Deo, tam quoad memoriam, intellectum, & voluntatem, quam per omnes alias potentias libertati hominis ſubjectas: & quidem unio ſtabilis, firma, continua, & perpetua, quantum per gratiam divinam in hac vita fieri poteſt. Unde viam purgativam, fugam vitiorum, orationem, & mortificationem; & illuminativam, exercitium virtutum, & victoriam tentationum neceſſario ſupponit, & anima, quæ in unione cum Deo ſtabiliter perdurare deſiderat, exercitia ſpiritualia viæ purgativæ, & illuminativæ ſemper adhuc usque ad mortem frequentare, & continuare debet, ut unionem cum Deo perficiat, procuret, augeat, & usque ad mortem ſtabiliter conſervet. *Exercitia viæ purgativæ, & illuminativæ non excludit.*

§. 163.

Unio quid. *Unio* hæc cum Deo eſt conjunctio animæ ab omni creatura avulſæ per memoriam, intellectum, voluntatem, & reliquas potentias libertati ejus ſubjectas cum Deo ſuo creatore.

Quotuplex. *Schol.* Unio alia eſt *obſcura*, arida, & inſipida, ſeu triſtis quædam rerum divinarum cognitio cum amore quodam pœnali ſociata; quæ etiam unio *diſpoſitiva* ad contemplationem dici poteſt, & fit per derelictionem, ſeu purgationem paſſivam, magisque proficientium, quam perfectorum propria eſt, quanquam illa derelictio unioni quoad ſubſtantiam non obſtet, quando pars ſuperior Dei voluntati conformis, & unita eſt: unde bene etiam ad viam unitivam, utpote perfectis quoque communis, referri poteſt. Alia eſt unio *ſuavis*, quæ fit vel per *contemplationem*, vel per *illapſum*, vel per *transformationem*: de quibus ſecundum ordinem in hoc capite tractandum eſt.

§. 164.

Derelictio quid. *Prima* itaque *unio* animæ cum Deo eſt *obſcura*, ad ſuavem unionem diſponens, quæ fit per derelictionem. Quæ *derelictio* eſt quæcunque pœnalitas a Deo, vel poſitive, vel permiſſive, ad purgandam animam noſtram, eamque ad ſuavem unionem diſponendam, nobis immiſſa.

Explicatur. *Schol.* 1. Derelictio variis nominibus a Myſticis, & Aſcetis appellatur. 1. Vocatur *Deſolatio*, quatenus excludit conſolationem ſenſibilem, & accidentalem. 2. Vocatur *Ariditas*, quatenus devotionem ſenſibilem, & accidentalem excludit. 3. Vocatur *Purgatio paſſiva*, prout a Deo immittitur, & ad purgandam animam deſervit. Unde non eſt hic ſermo de pœnitentiis voluntarie ſuſceptis, nec de mor-

mortificatione paſſionum, qua quis cum divina gratia purgare ſe a peccatis, & eorum reliquiis laborat, quæ *Purgatio activa* vocatur. Nec eſt ſermo de purgatione paſſiva, quæ in aliquo gradu totam vitam humanam, & omnem ſtatum tranſcendit, cum nullus ſit, cui non Deus aliquas pœnalitates immittat, ut in anima ſua purgetur. Sic eas immittit peccatoribus, ut ad frugem redeant: immittit recens converſis, ut firmum eorum in bono propoſitum probet: immittit tendentibus ad perfectionem in via purgativa, ut a vitiis purgentur: in via illuminativa, ut proficiant, & in virtutibus ſeſe exerceant: in via unitiva, ut per unionem cum Deo perficiantur; & de hac ultima modo ſermo eſt: pro quo notandum, quod etiam in via unitiva incipientes, proficientes, & perfecti diſtingui poſſint, in quibus ſemper aliqua purgatio paſſiva conſolationis, & deſolationis, ſaltem alternis vicibus, intermiſcetur. Sed quia maxime ad incipiendum in hac via, in qua contemplatio accedere ſolet, ſpecialis purgatio paſſiva præcedit, de ea ſub nomine derelictionis præviæ ad contemplationem potiſſimum hic tractamus.

Schol. 2. Derelictio modo explicata vocatur a S. Joanne a Cruce *Nox obſcura.* in l. de nocte obſcura, & dividitur in *purgationem paſſivam ſenſibilem*, ſcilicet in parte ſenſibili potentiarum animæ ſenſitivarum: & *purgationem paſſivam ſpiritualem*, in parte ejus intellectuali. Sicuti enim viator defectu lucis in nocte concubia viam trepide carpit, & quaſi ſenſibus, & potentiis deſtitutus ambulat: ſic in utraque hac purgatione ex defectu lucis ſuo modo ſenſibilis, & ſenſibiliter placentis, anima in obſcuro trepida peregrinatur, & quaſi ſenſibus, & potentiis deſtituta, nil reperit, quod extra Deum ſibi placeat, indeque diſponitur, ut ſolum Deum ope novi luminis ſibi ab eo immiſſi quærat. Ex quo tamen aliquis male vel apathiam ſtoicam, vel inactionem Pſeudo-illuminatorum inferret: quia *Derelictio dividitur.*

in his derelictionibus noſtra cooperatio per purgationem activam ſemper conjungitur. Alia diviſio derelictionis eſt alia, quæ *vitæ activæ*, alia, quæ *vitæ contemplativæ*, alia, quæ *vitæ mixtæ* propria eſt; licet enim donum contemplationis vitæ contemplativæ magis conveniat, & ad eam ſpeciali hac probatione præparet; quia tamen nulla harum vitarum alteram excludit, Deus etiam contemplationem, euntibus per viam activam, & mixtam, largiri poteſt, adeoque etiam illis præparatio per ſpecialem derelictionem communis eſt, cujus varias ſpecies per ordinem explicabimus, poſtquam prius de derelictione in genere actum fuerit. De qua modo ſit.

§. 165.

Derelictio eſt diſpoſitio ad contemplationem.

Derelictio ordinarie, & plerumque eſt quædam prævia *diſpoſitio* ad divinam contemplationem. Ita colligitur *primo* ex S. Scriptura, Eccl. 3. v. 4. *Tempus flendi, & tempus ridendi.* Et Matth. 5. v. 5. *Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur.* In quibus textibus apparet, quod conſolationem, quæ juxta S. Thomam 1. 2. *q.* 69. *a.* 3. *in* ☉ eſt *beatitudo contemplativa* hujus vitæ, præcedat ordinarie luctus, ſeu derelictio. Accedunt exempla veteris, & novi Teſtamenti animarum ſanctarum, quæ nonniſi per tribulationes probatæ a Domino, ad conſolationes, beatitudinis prænuntias, ſunt admiſſæ: uti Abraham, Iſaac, Jacob, Job, Moyſes, David, Tobias, S. Joannes Baptiſta; item Jeſus ipſe Salvator noſter, Maria, Joſeph, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, & Virgines. *Secundo* patet ex PP. S. Chryſoſtomus *in Matth.* 8. hoc probat exemplo Jeſu, & Mariæ perſecutionem Herodis ab ipſis incunabulis patientis,

ut iſto munitus exemplo viriliter cuncta ſuſtineas, ſciens tribulationes maximas, & inſeparabiles comites eſſe virtutum. Et exemplo S. Joſephi, varias tribulationes patientis, concludit: *Quod Deus certe in omnibus Sanctis fecit, quos neque tribulationes, neque jucunditates ſinit habere continuas: ſed tum de adverſis, tum ex proſperis juſtorum vitam quaſi admirabili varietate contexuit.* S. Bonaventura *in* 4. *proc. Relig.* minutim oſtendit eas tentationes, quibus ad profectum ſuum, adeoque etiam contemplationem animæ juſtæ probantur. Gerſon in ſua *Myſt. Theol. conſ.* 9. ait: „ *Ingrediatur putredo in oſſibus* „ *meis, & ſubter me ſcateat: ut requieſcam in die* „ *tribulationis ut aſcendam* (ſcilicet per contem„ plationem) *ad populum accinctum noſtrum.* „ Hab. 3. v. 16. (ſcilicet ſummorum civium) „ vult dicere virorum perfectorum ". Et S. Thereſia per duo de viginti annos ariditate ad contemplationem diſpoſita *in ſua vita c.* 11. ait: „ Æſtimo Dominum plerumque initio, aliquo„ ties in fine vitæ ſpiritualis velle tormenta „ hujusmodi, pluresque alias occurrere tenta„ tiones ad ſui probandos amatores, & ſcire, „ ſi poterunt animæ calicem bibere, ipſumque „ juvare in portanda cruce, priusquam com„ mittat illis theſauros magni pretii ". *Tertio.* Ratio eſt, quia per derelictionem, & ignem tribulationis ſpecialiſſime purgatur anima, ut a ſubtiliſſimis etiam defectibus pura, tota igne amoris divini, & flamma contemplationis igneſcere poſſit, quod pulchre explicat S. Joannes a Cruce *in nocte obſcur. l.* 2. *c.* 10. a ſimilitudine ligni ad ignem applicati, quod primo ab

humore exſiccatur, deinde nigreſcit, mox ſublucidum apparet, donec omnibus igni contrariis fœdis accidentibus expulſis inflammatur, & in ignem transformatur. „ In hunc modum, pergit Sanctus noſter, poſſumus philoſophari erga divinum hunc ignem amoris, „ & contemplationis, qui priusquam uniat, „ & transformet animam in ſe, purgat illam „ ab omnibus accidentibus ſibi contrariis, comparere animam facit cum omni ſua fœditate, „ nigramque reddit, & obſcuram, apparetque „ pejor ſeipſa: quippe cum hæc divina purgatio pergat agitando vitioſos humores, & mala etiam illa, quæ, quia nimium in anima „ radicata ſunt, ipſam latebant, ne de tanto in „ ſe malo cogitaret, modo in finem eadem mala expurgandi, & annihilandi ob oculos ſibi „ conſtituit, ipſaque clare videt, media luce „ hac divina obſcura.

Schol. Dictum eſt, quod derelictio *ordinarie* contemplationem præcedat, & ad eam diſponat: nam non eſt dubium, quin Deus ex extraordinaria ſua providentia, & beneficentia ex privilegio ſubinde velit animam a primo gradu ſuæ ſanctæ vitæ ad contemplationem elevare, ut in Saulo primum converſo, & in S. Præcurſore primum ſanctificato apparet.

§. 166.

Finis primus derelictionis abſtractio ab inordinato affectu dulcedinis ſpiritualis.

Præter hanc diſpoſitionem ad contemplationem Deus etiam alios *fines* nobis utiliſſimos in noſtra derelictione habet, qui ſunt totidem derelictionis effectus, & bona a Deo per derelictionem intenta; nec enim benigniſſimus Deus animas ſibi ſpecialiter dilectas tam ſpecialiter vex

vexaret, niſi ſpecialiſſima illis bona conferre voluiſſet. Ac præter alios fines ſoli infinitæ ſapientiæ notos plures affert S. Chryſoſtomus *hom.* 1. *ad pop.* S. Bonaventura *in* 7. *proc. Rel.* Gerſon *de Myſt. Theol. conſ.* 6. Rodericius *p.* 2. *exerc. perf. t.* 4. *c.* 4. *ſeq.* Ex quibus præcipuos hic recenſemus. *Primus* itaque *finis* eſt, ut anima per experientiam addiſcat, *non adhærere* nimium dulcedini *conſolationis*, ſed amaro aloe ab uberibus depellatur, ut cibo ſolidiori nutrita adoleſcat, juxta illud Iſ. 28. v. 9. *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulſos ab uberibus.* Uti enim S. Gregorius *l.* 24. *mor. c.* 7. *poſt init.* obſervat: *Tres modi ſunt converſorum, inchoatio, medietas, atque perfectio: in inchoatione autem inveniunt blandimenta dulcedinis. In medio quoque tempore certamina tentationis, ad extremum vero perfectionem plenitudinis. Prius ergo illos dulcia ſuſcipiunt, quæ conſolentur, poſtea amara, quæ exerceant: & tunc demum ſuavia, quæ confirment.*

§. 167.

Secundus finis eſt, ut anima conſolatione privata, eam magis *appetat*, & pro pura gratia habeat, magisque dilectum ſuum, quem amiſſum dolet, quærere ſtudeat: quo affectu anima ſancta de ſuo dilecto dicebat: Cant. 2. v. 9. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Et S. Joannes Climacus *ſcal. gr.* 7. ait: *Abſcondit ſeipſam infantis mater, quem ſi ſe viderit anxie inquirere, gaudio afficitur, ſicque illum inſtruit, ſibi adhære-* *Secundus finis majus deſiderium conſolationis.*

 re

re jugiter, affectumque ſuum altius infanti imprimit, eumque ad ſe ardentius amandum invitat.

§. 168.

Tertius finis remedium contra ſuperbiam.

Tertius finis eſt, ut anima a ſubtili *ſuperbia* ex bonis cum conſolatione habitis ſubrepente *præſervetur:* quam rationem affert Eccleſiaſticus c. 2. v. 5. *Quoniam in igne probatur aurum, & argentum: homines vero receptibiles in camino humiliationis.* Et S. Bonaventura *proceſſ. 7. Relig. c. 1.* ait: *Si conſolatio ſpiritualis non ſubtraheretur homini aliquando, nimis extolleretur, & gratiam perderet, & periret; ſubtrahitur ergo ei, ne amittat, & perdat: ſicut pater parvulo filio nummos negat, ne de ipſis ludat, & perdat; donec proficiat in prudentia, & ſciat provide conſervare.* Et S. Saleſius *p. 5. Introd. c. 14.* inquit: „ Sicut mater renuit ſacharum filiolo „ largiri, quia vermes ingenerat; ſic Deus a „ nobis eripit conſolationes, quando ex illis „ aliqua tangimur vana complacentia, & nos „ videt præſumptionis vermibus exponi".

§. 169.

Quartus finis humilitas.

Quartus finis eſt, ut anima in *humilitate* cordis, *cognitione ſui ipſius*, ſuæque miſeriæ magis fundetur: nihil enim hoc magis practice, quam dereliſtio demonſtrat: uti teſtatur S. David, Pſ. 118. v. 71. *Bonum mihi, quia humiliaſti me.* Et S. Climacus *grad. 7.* ait: *Sicut humilitati nihil æque congruit, ut luctus, ita nihil reluctatur, ut riſus.* Et S. Laurentius Juſt. *l. de caſt. connub. c. 15. poſt init.* ita ſcribit: *Ai*

repri-

b4966 0652

... hominis audaciam ſapientiſſime inter-
... pientia, non odiendo, non con-
... ndo. Quis autem niſi quando-
... riam agnoſceret fragilitatem?
... occaſſionem parat elationis. Vix
... ditus animus, & tentationibus
... t intelligere infirmitatem.

§. 170.

... t, ut timor Dei filialis altius ... gat: unde Dominus Iſ. 66. ... autem reſpiciam, niſi ad pau- ... ritum ſpiritu, & trementem ... t S. Hieronymus in hunc lo- ... que ergo humilis eſt, & quie- ... ermones Dei, ipſum reſpicit ... *Quintus finis timo Dei.*

§. 171.

... ut anima ſuam neceſſitatem ... orationem provocetur, uti ... Pſ. 61. v. 1. Salvum me fac ... werunt aquæ usque ad animam ... as ad mortem decumbens. ... leo ſic contrivit oſſa mea. De ... peram finies me: ſicut pullus ... bo, meditabor ut columba. Quod S. Hieronymus ita exponit: *Mors im-minens, & languoris incumbens dolor, quaſi leo, ita omnia corporis mei oſſa frangebat: ſed ego in ſimilitudinem hirundinis, & columbæ fletibus, & gemitibus dies noctesque jungebam, & a Deo ſolo, qui poterat ſubvenire, elevatis in altum oculis auxilium præſtolabar.* *Sextus finis provocatio a orationem.*

§. 172.

Septimus finis patientia.

Septimus finis eſt, ut anima juſti in *patientia* ſe exerceat, juxta illud: Eccli. 2. v. 4. *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines vero in camino humiliationis.* Et Jac. 5. v. 7. *Patientes igitur eſtote, fratres, uſque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam adventus Domini appropinquavit.* Et S. Auguſtinus *in Pſ.* 61. priorem ſimilitudinem auri exponens ait: *Fornax mundus, palea iniqui, aurum juſti, ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo aurifex, facio: ubi me ponit aurifex, tolero. Jubeor ergo tolerare, novit ille purgare.* Poſteriorem ſimilitudinem explicat S. Chryſoſtomus *hom.* 4. *ad pop.* dicens: *Non ſic ſemina delatus imber germinare, & creſcere facit, ut pietatis ſemen excitat, & vernare facit ex lachrymis ruens imber: hic animum detergit, irrigat mentem, doctrinæ germen brevi progredi facit: propterea & profundum ſulcum proſcindere neceſſarium.*

§. 173.

Octavus finis eſt fides pura.

Octavus finis eſt, ut anima in *fide* pura, independenter ab experientia conſolationis, roboretur. Unde Eccleſiaſticus loquens de dereſictis *c.* 2. *v.* 8. ait: *Qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces veſtra.* Idque probat S. Bonaventura proc. 7. Relig. c. 1. *Vult*

autem Dominus erudire nos per ſubtractionem conſolationis, inniti veritati ſcripturæ, & fidei potius, quam noſtræ qualicunque experientiæ; quia fides non haberet meritum, ſi in ſola experientia conſiſteret.

§. 174.

Nonus finis eſt, ut anima in *ſpe* a conſolationum ſubſidio independente magis firmetur. Uti ſimiliter Eccleſiaſticus *c.* 2. *v.* 9. oſtendit: *Qui timetis Dominum, ſperate in illo, & in oblectationem veniet vobis miſericordia.* Et probat S. Bonaventura *l. c.* ex eo, quod ſpes experientiæ innixa non eſſet ſpes, ſed quod potius per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus; & infert: *Noli ergo diffidere, cum conſolatio internæ dulcedinis tibi ſubtrahitur, quaſi dereliquerit te, vel bona tua non accepta ſint ei; ſed recurre ad illa vera teſtimonia, & conſolare in ipſis: ſcilicet, ut confidas de veritate Dei, quamdiu tu non diſcedis ab eo per conſenſum prævaricationis mandatorum ipſius.*

Nonus finis ſpes firma.

§. 175.

Decimus finis eſt, ut anima in *amore* Dei, a conſolationibus, & guſtu proprio abſtracto, purificetur. Uti denuo citatus Eccleſiaſticus docet v. 10. *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.* Et Joannes Avila *in Audi filia c.* 26. ait: „Quemad„modum boni Chriſtiani ſignum eſt, diligere „propter amorem Dei eum, qui mihi malum „infert, ſi quidem benefactorem nullus eſt, „qui non amet: ita Deo gratias agere in ad-

Decimus finis eſt charitas.

„verſi-

„ verſitate, non attenta exterius poſita aſperi-
„ tate, ſed abſcondita mercede, quam ſub
„ illo tegumento Deus mittit nobis, ſignum
„ eſt hominis alios habentis oculos, quam car-
„ nis, & amantis Deum; ſi quidem in his,
„ quæ dolorem inferunt, cum illius conforma-
„ tur voluntate “.

§. 176.

Undecimus finis cognitio occultorum defectuum.

Undecimus finis eſt, ut anima, Deo interius novo quaſi idiomate ſibi in derelictione loquente, omnes ſuos *defectus*, ſiniſtras *intentiones*, & vitioſos *affectus* in parte ſenſitiva, & intellectiva latentes minutius cognoſcere, diſcernere, & reſecare diſcat. Eſt enim tribulatio, & derelictio *vivus ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad diviſionem animæ, ac ſpiritus, compagumque, ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis*; Hebr. 4. v. 12. Quia nimirum uti S. Gregorius *in Ezech. hom.* 21. obſervat, *Sæpe aliud cogitamus, atque aliud eſt, quod per cogitationem intendimus.*

§. 177.

Duodecimus finis animæ reformatio.

Duodecimus finis eſt, ut anima omnibus *virtutibus* exornata reddatur digna ſponſo ſuo, & igne tribulationis tota liquefacta ad nutum Dei tota *reformetur*: ſicuti David *Pſ.* 21. *v.* 15. ait: *Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea: factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Unde Thaulerus *c.* 11. *Inſtit.* docet: „ Quæcunque anima æter-
„ ni illius ſponſi prædilecta, & ſpecialis regi-

„ na eſſe voluerit, hoc omnino fieri habet per
„ ardentes, ac ignitas afflictiones, ſive adver-
„ ſitates, ipſam oſſium medullam devaſtantes;
„ quæ ipſam haud ſecus præparant, quam ig-
„ nis ceram, ut capere poſſit formam, quam-
„ cunque ei artifex imprimere voluerit “.

§. 178.

Derelictione bene utendum eſt.

Ut hos fines ſuos obtineat derelictio, anima, cum auxilio gratiæ, Dei nutui *cooperari* debet. Ita docet S. Scriptura 2. Petri 1. v. 10. *Fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Et 1. Cor. 15. v. 58. *Fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* Quibus conſentiens Tridentinum tota *ſeſſ.* 6. & præcipue *c.* 13. juſtos ad perſeverantiam hortando, ait, *ut cum timore, ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & caſtitate.* Ergo animæ electæ per duram derelictionis probationem ad contemplationis dulcedinem, & omnem perfectionem vocatæ in bona opera per derelictionis fortem tolerantiam ſtrenue incumbere, ſtabilesque, & immobiles permanere, gratiæque divinæ cooperari debent: quia labor eorum in Domino non inanis erit.

Solvuntur objectiones afflictionum.

Schol. Contra hæc nonnullæ animæ afflictæ quaſdam *excuſationes* impoſſibilitatis ſolent prætendere, & I. dicunt, quod bonis operibus in ſua derelictione inſiſtere non poſſint, cum ad nihil boni ſe aptas experiantur, & gemere cogantur cum S. Bernardo ſerm.

ſerm. 54. in Cant. *Non ſapit Pſalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes ſolitas non invenio . . . Ad opus manuum piger, ad vigilias ſomnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ, & gulæ indulgentior, ſegnior, obtuſiorque ad prædicandum.* *Reſp.* Cum Apoſtolo 1. Cor. 10. v. 13. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Nam juxta Tridentinum ſeſſ. 6. c. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Et Deus ipſe *Pſ.* 90. *v.* 15. expreſſe promittit juſto: *Cum ipſo ſum in tribulatione; eripiam eum, & glorificabo eum.* Ergo licet per nos ſolos in tanta contradictione bona exercere non poſſimus, poſſumus tamen cum illo, qui omnia poteſt, a quo licet videamur derelicti, & defacto derelicti ſimus quoad ſenſibilem, & experimentalem ejus præſentiam, ſecus quoad inſenſibilem, & pure ſpiritualem: nobiscum enim eſt, & nobiscum per gratiam ſuam laborat. II. Dicunt, putare ſe, quod quantumcunque etiam conentur, gratiæ Dei non cooperentur, & experiri in ſe illud Apoſtoli: Rom. 7. v. 18. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* *Reſpondet* S. Thomas hic *lect.* 3. „Velle adjacet mihi, ſcilicet per gratiam jam reparato, & ex operatione divinæ gratiæ: per quam quidem gratiam non ſolum volo bonum, ſed etiam aliquid boni facio, quia repugno concupiſcentiæ, & contra eam ago ductus ſpiritu: ſed non invenio in mea poteſtate, quomodo iſtud bonum perficiam, ut ſcilicet totaliter concupiſcentiam excludat". Repugnemus ergo parti inferiori, contra eam agamus, velimus in parte ſuperiori efficaciter bonum, concupiſcamus illud, ſi enim deſideremus illud, cur non habeamus, ait S. Auguſtinus conc. 8. in Pſ. 118. *Non enim aliquid impedit, quominus habeantur juſtificationes Dei, niſi quia non deſiderantur; dum non in*

eas

tas charitas fervet, quarum claritas lucet. Quod ſi adhuc hujusmodi animæ de ſua cooperatione nimis timeant, *ſolum reſtat*, inquit S. Bonaventura in 4. proc. Relig. c. 4. *ut inſtanter clament ad Dominum, cum tribulantur, ut de neceſſitatibus ſuis liberentur.* III. Dicunt, ſe bene vim orationis noſſe, ſed ad eam ſe omnino ineptas eſſe, cum vix verbum bonum dicere, vix mentem ad Deum elevare queant. *Reſpondet* S. Laurentius Juſtin. tr. de perf. mon. c. 18. in med. *Eo autem tempore, quo hæc fiunt, orationis actus prætermittendus non eſt, ſed perſeveranter cuſtodiendus . . . Tunc toties ad cœlum vociferandum eſt humili, & ardenti cordis deſiderio, quoties impingitur orantis animus ab impetu pernicioſarum cogitationum.* Hoc enim ipſa neceſſitas ſuadet, unde S. Præſul ſubdit: *Amiſſo delectabilis quietis tranquillo portu inceſſanter ad Dominum clamare cogitur, & dicere: ſalvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Et S. Auguſtinus modum præſcribit in ſoliloq. l. 2. c. 1. *Itaque ora breviſſime, ac perfectiſſime, quantum potes: Deus ſemper idem; noverim me, noverim te: oratum eſt.* Non contradicant diſpoſitioni divinæ, ſed cum plena reſignatione Dei voluntati humiliter ſe ſubmittant. IV. Dicunt, hanc reſignationem ſibi minus difficilem fore, ſi ſcirent, ob probationem ſolam, & non potius ob peccata ſua præterita, vel præſentia in non ſatis patienter perferendo has pœnalitates, ſe in hac ſua derelictione ſine termino relinqui. *Reſp.* Vel ex hoc ipſo, quod quis ob culpam ſuam præteritam, vel præſentem, per derelictionem puniatur, debet a novis culpis committendis abſtinere, & pœnam pro commiſſis patienter cum reſignatione in divinam voluntatem tolerare, & dicere: *Peccavi, & vere deliqui, & ut eram dignus, non recepi.* Job. 37. v. 27. Et prout monet Bloſius *in conſol. puſillan. c.* 25. „ Si in ipſis afflictionibus „ non ſemper æque reſignato fueris animo, non „ propterea ſpes ſalutis ablata erit, nec Dei gra-

„ tia

„ tia amiſſa: vide tantum, ne impatienter, &
„ pertinaciter adverſus Deum recalcitres. Profe-
„ cto ſi benignam, humilemque patientiam pro vi-
„ ribus retinueris, Deo eris chariſſimus, & ad
„ cœleſte ejus regnum feliciter tandem pervenies“.

§. 179.

Regula pro derelictis. Prima Directoris ſpiritualis conſilium.

Voluntati, & gratiæ divinæ in ſtatu dereli-ctionis anima afflicta feliciter cooperabitur, ſi ſequentes *regulas* ſtudioſe obſervet. *Primo.* Prudenti, pio, & docto *Directori* ſpirituali afflictus ſimpliciter, & humiliter ſe committat. Ita docet S. Saleſius p. 4. Introd. c. 14. *Ito ad confeſſarium, illi aperi cor tuum, omnes animæ ſinus ipſi propala; conſiliis, quæ tibi dederit, cum omni acquieſce ſimplicitate, atque humilitate; quoniam Deus, qui ſumme diligit obedientiam, frequenter utilia reddit ſuſcepta conſilia, maxime vero illorum, qui ſunt animarum directores, quantumvis alia non videantur eſſe profutura conſilia.* Quod S. Præſul probat ab exemplo Naaman Syri, qui pro curanda lepra ad Eliſæum perrexit. 4. *Reg.* 5.

Regulæ hæ etiam directori ſerviunt.

Schol. Hæc regula eſt univerſalis, & quaſi tranſcendentalis; nam omnes ſequentes regulæ, a derelicto quidem ſibi bene applicari poſſunt, ita tamen, ut in illis obſervandis ſemper ductum, & conſilium ſui directoris ſequatur: unde illas pro juvando derelicto etiam director adhibere debet.

§. 180.

Secunda regula pro peccatoribus afflictis.

Secundo. Si anima derelicta, in tribulationibus conſtituta, ſit *peccatoris*, ex toto corde ſe ad Dominum convertat, cogitando, Deum hac via ad ſuam amicitiam ſolere vocare peccatores,

tores, quos amaritudinibus deterret, ut in ſolo Deo veram pacem inveniri addiſcant. Docet hoc Tridentinum *ſeſſ.* 14. *c.* 4. exemplo Ninivitarum: & inter alia plurima ſimile quid contigit regi Manaſſæ 2. *Paralip.* 33. *v.* 12. qui per captivitatis tribulationem verus pœnitens evaſit. Alii ſimiliter per tribulationem ad pœnitentiam ſunt vocati, ſed ex ipſorum culpa ſine effectu, quia huic gratiæ non debito modo reſponderunt, uti de Antiocho habetur. 1. *Mach.* 6. & *l.* 2. *c.* 9.

Hæc derelictio ad contemplationem non diſponit.

Schol. In hoc caſu anima peccatrix per derelictionem, & tribulationem non diſponitur ad contemplationem, niſi forſan ex ſingulariſſima providentia, quæ non cadit in regulam, ubi aliquis in ipſa converſione ſua ad contemplationem elevaretur, idque ſpecialibus ſignis manifeſtaretur, uti Saulo corruenti, excœcato, contribulato, & reſurgenti Paulo, ſubitoque ad tertium cœlum conſcendenti contigit. *Act.* 9. Ubi tamen notandum, quod etiam pro caſu hoc omnino extraordinario, in quo Jeſus ipſe per ſemet converſi magiſter eſſe voluit, diſcipulum tamen tantæ perfectionis ad Ananiam humanum Directorem miſerit. *Ibid. v.* 7. *Ne ſcilicet*, uti Caſſianus ex Abbate Moyſe *Collat.* 2. *c.* 15. obſervat, *quod recte geſtum fuiſſet in Paulo, poſteris malum præſumptionis præberet exemplum, dum unusquisque ſibimet perſuaderet, ſimili modo ſe quoque debere Dei ſolius magiſterio, atque doctrina potius, quam ſeniorum inſtitutione formari.*

§. 181.

Tertia regula pro tepidis afflictis.

Tertio. Si anima tribulata ſit in ſervitio divino *tepida*, ad perfectionem non aſpirans, & vix, peccata mortalia fugiendi, ſtudioſa, oculos tepiditatis ſomno oppreſſos aperiat, & vi-

deat, ſuam tribulationem ſibi a Deo eſſe immiſſam, ut pœnis edocta, & periculi ſui admonita firmo, ac fervido greſſu in via Dei progrediatur. Ideo de talibus Pſaltes regius Dominum orabat Pſ. 31. v. 9. *In camo, & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.* Quippe hi ſunt de quibus Gerſon *tr. de mont. Contempl. c.* 15. ait; „ Sunt alii alterius animi, & conditionis, plus indurati, & quodammodo naturæ aſininæ, qui ſtimulari volunt: & tales melius accelerant ad Deum per tribulationes, & adverſitates: quos ad ſe trahit Deus omnipotens, ſicut mater puerum ſeparatum ab ea; ordinat enim per aliquos, ut lædatur puer, & ſic acclamans matrem ad eam revertitur, & lachrymatur: quem in ulnas ſuas ſuſcipit, adhortans, ne ſe de cætero ab ea elonget, adjiciens, quod alibi nonniſi mala ſuſtinebit ".

Nec hæc derelictio ad contemplationem diſponit.

Schol. Neque in hoc caſu derelictio eſt diſpoſitio ad contemplationem, ſi quidem a tepore ad eam longa nimis via emetienda reſtat: niſi enim Deus per miraculum aliter diſponat, tunc prius eſt, ut quis excuſſa tepiditate cum fervore moveatur, de novo incipiat, progrediatur, ac multum in vita ſpirituali proficiat. Monendus ergo eſt talis: *æmulare ergo, & pœnitentiam age.* Apoc. 3. v. 19. Id eſt juxta expoſitionem Alcazar: „ Agnoſce tu miſeriam æque, ac meum in te amorem; & concepta amoris mei flamma induere zelo vindictæ contra teporem tuum, & age pœnitentiam ".

§. 182.

Quarta regula pro inci-

Quarto. Si anima tribulata cum plena reſignatione ſervitio divino ſe addixerit, in eoque per-

perſeveret, vitando peccata gravia, & levia craſſiora, & frequentia, ac bona faciendo, cum profectu in exercitio virtutum, & aſpirando ad perfectionem, ſed parum adhuc in mortificatione ſuarum paſſionum, cognitione ſui ipſius, ſuorumque defectuum profecerit, nec in ſtatu heroice operandi ſit conſtituta, ſtudeat, ut in ſua tribulatione cum ſancta reſignatione in virtutibus, maxime vero in humilitate, proficiat. Pro his enim animabus, quando incipiunt, ſcriptum eſt. Eccli. 2. v. 1. *Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Pro proficientibus autem habetur Luc. 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur.* Quod ſive ſumatur pro igne tribulationis, cum Maldonato, ex Tertulliano; ſive pro igne charitatis, cum communi, apud Cornelium a Lapide; ſive in utroque ſenſu, probat, quod per tribulationem Chriſtus intendat, ut per illam veluti ſtruem lignorum ignis charitatis accendatur. *pientibus, & proficientibus.*

Schol. Neque hæc eſt diſpoſitio, in qua cogitandum eſt de contemplatione, ſed de ſectanda pro poſſibili via meditationis, cui in hoc ſtatu derelictionis cum longanimitate inſiſtendum eſt, de quo Gerſon *tr. de perf. cord. conſid.* 5. ita docet: „ Quantum ſit difficile, quod ignis devotionis ſpiritualis exardeſcat flatu meditationis, fiet notum „ deſiderantibus ignem materialem, dum quæritur „ a lignis aquoſis, viridibus, aut luto reſperſis „ elici. Suffla, quantum potes, iterum, atque „ iterum magno conatu reſuffla: emergit plurimus ab initio fumus, conturbans oculos: vix „ emicabit ſcintilla, quæ mox evaneſcit. Diſper- *Hæc derelictio necdum ad contemplationem diſponit.*

 „ ges

„ ges forſan iratus congeſta prius ligna, ſi non in „ longanimitate perſtiteris: quam longanimitatem „ appellamus hic meditationem, aut meditationi „ conjungendam “.

§. 183.

Quinta regula pro perfe-ctis.

Quinto. Si anima tribulata jam eximie in mortificatione paſſionum, cognitione ſui, ſuorumque defectuum profecerit, & heroice operetur, tunc in ipſa ſua tribulatione ſe heroice in virtutibus, maxime vero in humillima reſignatione in divinum beneplacitum, cum ſui abnegatione exerceat. Qnod ſi fiat, ſperari poteſt, quod huic probationi donum contemplationis ſuccedat. Pro exemplo ſit Jeremias per hanc derelictionem avolans ad contemplationem. Hic *Thren. c.* 3. de ſe teſtatur: *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis ejus* &c. deſcribitque terribiliter omnimodam ſuam derelictionem, cum fructu propriæ ſui ipſius cognitionis. Inde a *v.* 9. Deum humillime rogat: *Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ:* atque in ſpem erectus. v. 21. *Hæc recolens in corde meo*, inquit, *ideo ſperabo:* & v. 26. *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei;* demum v. 28. ait: *Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia levavit ſuper. te*, vel juxta aliam lectionem, *quia levavit ſe ſuper ſe.* Quod S. Baſilius *de laud. vit. ſolit.* ita exponit: *Habitator tuus ſe elevat ſupra ſe, quia Deum eſuriens animus a terrenarum ſe rerum obtutibus erigit, & in divinæ contemplationis arce ſuſpendit, a mundi ſ actionibus ſegregat, atque in altum contemplationis cæleſtibus deſideriis pennas librat: cumque illum,* qui

qui eſt ſuper omnia, conſpicere ſatagit, ſemetipſum quoque homo cum reliqua mundanæ vallis dejectione tranſcendit.

Schol. Quam perfecta futura ſit reſignatio, quam in derelictione anima addiſcere debet, ut ad contemplationem diſponatur, exponit Blosius *in conſol. puſillan. c.* 26. ex Henrico Suſone: „ Hoc funda„ mentum eſt ſalutis noſtræ, mortificare ſcilicet, „ abnegare, reſignare, perdere, & annihilare „ nosmetipſos. Si vis eſſe, quod non es, opor„ tet te prius deficere ab eo, quod es. Id autem „ certo certius tenendum eſt, neminem ſibi de re„ ſignatione blandiri, nec ſe reſignatum eſſe, in „ animum inducere debere, quamdiu guttula una „ ſanguinis in carne, vel aliqua medullæ portio „ in oſſibus latet, quæ non pro vera ſit reſignatio„ ne decocta, atque conſumpta ". Addit vero prudenter: „ Quæſo dilectiſſimi! non vos iſta „ perturbent: & vobis ad cœleſtia regna aditus „ patet, etiamſi ad ſummam perfectionem minime „ pertingatis. In ſuperna patria, & puſilli, & „ magni reperiuntur: facite, quod in vobis eſt, „ & in ſancto propoſito, ſanctisque exercitiis „ perſiſtite; & ſi non ad ſupremum montis verti„ cem pertigeritis, in ipſo tamen ſalutis æternæ „ itinere deprehendemini ". *Hæc derelictio ad contemplationem diſponit.*

§. 184.

Sexto. Si anima *perfecta*, in probatione derelictionis conſtituta, in aliquos defectus labatur, non diffidat, ſed curet, ut exinde etiam ſe humiliando, ſe manifeſtando directori, & ſemper ad Deum recurrendo proficiat. Ita monet S. Bonaventura proc. 7. Relig. c. 11. *Ipſa quoque quandoque retardatio proficiendi, eſt via profectus, dum humiliat. Et ideo Deus pie curſum temperat noſtrum, ut longius procedat, & per hoc* *Sexta regula pro defectibus perfectorum.*

hoc melius a ſuperbia defendimur: quia ſæpe nim[ia] proficiendi ſecuritas, & fervor continuatus vi[res] corporis exhaurit. Et Bloſius *de conſ. p[uſ.] c.* 30. hoc probat ex eo: „ Quia & excel[len]„ tiſſimi Apoſtoli, & amici Dei, ipſas quid[em] „ virtutes omnes volebant, atque appeteba[nt] „ ſeu deſiderabant ſupremo, & optimo mo[do] „ perficere; ſed hoc in iſta vita ſine aliqua im[-] „ perfectione præſtare non poterant. Unde „ dicebant: *In multis offendimus omnes.* Jac. [3.] „ v. 2. Itemque: *Si dixerimus, quoniam p[ec]-* „ *catum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & v[e]-* „ *ritas in nobis non eſt.* 1. Joan. 1. v. 8.

Quare Deus hos defectus permittat.

Schol. Idem Bloſius *l. c. c.* 16. ex Thaulero be[ne] etiam obſervat: „ Plerumque & in electiſſim[is] „ amicis ſuis aliquid ſemper vitii Deus reſide[re] „ permittit; & ut plurimum ad iram, & veh[e-] „ mentiam proniores ſunt, quo & ſibi ipſis inn[o-] „ teſcant, & aliis: atque per hoc gratia ſua, qua[m] „ illis infundit, velut ignis ſub cineribus occult[e-] „ tur, & conſervetur ... Nec eſt, quod hin[c] „ terreantur Chriſti ſervi, modo in ſuum ſe nihi[-] „ lum amplius demittant, ac ſeipſos penitus cog[-] „ noſcant, facile his defectibus mederi poterunt, „ fietque, ut deinceps cautiores fiant “. Unde S. Thereſia *manſ.* 6. *c,* 1. contra inexpertum con[-] feſſarium ita ſcribit: „ Maxime ſi in ea anima, „ cui talia quædam extraordinaria contingunt, „ notat aliquam imperfectionem (putat *enim in* „ Angelos abire illos, quibus Deus gratias iſtius- „ modi donat; quod fieri nequit, quamdiu ſumus „ in corpore iſto) ſubito illud omne tribuitur dæ- „ moni, vel melancoliæ “. Meritoque repreben- ſibiles inventi ſunt a Deo amici Job ex eo, quod loco conſolationis tam acriter in ipſo leviſſima re- prehenderint, vel multo graviora temere *ſuſpicati* fuerint. (*Job.* 42. *v.* 7.

§. 185.

§. 185.

Septimo. Anima perfecta conſolari ſe poteſt, uod in ſua derelictione non ſit a Deo relicta in t., ſed occulte ab eo dilecta, & quod nonniſi l tempus Deus illi ſit abſconditus. Patet hoc ipſo Chriſto D. N. cui in maxima derelictio- : in horto verſanti *apparuit Angelus de cœlo nfortans eum.* Et tam in S. Scriptura, quam vitis Sanctorum paſſim legimus, quod Deus imabus deſolatis vel per Angelos, vel per mines, miniſtros ſuos, conſolationem im- ttere ſoleat. Et Bloſius *in conſol. puſill. c.* 23. nonet: „ Æquanimis, ac bono animo eſto, o anima patiens: in cunctis namque amaritu- dinibus tuis Chriſtus, electus cordis tui ex millibus, clauſis januis, id eſt, cunctis viri- bus tuis duritie concluſis, introire, tibique novam quandam, & inexpertam novit infun- dere ſuavitatem: amaritudinem vero, quam ſentis, pro inferno, & purgatorio tuo ſuffer patienter “.

Septima regula, conſolatio, qua Deus afflictos recreat.

Schol. Ejusmodi animæ derelictæ prudens Director, ſeu Confeſſarius permittere poteſt, ut aliquod le- vamen requirat vel in Deo, humiliter, & aman- ter, aut etiam cum aliqua innocenti ſpecie quere- larum orando, ut, ſi vultum ſuum non oſtendat, ſaltem præſentiæ ſuæ indicia præbeat; vel etiam in horto, aut alia innocenti recreatione tantillum cordis ſui anguſtias leniendo. Ejusmodi affectus orandi, & moderate conſolationem implorandi in Pſalmis, & Canticis frequenter occurrunt; & Chri- ſtus ipſe tam in horti derelictione pro remotione calicis, ſi expediret, oravit, quam in crucis de- relictione non ſine querebundi ſpecie ad Deum Pa- trem ſe convertit. Et S. Thereſia *in vita c.* 11. *verſ. fin.*

Animæ afflictæ aliquod levamen concedi poteſt.

fin. notat, aliquoties ejusmodi ariditates ex ... ſpoſitione corporis, & commotione humorum oriri, quo tempore ſi anima nimis urgeatur, pejus habebit. „ Itaque opus eſt, inquit, diſcretione, „ ut Directores internoſcant, quando hinc oriatur „ ariditas, ne ſoffocent animam miſerandam: in„ telligant bene, hos eſſe infirmos; atque adeo „ mutetur ipſis hora orationis, & aliquoties per „ dies aliquot". Addit notanter, ſe diſcretionem commendaſſe, cum etiam a dæmone ariditas cauſari poſſit, unde non ſemper expedit prætermittere orationem ſub prætextu diſtractionis, & magnæ in intellectu perturbationis, nec tamen ſemper cogenda eſt anima in id, quod non poteſt. Pro quo caſu, addit S. Mater: „ Non deſunt alia ope„ ra externa charitatis, lectionis, & ſimilia, qui„ bus occupentur. Quod ſi aliquoties ad nihil ho„ rum habilis anima reperiatur, inſerviat illa pro „ tunc corpori propter Dei amorem, ut ſæpius illud „ animæ inſerviat: ſuavietur aliqua recreatione „ ſancta, uti piæ converſationis, deambulationis „ in horto, vel rure ex conſilio Confeſſarii".

§. 186.

Octava regula, fortiter ſuſtinere usque ad mortem.

Octavo. Anima afflicta ſpem futuræ conſolationis ita concipere debet, ut tamen nec ſibi computet, multoque minus definiat, quamdiu perſtitura ſit deſolatio, & quando conſolatio adfutura: ſed eo generoſo ſpiritu animari debet, ut licet per totam vitam in derelictione manſura eſſet, ſemper tamen in firmo propoſito, nihil aliud, quam majus Dei beneplacitum optandi, perſiſteret. Ita monet Eccleſiaſticus c. 11. v. 27. *In die malorum ne immemor ſis bonorum: quoniam facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas.* Ex quo colligitur, parum curandum eſſe de conſolatione

ne poſt deſolationem in vita, ſed magis de conſolatione poſt mortem, licet tota vita eſſet deſolatio. Et Chriſtus ipſe cum ſuam usque ad mortem derelictionem declaraſſet, *Matth.* 27. *v.* 46. mox *Luc.* 23. *v.* 46. conſolationem ſuam in illa ſola reſolutione quæſivit: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.*

Schol. Thaulerus *in ſerm. de SS. Mart.* vocat Martyres ſpirituales illas animas, quæ cum derelictione probantur, & notat, hanc probationem aliquibus advenire, poſtquam per viam conſolationum, quod tamen minus conſuetum, & ſolidum eſt, in perfectione profecerunt: alias vero frequentius prius probari, ut ſolidius in perfectione proficientibus poſtea conſolationes ſuccedant. De his docet, ſtudendum eſſe, ne cum offenſione Dei nimis in ſuis preſſuris doleant, & per ſuam triſtitiam debito profectu ſe privent, dum ſine reſignatione deficiunt, eo quod nimis durum ipſis videatur, has preſſuras usque ad mortem tolerare: „ Sed pro „ certo habeant, inquit, niſi ad finem usque per„ tulerint, ſeipſas prolongare, multoque amplius „ exaggerare, ſeu aggravare, veroque fructu „ privare ſemetipſos, qui hinc propediem exorie„ tur, ſi tantum innocenter, animoque voluntario „ ſufferre, & ex amore ſe reſignare poſſent: quod „ quo facerent ſimplicius, tanto nobilius fructum „ illum mererentur, longeque excellentius illu„ ſtrarentur. Enim vero poſt hanc noctem obſcu„ ram lux perfecta clariſſima ſuccedit, ſi tamen „ recte ſe gerat homo, quæ univerſum illius fun„ dum in æterna veritate illuſtrabit “. *Nec nimis de afflictione dolendum eſt.*

§. 187.

Nono. Quanquam Confeſſarius juxta ſigna prudenter notata ſperare poſſit, quod talis anima conſolanda ſit per elevationem ad con- *Nona regula pro Directore.*

 tem-

templationem, & favores eam conſequentes, hoc tamen ſibi ſoli utile ducat, ut effectus illius tacite obſervet, & juxta illos ſe divinæ ordinationi accomodet, quin opus ſit, vel expediat, antecedenter talem animam ne dum certificare, ſed nec animare cum ſpe determinata obtinendæ contemplationis. Tum quia alias talis anima exponeretur periculo, talem guſtum inordinate appetendi, vel pro illo Deo ſerviendi: tum quia non obſtante tali probatione optime etiam tolerata, tamen forte Deus ob altiſſimas cauſas gratiam contemplationis tali non vult concedere. Nam uti bene obſervat Bloſius *de conſ. puſill. c.* 28. „ Dominus
„ Jeſus Rex regum non omnes ad hoc eligit,
„ aut admittit, ut in hoc exilio ſecum menſæ
„ aſſideant: hoc eſt, ut in fruitione, & quie-
„ te ſanctæ contemplationis plenius delicien-
„ tur: ſed multos conſtituit velut miniſtros,
„ qui ante menſam ſuam ſtent, ſibique inſer-
„ viant. Non inquam in magna domo, & Ec-
„ cleſia ſua vult habere tantummodo delicatas,
„ atque ornatas puellas; ſed etiam ordinat
„ Principes, Duces, milites, aliosque ſervos,
„ diverſis operibus aptos, quos ſemper ad ne-
„ gotia paratos habeat: neque enim in inter-
„ nis duntaxat deliciis excellentiſſimæ contem-
„ plationis delectatur Deus, verum etiam in
„ externis utilium occupationum exercitiis,
„ quæ propter honorem, & amorem ipſius pu-
„ re ſuſcipiuntur. Cæterum poſt hoc exilium
„ omnes, qui Chriſti ſunt, beatæ, & æternæ
„ menſæ ejus aſſidebunt. Non igitur ſint pu-
„ ſillanimes illi, qui licet propriæ mortificatio-

„ ni,

„ ni, abnegationi, & reſignationi diligenter „ operam dent, non tamen hic percipiunt „ gratiam perfectæ contemplationis, ſed fide„ liter, & perſeveranter Domino ſervientes, „ ament illam gratiam in aliis, quibus Deus „ gratuita pietate ſua eam in hac vita conceſſit“.

Signa derelictionis prævia contemplationi.

Schol. S. Joannes a Cruce tria ſigna dat cognoſcendi, an derelictionem ſecutura ſit contemplatio. *Primum* eſt: ſi nullus guſtus in parte ſenſitiva tam in rebus divinis, quam humanis reperiatur. 2*dum* eſt, ſi anima in mediis ariditatibus etiam cum vehementi apprehenſione de eo, quod Deo diſpliceat, ſolicitudinem, & reſolutionem, Deo ſemper placendi, retineat. 3*tium* eſt, ſi quidquid anima faciat, tamen, ut prius, meditari non poſſit. Verum hæc ipſa ſigna non ſunt niſi conjecturalia, nam uti idem S. Aſceta *l.* 1. *noct. obſc. c.* 9. concludit: „ Quandoquidem non omnes illi, qui exer„ citant ſe accurate in via ſpiritus, ſunt elevati a „ Deo ad perfectam contemplationem; qua id ex „ cauſa, ipſe ſcit. Quod autem aliqui addunt, derelictionem eſſe præviam diſpoſitionem ad contemplationem, ſi anima afflicta nullius, neque levis deliberati peccati ſibi ſit conſcia, caute uſurpatum ad prudentem conſolationem deſervire poteſt, ne nimis anxietur, quaſi ob ſolas culpas ab imaginatione ſibi in ſua obſcura nocte figuratas a Deo puniatur. De cætero autem in hoc ipſo director talem animam in ſancto timore, ſpe temperato, relinquere debet, ne forte in aliquo vel ex ſubreptione, vel ignorantia, vel malitia delinquat, ob quod a Deo derelinquatur.

Adhortatio ad gaudenter tolerandam derelictionem.

Corollar. Aſpirandum igitur eſt etiam cum gaudio ſpiritus ad ſuſtinendam cum ſancta reſignatione derelictionem a Deo nobis præſcriptam, nec ſolum cum gaudio in ſpe futuræ conſolationis, vel contemplationis in tempore, aut æternitate ſecuturæ,

turæ, ſed etiam cum gaudio, cujus in ipſa tribulatione ſpiritus capax eſt. Ita ſuſpirabat Chriſtus D. N. dum Luc. 12. v. 20. ait: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur?* Ita *ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Act. 5. v. 41. Et S. Paulus 2. *Cor.* 7. *v.* 4. teſtatur: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Nam uti Henricus Suſo *in dialog. ſapient. c.* 13. a ſapientia doctus fuit: „ Afflictio donum „ eſt occultum, quod nemo compenſare queat, „ adeo ut etiamſi quis centum annis crucem ami- „ cabilis flexis genibus a me precetur, nec ſic „ tamen illam emereri poſſit . . . Afflictio ſalu- „ taris eſt potio, & herba ſalutifera præ cunctis „ Paradiſi herbis . . . Afflictio hominem velit, „ nolit, trahit, urgetque ad Deum. Quisquis in „ adverſis ſeſe hilariter gerit, illi & jucunda, & „ triſtia, hoſtes, & amici inſerviunt, proficiunt- „ que . . . Equidem malim afflictiones creare ex „ nihilo, quam amicos meos crucis expertes re- „ linquere . . . In adverſis retinere patientiam, „ præſtabilius eſt, quam extinctos ad vitam revo- „ care, aut alia perpetrare miracula ". Quippe per afflictionem, & derelictionem ad mortificationem, & abnegationem pervenitur, qua quis ſibi mortuus dici mereatur. Hæc eſt illa mors myſtica, qua homo ſibi mortuus ſoli Deo vivit, *ita ut* juxta S. Bernardum *ſerm.* 7. de Quadrag. *ſic vituperantes, ut laudantes, ſic adulantes audiat, ut detrahentes, imo vero nec audiat, quia mortuus eſt. Omnino felix mors, quæ ſic alienum ſervat, imo penitus alienum facit ab hoc ſæculo. Non ſolum autem,* pergit S. P. *mortuus mundo, ſed & crucifixus, quod eſt ignominioſum genus mortis. Ego illi, pariter & ille mihi. Omnia, quæ mundus amat, crux mihi ſunt, delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes: quæ vero mundus reputat crucem, illis affixus ſum, illis adhæreo, illa toto amplector*

affectu. Unde etiam Thaulerus *ſerm. de SS. Mart.* animas derelictione probatas ſpirituales Martyres appellat.

§. 188.

Purgatio paſſiva partis ſenſibilis quid.

A derelictione in genere ad varias illius ſpecies conſiderandas progredimur. Et quidem juxta diviſionem factam (§. 164. *Sch.* 2.) ad *purgationem paſſivam partis ſenſibilis*, quæ in privatione ſenſibilis devotionis, ſive in deſolatione ſenſibili, indevotione, amaritudine, doloribus, ariditate &c. conſiſtit: (§. 67. *Schol.* 4.) unde etiam eam definit S. Bonaventura in 4. proc. c. 2. *Eſt ſubtractio, & inopia devotionis. Aliæ ſine iſta nullam, vel minorem virtutem habent: cum ipſa devotio ſit quaſi domus refugii ab omni tribulatione. Ideo David dicit Pſ.* 117. *v.* 7. *Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Item Pſ.* 26. *v.* 3. *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum. Subtracto ergo tam ſingulari refugio, quodammodo inermis expoſitus eſt hoſtibus tentationum, & ideo pavidus efficitur, & puſillanimis, niſi fidei, & ſpei firmitate ſe muniat, & patientia, & humilitate ſe defendat.*

Varii ejusmodi.

Schol. Purgatio paſſiva partis ſenſibilis variis modis contingit. 1. Privatione bonorum corporis. 2. Tentationibus ab hominibus inductis. 3. Per tentationes dæmonum. 4. Per dæmonum poſſeſſionem. 5. Per obſeſſiones dæmonum. De quibus ſecundum ordinem modo agendum eſt.

§. 189.

Primus modus per privationem

Primo itaque *purgatio paſſiva partis ſenſibilis* perficitur per *privationem bonorum corporis*, qua Deus

nem bonorum corporis. Deus ſolet, manu etiam inviſibili ſuæ providentiæ hæc adverſa regulando, ſenſibilem derelictonem cumulare tam amiſſione bonorum externorum, facultatum, filiorum &c. quam ſanitatis, vel etiam vitæ corporalis. Sic probati, & purgati ſunt Job *c.* 1. amiſſione facultatum, & liberorum. *c.* 2. Amiſſione ſanitatis corporis, & totus ulceratus a planta pedis usque ad verticem capitis, a pelle usque ad oſſa: Tobias plaga cœcitatis, præter paupertatem, & alia: Ezechias lethali ægritudine, quæ eum ad portas mortis deduxit. In his, & aliis caſibus notandum eſt, vel ipſo diabolo teſte, ubi de Jobo agitur, quod non aliter hæc fiant, quam ex nutu divinæ providentiæ Job. 1. v. 11. *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet.* Et c. 2. v. 25. *Mitte manum tuam, & tange os ejus, & carnem.* Deinde S. Auguſtinus *l.* 3. *de Trin. c.* 3. ponit caſum, quo aliquis vir pius ex motivo placendi Deo in defatigatione corporis ægrotaverit, & ait: *Si illius ſiccitatis cauſa quæreretur, & inveniretur voluntarius labor, jam ventum eſſet ad ſuperiorem cauſam, quæ ab anima proficiſceretur, ad afficiendum corpus, quod regit: ſed nec ipſa prima eſſet. Illa enim procul dubio ſuperior erat, in ipſa incommutabili ſapientia, cui hominis ſapientis anima in charitate ſerviens, & ineffabiliter jubenti obediens, voluntarium laborem ſuſceperat: ita nonniſi Dei voluntas cauſa prima illius ægritudinis veraciſſime reperiretur.* Ergo purgatio paſſiva partis ſenſibilis per ægritudines a Deo immiſſas, & amiſſionem bonorum corporis ſubinde perficitur.

Schol. 1.

Schol. 1. Sicuti igitur morbi a Deo ex ſpeciali providentia in pœnam peccatorum, ſic etiam ad purgandas, & perficiendas animas immitti poſſunt. Hi morbi ſunt vel in ſubſtantia, & modo naturales, licet ob ſpecialem diſpoſitionem divinam immittantur, uti obſervat Valeſius *c.* 74. *Philoſ. ſacræ* dicens : „ Non dubium, morborum cauſas „ aliquando eſſe in peccatis . . . Nihilominus ha„ bent etiam illi iidem morbi naturales circa noſtra „ corpora conſiſtentes cauſas . . . Si enim Deus „ morbos infert in vindictam, aut caſtigationem, „ aut probationem . . . cauſis utitur ſecundis ". Alii ſunt morbi præternaturales quoad nos, licet non quoad ſe, & in re, quorum nimirum cauſa, & curatio neſcitur a medicis, quique vel ab Angelis bonis, aut malis virtute propria ex permiſſione Dei induci poſſunt. Hi morbi ab antiquis medicis vocati ſunt ſacri, vel divini, eo quod illorum cauſam periti non attingerent, adeoque divinitati tribuerent. Verum de tali morbo notat Author libri de *morbo ſacro,* inter opera Hippocratis „ quod „ naturam habeat, quam etiam reliqui morbi, un„ de fit: homines vero naturam, & cauſam ejus „ divinam eſſe putaverunt præ inexperientia, & „ admiratione: propterea quod reliquis morbis „ nulla re ſimilis eſt; & per inopiam quidem, „ quod non cognoſcunt, divinitas ipſi conſerva„ tur ". Et quidem ita plerumque contingit, ut morbus a Deo in probationem immiſſus in ſeipſo, ſicuti alii morbi, ſit ex cauſis naturalibus medice vel agnoſcibilibus, vel latentibus. Alii denique morbi ſunt præternaturales in ſe, & quoad nos, ſcilicet proprie per miraculum, quia vel in ſubſtantia, vel in modo omnem cauſam creatam excedunt, uti docet S. Thomas 1. *p. q.* 110. *a.* 4. Sic miraculoſus morbus cenſeri poteſt, quando inſtantanee, nullisque præparatis, aut naturaliter præparabilibus cauſis, ſed ſola v. g. oratione ſancti, aut prophetica comminatione morbus contingit; uti *Act.* 13. *v.* 11. Elymas magus a S. Paulo excœcatus

Cautelæ pro hac purgatione dignoſcenda.

catus fuit. Item quando indirecte ob extraordinariam ſupernaturalem motionem in anima v.g. in extaſi corpus tranſeunter, aut permanenter, adeoque modo ſupernaturali ægrotat. Rurſus quoad menſura ſaltem morbi merito ſupernaturalis æſtimatur, ſi morbus vel ex cauſis ordinariis, vel extraordinarie contractus plus mali afferret, vel etiam mortem, niſi a Deo contineretur, uti ſæpe in Sanctis contigit, & frequentius in Martyribus evenit.

Cautelæ aſſignantur.

Schol. 2. His ſuppoſitis poteſt quidem ægritudo partem facere divinæ probationis, ut ex ſpeciali divina providentia, ſive per miraculum, ſive non, ſive curabilis, ſive incurabilis habeatur, ad finem purgandi animas dirigatur; verum ſub ſequentibus cautelis. 1. Non ſunt habendi pro extraordinariis, & præternaturalibus illi morbi, qui præſumi poſſunt ordinarii, & pure naturales, niſi utriusque periti medici ſpiritualis, & corporalis maturo judicio urgenter hoc perſuadeatur. 2. Quicunque illi morbi ſint, non ad ſolam probationem purgationis paſſivæ, animæ perfectæ propriam, referendi ſunt, quando de tali perfectione non ſatis conſtat; & in dubio ſecurius punitioni animæ tepidæ, aut parum perfectionis avidæ tribui poſſunt, ut ſuas culpas plus, minusve notabiles accuratius emendet. 3. Ob quamcunque cauſam, ſeu finem iidem morbi evenerint, magis ad tolerantiam cum reſignatione, vel lætitia, quam ad deſiderium recuperandæ ſanitatis ſub prætextu majoris ſervitii Dei propendendum eſt. Modum proficiendi ex infirmitatibus docet Ludovicus a Ponte *t.* 1. *perf. Chriſt. tr.* 5.

§. 190.

In purgatione per morbos ad medicinam recurrere licet.

In his corporis infirmitatibus non modo in genere ſanctum eſt, ad ſubſidium *medicinæ* recurrere, quando urget gravis neceſſitas, & levaminis ſpes adeſt, ſed etiam in ſpecie, quando

o infirmitas præternaturalis, & ad purgatio-
em paſſivam animæ perfectæ eſſe judicatur,
ıb certis tamen cautionibus. Quod ipſum de
ratione pro ſanitate facienda, ſi ita in conſpe-
tu Dei magis expediat, dicendum eſt. Pro-
ıatur *primo* ex S. Scriptura: Eccli. 38. v. 9.
Fili in tua infirmitate ne deſpicias teipſum; ſed ora Dominum, & ipſe curabit te . . . & da locum medico. *Secundo* docet hoc S. Baſilius *in reg. brev.* 140. & in *fuſior.* 55. ubi probat, quod
ırte medicinæ utamur, quemadmodum arte
gricultoria, textoria, ædificatoria, nautica,
k ſimilibus utimur. Pro moderamine vero ad-
lit: *At in quibus exquirendis, medicinis, curio-a quadam & anxia nimis ſolertia curaque eſt opus, uæque magnas nobis moleſtias quaſdam conciliant, c quaſi vitam noſtram in corporis curatione im-licatam tenent, ea a Chriſtianis hominibus fundi-us repudianda ſunt.* Deinde obſervans non ſem-
ıer a natura, ſed in peccatorum pœnam, ad
ıoſtram emendationem, morbis nos affligi,
ıit: *Qui ejusmodi ſunt, hi omiſſis medicorum uxiliis invectas ſibi acerbitates ferre ſilentio debent.*
Similiter pro caſu, quo vel ad probationem,
ıti in Jobo, vel ad exemplum patientiæ, uti
n Lazaro, vel ad fugam, uti in S. Paulo in-
irmitates a Deo immittuntur, ait: *Quid eſt, quod hujusmodi hominibus emolumenti afferre poſ-it medicina? aut quod non iis potius contra ab a periculum procreari? qui quidem relicta recta ratione curam ſuam in corporis curationem tantum contulerint.* Verum ex hoc moderamine S. P.
paulo inferius cautelæ circa uſum medicinæ
aſſignabuntur. Ex Aſceticis, præſertim anti-

quis Anachoretis, cum quibus S. Bernardus tenet, plurimis mos erat, vix, aut nullatenus uti medico, aut medicinis in ſuis infirmitatibus, amore nimirum paupertatis, & auſteritatis, imo nec orare pro recuperanda ſanitate volebant, cum infirmitatem pro majori beneficio haberent. Poſteriores vero monachi, & mendicantes, a ſuis inſtitutoribus edocti, hoc rigore moderato, tum orare pro ſanitate, tum medice curari cum debita moderatione, & reſignatione laudabilius eſſe cenſuerunt, uti oſtendit Cornelius a Lapide *in c.* 38. *Eccli.* Et Bloſius *in monil. ſpir. c.* 8. ex revelationibus S. Birgittæ c. 60. dictum Chriſti D. refert: „Multi electorum meorum fuerunt, qui nec habuerunt medicinas carnales, nec alias indulgentias carnis, & placuerunt mihi. Alii vero ſecundum diſpoſitionem temporum, & locorum, & infirmitatum diverſarum adhibuerunt ſibi medicamenta: nec iſti diſplicuerunt mihi, quia totum fecerunt ad ſerviendum mihi". *Tertio.* Rationem dat Valeſius *de ſacr. Phil. c.* 74. dicens: „Si igitur morbi duplicem habent ortum, alium divinum, alium naturalem, quid expedit ægrotos agere? certe pariter placare Deum, & medicationem adhibere . . . Si enim ad Deum confugiens curationem parvi pendas, peccas ob imprudentiam in ipſum Deum, qui poſt expiationes jubet locum dare medico, quia ipſe creavit eum propter neceſſitatem: quare falſa pietatis ſpecie incidis in impietatem, parvi pendens illius opera. Si vero oblationibus, & precibus derelictis ſo-

„ lis

„ lis medicinæ confidas operibus, peccas gra-
„ vius, aliquid ſine Deo rerum naturam præ-
„ ſtare poſſe confidens". Singulare igitur eſt, quod S. Gorgonia in ſuis infirmitatibus relicto medico ad Deum ſolum confugiens per miraculum ſanata eſt: teſte S. Greg. Naz. *or.* 25.

Schol. Ex his ſequentes *regulæ* pro *cautela* purgationis paſſivæ per infirmitates eruuntur. 1. Undecunque infirmitates proveniant, ſi graves ſint, præter preces cum reſignatione ad Deum fuſas, & conſcientiæ diſcuſſionem, & mundationem, ut anima purgetur, & purificetur, tentanda eſt per ſe loquendo medicinæ curatio. 2. Si experiamur, nihil proficere, vel etiam officere medicinam, abſtinendum eſt ab illa, & cum bona diæta, maxime in abſtinentia fundata, patienter morbus tolerandus eſt. 3. Hoc maxime faciendum eſt, quando prudenter judicari poteſt, quod infirmitas, vel actualis, vel habitualis alicui animæ ſingularis virtutis, a cauſa præternaturali, Deo illam ſpecialiter perficere volente, provenerit. 4. Interim tamen etiam in hoc caſu non omnino medicina prætereunda eſt, ſed vel illa leniter, & ſubinde pro levamine naturæ nimium gravatæ, vel ex profeſſo, quando nova cauſa ſupervenit, quæ putatur eſſe naturalis, utendum eſt, quia hæ etiam perſonæ a Deo probatæ non ſunt incapaces ægrotandi, & moriendi more aliarum. 5. In eodem hoc caſu cauſæ præternaturalis, morbus in ſeipſo naturalis, & vel medice, vel miraculoſe curabilis eſſe poteſt. 6. Poteſt contingere quod infirmitas etiam præternaturalis a Deo ad tempus ſit immiſſa, & tamen Deus ipſe animam moveat, ut petat, & obtineat ſanationem miraculoſam.

Cautelæ pro uſu medicinæ.

§. 191.

Secundo purgatio paſſiva partis ſenſibilis perficitur ſubinde per tentationes, & *perſecutio-*

Secundus modus purgatio-

nis per perſecutiones hominum hæreticorum.

tiones ab hominibus inductas, quales etiam S. Job ab uxore, & amicis ſuis ſuſtinuit. Perſecutiones autem hæ animabus perfectis, vel a gentilibus, & hæreticis, vel ab improbis Catholicis; vel a viris probis bonisque Catholicis inferri poſſunt. Perſecutiones ab Hæreticis, & gentilibus patiuntur plerumque illi, qui vitam mixtam ſequuntur, & tanquam viri Apoſtolici ſanguini Chriſti cooperantur, fidem propagando, hos enim Deus per ejusmodi perſecutiones, opprobria, ignominias, falſa teſtimonia, contradictiones, ad pretioſum donum contemplationis diſponere ſolet. Hac via inceſſit S. Paulus, quem ſecuti ſunt S. Athanaſius, S. Auguſtinus, S. Franciſcus Xaverius, S. Jacobus de Marchia contra hæreticos fraticellos, S. Paſchalis Baylon Britannis, & S. Didacus Canarienſibus prædicans, uti ex eorum actis conſtat.

Hæc purgatio vitæ mixtæ convenit.

Schol. Ejusmodi viri Apoſtolici, etſi non degant vitam adeo auſteram, & ſolitariam, neque adeo viles, ruptos, refectosque centones induant, cum aliena hæc ſint a ſuo inſtituto, & vitæ profeſſione: licet etiam non tot, & tanta jejunia, vigilias, ac pœnitentias ſubeant, quia ad apte ſubeundos miniſterii ſui labores competentibus, & integris viribus indigent, quot, & quanta ſolitarii ſubeunt. Et ſi etiam aliquis defectuum moralium pulvis ex continua cum peccatoribus converſatione, ut illos ad Deum perducant, illis adhæreſcat, nec paſſiones admodum mortificatas habeant, nihilominus tot, & tantas cruces tolerant, labores, defatigationes, opprobria, falſa teſtimonia, & alias corporis, & animæ afflictiones, ut contemplationem, quam Deus ſolitariis dat in præmium, poſt tractum aliquem derelictionis, illis communicare ſoleat,

leat, ut medicinam cordis concomitanter reficientem, quin etiam ſtrenuis ejusmodi vitæ mixtæ ducibus in præmium, nec enim rationi eſt conſentaneum, ut quod multo valet pretio, modico ſtet labore.

§. 192.

Purgatio per perſecutiones ab improbis Catholicis.

Perſecutiones etiam pro purgatione ſua ſubnde animabus perfectioni ſtudentibus moven-ur *ab improbis Catholicis*, quas patienter tole-ando ad contemplationem evehuntur. Sic S. Benedicto una vice Florentius Presbyter, & lia vice nonnulli monachi venenum propinare entarunt S. Gregorius *in ejus vit. c.* 3. & 8. Huc etiam ſpectant jurgia fratris Eliæ, Vicarii Generalis ordinis Franciſcani, adverſus S. Franciſcum ordinis Fundatorem adhuc viventem, quem coram multis fratribus auſus eſt traducere, tanquam ordinis excidium; & adverſus S. Antonium Patavinum, quem carceri mancipari juſſit: uti narrat Wadingus in *annal. Min. ad a.* 1230. Item ſub hac claſſe comprehenduntur calumniæ, & obtrectationes a S. Thereſia perpeſſæ; de qua acta ejus referunt, quod, dum agebatur de erectione primi monaſterii reformationis ſuæ: „ Multa in civitate Abu„ læ, & in ipſo monaſterio, in quo tunc mo„ rabatur, de illa maledice, & ignominioſe „ ſparſa ſunt; quin etiam coram ſuo Provin„ ciali in judicium fuit vocata, ubi plura ei „ objecta fuerunt; & quod gravius eſt, in con„ cionibus Prædicatores aliqui in eam invehe„ bantur, adeo aperte, ut tantum ex nomine „ Thereſiam non appellarent. Quod fuit con„ tinuatum in prædictæ novæ reformationis

„ inſtitutione, quam dum inchoare tentaret,
„ graves, & indignati teſtes adverſus illam
„ inſurrexerunt, qui multa falſa crimina contra eam ſparſerunt, & contumelioſa verba jactarunt, & multæ, & graves contumeliæ de illa ſcriptæ fuerunt, quæ in multorum etiam graviſſimorum manus devenerunt.“. Idem exemplis aliorum multorum Sanctorum probatur, uti in eorum actis apparet.

Varii hujus perſecutionis modi. *Schol.* Hæc purgatio frequenter etiam ſectatores vitæ mixtæ affligit: nam ſi hujusmodi perſonæ ſint concionatores, vel confeſſarii, proximi utilitatem inſigniter promoventes, ſubinde permittit Deus, ut vel per imprudentiam, vel nimium zelum excedant, dicantque ad populum, vel privatim aliquid ex pura intentione, quod honorem alicujus Magnatis lædat, unde ingens contra eas perſecutio exurgit. Subinde etiam contingit, ut incauti aliquam propoſitionem male ſonantem, aut dubiam in materia fidei, & morum proferant, & propterea maledicorum, & inimicorum linguis miſere proſcindantur. Quandoque etiam multorum, qui ſunt ejusdem officii, ſed modici ſpiritus, contra hos viros Apoſtolicos invidia conſpirat, qui, dum vident, eos cum plauſu a populo excipi, ſiniſtra æmulatione accenſi, ſexcenta contra eos iniqua effutiunt, quæ crux graviſſimi ponderis eſſe ſolet, maxime, ſi in materia puritatis doctrinæ, aut morum, falſa contra eos teſtimonia ſuſcitantur. Nulla major eſt mortificatio, quam in ſilentio tam immeritam ſufferre contradictionem. Crux hæc aggravatur, ſi hi viri vel in publico, vel in occulto pœnis ſubjiciuntur, & a ſacrificando, concionando, confeſſiones audiendo, propter aliquod grave, vel leve delictum ſuſpenduntur, quod tamen vel plane non, vel ſaltem non cum ea intentione, & circumſtantiis, quæ a ſuis adverſariis aggravantur, commiſerunt. Quod ſi hæc crux cum perſeve-

ſeverantia toleretur, eſt fons inexplicabilis ſuavitatis, quæ tales in contemplatione reficiet. Gravis item crux eſt, quando Deus permittit, ut ſervi ſui in aliqua communitate degentes, ab aliis ſuis confratribus, vel ſuperioribus malorum morum vexentur, graviter ex odio reprehendantur, falſo accuſentur, deſpiciantur, calumniis afficiantur, qui gementes, & flentes ſub tam gravi cruce miſeram vitam agent, niſi cum voluntate divina perfecte ſe conforment.

§. 193.

Purgatio per perſecutiones proborum.

Denique etiam a *viris probis*, boniſque Catholicis, ſed deceptis, *perſecutiones* pro ſua purgatione nonnullis moveri poſſunt. Exempla hujus nobis vitæ Sanctorum, & acta canonizationis eorum exhibent: ſic in relatione cauſæ S. Philippi Nerei, *tit. de fortit.* plura narrantur, quæ paſſus eſt, a nonnullis primariis viris Romanis, tempore Pauli IV. & S. Pii V. cum aliqui eum accuſarent, quod vanam gloriam affectaret, quia tempore bachanalium ſeptem urbis Eccleſias cum magna populi frequentia viſitabat: alii vero, quod inepte in concionibus loqueretur. De nonnullis Sanctis legimus, quod tanquam de fide ſuſpecti in tribunali S. Inquiſitionis accuſati, & carceri mancipati fuerint. De S. Thereſia habetur, quod ipſa, & ejus ſociæ, Hiſpali S. Inquiſitionis officio, multa falſa eis imponendo, denuntiatæ fuerint. S. Bernardus Senenſis a Papa Martino V. velut ſuperſtitionis reus ad urbem vocatus eſt: S. Ignatius in carcerem S. Inquiſitionis miſſus eſt. Nonnullorum Dei ſervorum, quos Deus permiſit a ſuperioribus Eccleſiaſticis deceptis

injuſte aliquando puniri, meminit Lauræa *opuſc.* 6. *de orat. c.* 5. dicens: „ Aliqui juſti „ a ſuperioribus etiam Eccleſiaſticis, & ſupremis male informatis, Deo permittente purgantur, & mortificantur, de quibus maxime „ inter Regulares longam poſſem texere hiſtoriam. In cœnobiis enim facile admodum „ eſt, aliquem reperiri, qui ex odio, vel æmulatione inſurgat, vel ex zelo, ſed non ſecundum ſcientiam, adverſus ſocium, licet ſanctitatis fama conſpicuum, & quidem non obiter, ſed ex profeſſo, & inceſſanter; cum „ ex nullo vino probatius conficiatur acetum, „ quam ex vino exquiſito, & optimo; nec ullius cadaveris tantus ſit putor, quantus humani, cum ex corpore prodeat temperatiſſimo “. Uti ad rem ponderat Theophilus Raynaudus *ap.* t. 16. ubi quærit, an perſecutio Cœnobitica ſit omnium diriſſima. Narrat etiam Card. Baronius *ad an.* 1049. quomodo S. Leo IX. opera calumniatorum B. Petro Damiani infenſus factus fuerit; & ſubdit: „ Sint „ iſta ad conſolationem, quod ſæpe contingere ſolet; talia patientium, ad cautelam vero ejusmodi perpetrantium, ne faciles calumniatoribus aures adhibeant, adverſus „ eos præſertim, quos longior vita antea bene „ acta commendat “. Hæc crux graviſſima eſt, cum enim ſanctitas perſecutoris dictis ſuis auctoritatem conciliet, indefenſa manet patientis innocentia.

Quomodo probi bonos perſe-

Schol. S. Gregorius *l.* 1. *Dial.* narrat S. Equitium apud ſedem Apoſtolicam accuſatum, quod ſine ſufficienti doctrina, & legitima authoritate manus

præ-

prædicandi ſuſcepiſſet, & Papam calumnioſo delatori fidem adhibuiſſe: tum miranti de hac re Petro ait: *Quid miraris Petre? quia fallimur? quia homines ſumus? An menti excidit, quod David, qui prophetiæ ſpiritum habere conſueverat, contra innocentem Jonathæ filium ſententiam dedit, cum verba pueri mentientis audivit. Quid ergo mirum, ſi ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetæ non ſumus? Multum vero eſt, quod uniuscujusque Præſulis mentem curarum denſitas vaſtat, cumque animus dividitur ad multa, fit minor ad ſingula, tantoque ei in unaquaque ſubripitur, quando latius multis occupatur.* Hæc non ſunt, in quibus etiam ſummorum Pontificum judicium, falli nequit, & fieri poteſt, ut quis ſine culpa condemnetur, & judex ſine injuſtitia condemnet. Sane Apoſtolus *Gal.* 2. teſtatur, ſe Petro reſtitiſſe, quod timens eos, qui ex circumciſione erant, legalia obſervaret. Id quod nonnulli ita componunt, ut tam Petrus, ab omni culpa immunis fuerit, cum Apoſtoli eo tempore legalibus uti potuerint, quam Paulus merito eum reprehenderit, cum aliter judicantium errorem cohiberi non poſſe exiſtimaverit. Legi poteſt Baronius *ad an.* 51. *n.* 33. *qui poſ- ſint.*

§. 194.

Tertio. Purgatio paſſiva partis ſenſibilis perficitur opera dæmonum, qui adverſus animas ſanctas præcipuo conatu *tentationes* inſtruunt. Ita *primo* probant exempla S. Scripturæ, uti Adami & Evæ, qui cum eſſent cumulatiſſime ſancti, tamen a ſerpente infernali, & tentati, & lapſi dicuntur. *Gen.* 3. Jobi ſanctiſſimi, qui a Satana mille modis acerrime tentatus fuit. *Jobi* 1. & 2. Davidis viri ſecundum cor Dei, quem Satan ad numerandum populum concitaſſe dicitur. 1. *Par.* 21. Judæ Apo- *Tertius modus purgationis per tentationes dæmonis.*

Apoſtoli, & poſtea ex inſtigatione diaboli Chriſti proditoris. *Joan.* 13. *v.* 2. Pauli poſt ſuum raptum in Paradiſum a Satana tentati. 2. *Cor.* 12. *v.* 7. Demum ipſius Sancti Sanctorum, quem diabolus ternis vicibus tentare auſus fuit. *Matth.* 4. Idem docent ſententiæ S. Scripturæ: Luc. 11. v. 24. *Revertar in domum meam* (ait immundus ſpiritus) *unde exivi.* Luc. 22. v. 31. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, ſicut triticum.* Id eſt tentaret, uti explicat Cornelius a Lapide, nam „ appoſite tentatio comparatur cribro, & cri- „ brationi: quia ſicut in hoc grana tritici ſe- „ cernuntur a paleis, ſic prorſus fideles, & „ Sancti in tentatione manent conſtanter, im- „ pii vero deficiunt, & avolant “. *Secundo* patet ex PP. S. Gregorius *l.* 33. *Mor. c.* 6. ait: *Antiquus hoſtis hoc pro magno non habet, quod ſub jugo ſuæ tyrannidis terrena quærentes teneat: Propheta quippe atteſtante* (Hab. 1. v. 6.) *cognovimus, quia eſca ejus electa. Neque mirum deputat, ſi eos abſorbeat, quos ſuperbia erigit, avaritia tabeſacit, voluptas dilatat, malitia anguſtat, ira inflammat, diſcordia ſeparat, invidia exulcerat, luxuria inquinans necat . . . ſed illos magnopere rapere nititur, quos deſpectis terrenis ſtudiis jam jungi cœleſtibus contemplatur.* S. Bernardus in Pſ. qui habitat. ſerm. 7. *Quod quidem, ſi magnum illud Eccleſiæ corpus conſiderare libet, facile ſatis advertimus, longe acrius impugnari* (a dæmonibus) *ſpirituales viros ipſius Eccleſiæ, quam carnales.* S. Iſidorus l. 3. ſent. c. 5. *Nunquam ceſſat diabolus adverſus hominem juſtum: aut enim tribulationes cordis illi exagge-*

rat, aut doloris corporis ſuſcitat. Videndus etiam S. Hieronymus *in c.* 29. *Ezech.* imo Roſignolius *l.* 2. *de diſcipl. chriſt. c.* 31. ait: „ Omnes Patres affirmant, diabolum contra eos „ præcipue furore, ac rabie totum exardeſcere, quos inprimis conſiliis ſuis adverſari intelligit vitæ probitate, & Evangelicæ perfectionis ſtudio". *Tertio.* Ratio eſt 1. ex parte dæmonis, nam uti docet S. Thomas impugnatio dæmonum ex ipſorum malitia procedit, *qui propter invidiam profectum hominum impedire nituntur.* Ergo quo perfectior anima fuerit, eo magis contra eam invidia dæmonum accenditur, & eo ardentius ejus profectum impedire nituntur. Quæ ratio etiam communiter a Patribus affertur. 2. Ratio eſt ex parte Dei: quippe S. Thomas 1. *p. q.* 114. *a.* 1. docet, quod impugnatio dæmonum non ex ſola illorum malitia procedat, ſed etiam ex permiſſione Dei, qui certo quodam, & occulto ſuæ providentiæ ordine impugnationem diabolo permittit, ut inde majora bona eliciat, ſcilicet majorem ſuam gloriam, & noſtrum meritum: quemadmodum regi glorioſius eſt, & ſubditis magis meritorium, habere milites præliis aſſuetos, quam ab omni periculo procul conſtitutos: ergo quo perfectiores ſunt animæ eo acriorem cum dæmone in tentationibus pugnam pro gloria Dei, & augendis ſuis meritis debent committere.

Varii tentandi modi.

Schol. De fide certum eſt, dæmones ob peccatum ſuum e cœlo depulſos ingenti numero in aere noſtro ſublunari, quem ſpiramus, vagari, uti dictum eſt: (*in Comp. Th. t.* 1. §. 197. *Schol.* 2.) & ex vin-

vindicta in Deum, & invidia erga homines eos in temporalem, & æternam miſeriam detrudere conari, variisque in hunc finem tentationibus, inſidiis, & artibus uti. (*Ibid.* §. 201.) Et denique admodum probabile eſt, ſingulis etiam hominibus ſuum malum angelum tentatorem a Lucifero principe dæmoniorum delegari. (*Ibid.* §. 125. *Sch.* 4.) Tentare autem poſſunt, & volunt dæmones, deliciis nos ad malum attrahendo, terroribus a bono abſtrahendo, idque nunc ſenſibiliter exterius, nunc ſenſibiliter interius, modo aperta malitia, modo ſubdola, & palliata. Potiores ergo hi diabolicæ tentationis modi conſiderandi ſunt.

§. 195.

Primus modus per horridas viſiones & mala in externis illata.

Primo igitur dæmones contra animas perfectioni ſpecialiter ſtudentes armari ſolent vi, per formidabiles *viſiones*, atrociſſimas *comminationes*, quin & per ingentia mala in honore, bonis fortunæ, vel etiam in corpore, ac etiam anima per acerbiſſimos *cruciatus* illata, ut eas a cœpta perfectionis via deterreant, vel in deſperationem inducant. Præter exemplum S. Job, S. Athanaſius in vita S. Antonii *c.* 9. refert narrationem ipſius S. Antonii: *Vidi aliquando diabolum excelſum corpore, qui ſe Dei virtutem, & providentiam auſus eſt dicere, & ait ad me: quid vis, ut a me tibi donetur Antoni? At ego ſputaculum maximum in os ejus ingeminans, totum me in Chriſti nomine in eum armatus ingeſſi; & ſtatim ille proceruus aſpectu inter medias manus exolevit &c. ſæpe quoque me a dæmonibus non denego verberatum. Canebam autem ſic: nullus me ſeparabit a charitate Chriſti. Ad cujus vocis auditum in ſe invicem deſurentes non meo, ſed Domini fugabantur imperio, qui ait: Vidi Sata-*

Satanam quaſi fulgur cadentem de cœlo. Plura alia eodem, & capite 12. legi poſſunt. Item in vita S. Hilarionis a S. Hieronymo ſcripta poſt relatas tentationes, quibus a dæmone in pueritia vexabatur, ſubditur: *Quadam nocte cœpit infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quaſi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, & prorſus variarum portenta vocum, ut ante ſonitu, quam aſpectu territus cederet. Intellexit dæmonum ludibria, & provolutus genibus Chriſti crucem ſignavit in fronte, talique armatus caſſide, & lorica fidei circumdatus jacens fortius prœliabatur amodo videre deſiderans, quos horrebat audire, & ſollicitis oculis huc illucque circumſpiciens, cum interim ex improviſo ſplendente luna cernit rhedam ferventibus equis ſuper ſe irruere, cumque inclamaſſet Jeſum, ante oculos ejus repentino terræ hiatu pompa omnis abſorpta eſt . . . Quoties illi nudæ mulieres cubanti, quoties eſurienti largiſſimæ apparuere dapes? Interdum orantem lupus ululans, & vulpecula ganniens tranſilivit, pſallentique gladiatorum pugna ſpectaculum præbuit, & unus quaſi interfectus, & ante pedes ejus corruens, ſepulturam rogavit.* Rurſus in Bulla Canonizationis S. Catharinæ Sen. dicitur: *Luctabatur frequentiſſime cum dæmonibus, multisque illorum moleſtiis vexabatur.* In Bulla Canonizationis S. Philippi Nerei: *Et licet ſæpiſſime antiquus noſtri generis hoſtis horribili ſe forma videndum offerens deterrere ipſum conaretur, ſemper tamen fortis, & invictus de eodem glorioſe triumphans, pacem, veramque tranquillitatem, qua fruebatur interius, retinuit.* Similia habentur in cauſ. Canoniz. S. Franciſci

Xaverii *tit. de fort.* S. Mariæ Magdalenæ de Pazis, & S. Franciſcæ Romanæ *p. 2. a. 6.* &c. His ſubdit Benedictus XIV. *de ſerv. Dei B.* *l. 3. c. 30. n. 13.* „ Quod ſi a Spiritu S. duc- „ eſt Chriſtus in deſertum, ſi voluntarie ſe ſu- „ didit tentationi, non ad conſenſum, ſed „ luctam, & victoriam, ſi paſſus eſt, ut a dia- „ bolo aſſumeretur, vel ſuper pinnaculum tem- „ pli, vel in montem excelſum, uti legitur „ *Matth.* 4. Si hæc ab eo geſta ſunt, tum ut „ nullus quantumcunque ſanctus ſe putet im- „ munem, & ſecurum a tentationibus, tum „ ut nos inſtrueret, quomodo diaboli tentatio- „ nes vincamus, uti poſt SS. Hilarium & Au- „ guſtinum docet D. Thomas, *p. 3. q. 41. a. 1.* „ nemo profecto mirari debebit, quod ſæpe „ in ſacris hiſtoriis, & actis Sanctorum ipſos „ legamus ab ipſo dæmone variis formis, & „ apparitionibus fuiſſe tentatos ".

An etiam boni Angeli malis corporalibus juſtos affligere poſſint.

Schol. Dæmonem variis morbis corpus hominis cruciare, in corpora agere, & in forma viſibili hominibus apparere poſſe probatum eſt (*in Comp. Th.* *t. 1.* §. 205. 206. 207.) Si quis autem ſcire velit, an in animarum ſanctarum cruciatu ad probationem, & purificationem Deus non ſola malorum, ſed etiam bonorum Angelorum opera utatur; dicendum videtur cum P. Reguera *in Prax. Theol. Myſt. t. 1. pag.* 704. etiam bonorum Angelorum operam ad hoc concurrere poſſe; licet enim ſecundum legem ordinariam magis deceat, ut pœnas ad ſolum ſupplicium ſpectantes Deus per Angelos malos, ceu carnifices ad hoc deſtinatos, ſolum infligat uti docet Suarez *l. 8. de Ang. c.* 20. & colligitur ex S. Chryſoſtomo *hom.* 3. *de pat. Job.* & S. Auguſtino *in Pſ.* 77. tamen in hoc ipſo juxta ſacras litteras exceptiones reperiuntur, & præte-

rea

a congruum videtur, ut pro exercendis per pa-
ntiam animabus ſanctis, etiam Angeli ſancti,
n ut carnifices, ſed ut pædagogi deſtinentur.
jus rei exemplum profert Ludovicus a Ponte in
ta V. Marinæ de Eſcobar quæ *l.* 6. *c.* 1. acerrime
dæmone vexata dicitur; & tamen *l.* 1. *c.* 30.
iam ab Angelis ſanctis crucifixa fuiſſe narratur.

§. 196.

Secundus modus per voluptates.

Secundo. Solent dæmones contra easdem
imas non vi, & terroribus, ſed *illecebris* &
luptatibus procedere, quatenus vel exterius
jecta, aut in mundo facile occurrentia, aut
ipſis viſibiliter conficta proponunt, quæ ad
lam, luxuriam, avaritiam &c. potenter pro-
cant: vel interius humores, fluidum ner-
um, paſſiones commovendo (*Comp. Theol.*
1. §. 201. *n.* 3.) ad eadem objecta proſe-
enda inſtigant. Sic non vi, ſed voluptate
am ſerpens ſeduxit, & illexit pomi vetiti
lchritudine, in quam illa inclinationem ha-
re cœpit, & ſeducta eſt. S. Hilarioni uti
tum eſt (§. 195.) nudas mulieres, & lar-
ſſimas dapes objecit. Nam *hoſtis ille noſter,*
it S. Auguſtinus in Pſ. 39. *tunc leo fuit, cum*
erte ſæviebat, modo draco eſt, cum occulte inſi-
atur . . . Perſecutio tamen ſive a leone, ſive a
racone nunquam ceſſat Eccleſiæ: & magis me-
endus eſt, cum fallit, quam cum ſævit.

§. 197.

Tertius modus per ſpeciem boni.

Tertio. Contra dictas animas dæmones ad-
nc periculoſius ſolent procedere non illecebris
d malum aperte tentando, ſed occulte ac ſub-
dole,

dole, nec ſub ſpecie mali, ſed potius *ſub ſpecie boni*, quandoque viſibiliter paſſimque inviſibiliter Angelum lucis imitantes ſub variis bonis prætextibus eas a bono retrahendo, & ad malum inducendo. *Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* 2. Cor. 11. v. 14.

§. 198.

Quartus modus per præſumptionem.

Quarto. Contra easdem in perfectione valde provectas animas dæmones ſolent, ſubtiliſſime procedere, removendo eas a via veræ humilitatis, quatenus ex ſuo ipſo profectu occaſionem ſumunt, de ſe *præſumendi*, quaſi minus jam a Deo dependeant; unde Deus paulatim ab eis recedit, & illæ miſerandos lapſus incurrunt. Unus pro cunctis in exemplum Salomon ſufficiat. De talibus S. Gregorius *l.* 32. *Mor. c.* 17. ait, eos deſignari nomine Nazaræorum, *Thren.* 4. qui prius candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphiro pulchriores dicuntur, & tamen *v.* 8. ſubditur: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis.* Utique quia, uti ait S. D. *dum virtutum copia etiam plus, quam expedit, proſperatur, in quandam ſui fiduciam mens adducitur.*

§. 199.

Dæmon non pro libitu ſuo tentare permittitur.

Non permittuntur tamen dæmones animas ſanctas maxime in probatione, & purgatione facta tempore derelictionis pro ſua mala voluntate, & potentia *tentare*, ſed juxta *menſuram divinæ providentiæ*, & fines ad divinam ſuam gloriam, & meritum harum animarum à

Deo

Deo præfixos. Patet *primo* ex S. Scriptura : ic *Jobi* 1. permiſſum eſt Satanæ, ut huic ſancto viro malum inferret in bonis externis, non vero in perſona *v.* 12. *tantum in eum non extendas manum tuam.* Deinde *c.* 2. in perſona, non tamen in vita v. 6. *Verum tamen animam illius ſerva.* Et ita factum eſt. Unde etiam *Apoc.* 20. *v.* 1. & 2. Deus vel per ſe, vel per Angelum, diabolum ligaſſe refertur, quod quomodocunque ſumatur, penes omnes ſuas circumſtantias demonſtrat, ligari dæmonem præcepto Dei, quantum, & quamdiu illi placuerit. *Secundo* patet ex PP. S. Auguſtinus *l.* 10. *de civ. c.* 7. & 8. ait: *Alligatio diaboli eſt, non permitti exercere totam tentationem, qua poteſt, vel vi, vel dolo, ad ſeducendos homines in partem ſuam cogendo violenter, fraudulenterve fallendo. Quod ſi permitteretur, in tam longo tempore, & tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales Deus id perpeti non vult, & fideles dejiceret, & ne crederent, impediret: quod ne faceret, alligatus eſt.* Et *ſerm.* 197. *de temp.* (qui forte eſt S. Cæſarii) ait: *Alligatus eſt tanquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum, qui ſe illi mortifera ſecuritate conjunxerit . . . latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem.* Et S. Gregorius *l.* 2. *Mor. c.* 7. ait: *Conſideranda eſt in verbis Domini (Job.* 1. *v.* 12.) *diſpenſatio ſanctæ pietatis: quomodo hoſtem noſtrum permittit, & retinet; relaxat, & refrænat.* Rurſus S. Auguſtinus in *Pſ.* 61. ait: *Tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodeſt, ut exercearis, ut proberis: ut, qui te neſciebas, a teipſo inveniaris. Nam ubi,*

vel unde, niſi de hac poteſtate Dei, & miſericordia ſecuri eſſe debemus? Secundum illam Apoſtolicam ſententiam: fidelis Deus eſt, qui non patitur vos tentari ſupra id, quod poteſtis. 1. Cor. 10. v. 13. Et S. Ephrem tom. 1. c. 58. *Non enim quantum vult malignus, tentat, affligitque animam, ſed quantum ipſi a Deo permittitur .. Novit quippe Dominus, quantam ſubire poſſit probationem, atque tentationem anima, & tantam quoque permittit.* Ratio eſt *tertio*, quia Deus jubet, ut contra diabolum, ejusque tentationes pugnemus, easque vincamus: ergo ne impoſſibilia jubeat, potentis hujus hoſtis noſtri vires enervat, noſtras per gratiam ſuam auget, & tentatori eos limites ponit, ut ſuſtinere, & cum tentatione proventum facere valeamus.

Quomodo dæmon modo ligatus ſit.

Schol. Dæmon per Chriſtum ligatus fuit non in ſenſu omnino abſoluto, ſed comparative, quatenus ante Chriſtum comparative ad tempus chriſtianismi adeo per idololatriam, defectum veræ fidei, & turpiſſima vitia plurimos homines ſeducebat, ut quaſi totius mundi dominus, vel potius tyrannus eſſe videretur, quod ipſum iterum tempore Antichriſti continget: ſemper tamen fuit, & erit ſufficienter ligatus, ut contra nullum prævaleat nolentem, quod copioſiſſime in chriſtianismo, maxime in primitiva Eccleſia apparuit, & frequentius ſemper fieret, niſi nos peccatis noſtris dæmonum catenas laxaremus.

§. 200.

Tentationibus diaboli imperterrite reſiſtendum.

Omnibus his penſatis, ſcilicet, tam dæmonum potentia, & malitia in tentando, quam Dei providentia, nonniſi juxta vires noſtras nos tentari permittente, *tentationibus* in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti imperterrite reſi-

ſten-

lendum eſt. Oſtendunt hoc nobis *primo* exempla S. Scripturæ in Jobo, Davide, Paulo, quin & ipſo divino Salvatore noſtro, acerrime quidem tentatis, ſed glorioſe triumphantibus: confirmantque plures ejusdem S. Scripturæ ſententiæ, præſertim totus Pſalmus, *qui habitat*, ubi nobis præter Dei adjutorium etiam cuſtodia SS. Angelorum promittitur, ſub qua *ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*. Quippe uti S. Paulus *Rom.* 8. *v.* 31. abſolute docet: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Secundo*. Hoc docent PP. Origenes in c. 12. Num. hom. 7. *Cum ergo talibus te armaveris telis, ſequens Jeſum Ducem, ne verearis gigantes illos: videbis enim, quomodo illos ſubjiciet tibi Dominus Jeſus: & ſicut Patres calcaverunt cervices gentium, ita & tu calcabis ſuper cervices dæmoniorum: ipſe enim dicit illis, qui eum fideliter ſequuntur: ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* S. Iſidorus *l.* 3. *ſent. c.* 5. ait: *Multa juſtus adverſa in anima patitur inſtigatione dæmonum, ſed talibus tentamentis perire a vita æterna non poteſt: quia pius Dominus ad damnationem culpæ non reputat, quod de ſuæ majeſtatis permiſſu nolens, qui patitur, portat.* Et S. Thereſia *in vit. c.* 25. „Non capio iſta terriculamenta, *dæmonium*, „*dæmonium*, quando dicere poſſumus, *Deus*, „*Deus*, & facere illud tremere. Ita prorſus, „ſi quidem ſcimus, non ſe poſſe movere ſine „permiſſu Dei". Plura vide (§. 144.) *Tertio*. Rationem dat S. Ignatius *in lib. exercit. die* 4. *hebd.* 2. „Quia Chriſtus triplicem rempub-

 „li-

„ licam habet, ex qua milites vocat, unam
„ Angelorum in cœlo, alteram valde electo-
„ rum miniſtrorum in terra, tertiam virtutum
„ in ipſius juſti ſpiritu conſiſtentium; quas po-
„ tentibus ſuis inſpirationibus in ipſo conflictu
„ mirifice adjuvat. Quod ſi vires dæmonis
„ naturales noſtras ſuperent, noſtræ ſuperna-
„ turales multis partibus vires eorum exce-
„ dunt: quare, quod multi ei ſuccumbant,
„ propterea evenit, quod his viribus non utan-
„ tur ".

Schol. Quia ergo in nobis eſt gratia Chriſti; *ut non circumveniamur a Satana*, 2. Cor. 2. v. 11. regulas quasdam generáles a fide acceptas contra tentationes, quibus animæ perfectæ a dæmone impugnantur, quasque a §. 195. - 198. retulimus aſſignandæ ſunt, quibus tentator infernalis ſuperari valeat. Pro qua pugna obſervanda etiam erunt remedia, quæ a §. 144. - 147. contra tentationes in genere præſcripta ſunt.

§. 201.

Remedium contra tentationes in bonis corporis.

Et *primo* quidem contra tentationes diabolicas per *terrificas viſiones*, & mala in bonis *corporis* illata (§. 195.) defenſio in promptu eſt ex immobili illo fidei principio. 1. Cor. 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur &c.* Unde *Job. c.* 17. *v.* 3. ad Deum converſus ait: *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* Et S. Antonius in ſua maxima contra dæmones pugna reponebat: „ Si quid vale-
„ tis, ſi vobis in me poteſtatem Dominus de-
„ dit, ecce præſto ſum, devorate conceſſum.
„ Si vero non poteſtis, cur fruſtra nitimini?
„ Sig-

Signum enim crucis, & fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus eſt".

§. 202.

Secundo. Contra tentationes dæmonis per *voluptates* (§. 196.) defenſio erit, ſtare ſub adjutorio altiſſimi, ſub quo *conculcabis leonem, & draconem*, Pſ. 90. v. 13. & ſic monet S. Auguſtinus *in Pſ.* 90. *Viciſti leonem, unde & draconem: non te fregit leo: non te decipiat draco.* Sed in capite eum contere, nam uti ait S. Gregorius l. 17. Mor. c. 20. *Suggeſtioni ejus, ſi primo non reſiſtitur, repente totus ad interiora cordis, dum non ſentitur, illabitur.* Et S. Theresia *in vita c.* 25. „Quam conterritos habent „nos hi dæmones, quia volumus perterrefa„cere nos ipſos cum affectionibus noſtris ad „honorem, fortunæ bona, & delicias? Tunc „quidem fœderati illi nobiscum, qui ſumus „nobis adverſarii, amando, & optando, quod „debebamus odio habere, in magna nobis „damna erunt: quia cum noſtris ipſis armis „facimus, quod pugnent contra nos, illorum „tradendo manibus, per quæ nos tueri debe„remus. Magna hæc miſeria, ſi tamen om„nia odio habemus propter Deum, & crucem „amplexamur, fugit ille tentator ab iſtis veri„tatibus, ut a peſtilentia".

Remedium contra tentationes per voluptates.

§. 203.

Tertio. Contra tentationes malas, ſub *ſpecie boni* a dæmone propoſitas, defenſio erit, orare ad Dominum Pſ. 42. v. 3. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Et juxta Roſigno-

Remedium contra tentationes ſub ſpecie boni.

 lium

lium *de diſcipl. chriſt.* „ Modus cognoſcendi „ fallaciam eſt conſilium ſcripturarum, SS. Pa- „ trum, & ſpiritualium Magiſtrorum; ad con- „ ſilium porro impellit animi demiſſio ſancto „ timori conjuncta: humilis oratio adjuvat, „ maxime vero nulla de ſe exiſtimatio". Et Gerſon *tr. de div. tent. diab.* bene monet: „ Non- „ nunquam hortatur diabolus, humanum nihil „ pendere conſilium, ſed vel a ſolo Deo, vel „ ab oratione inſtructionem expectare. vel pro- „ priæ prudentiæ inniti, & quaſi ſecum ita „ dicere: quid in hac re agendum tibi ſit, ip- „ ſe, quam alius quisque, melius noſti: tibi „ enim melius res ipſa, tibi tuus animus, tua „ tibi melius comperta eſt facultas . . . Et „ hæc tentatio inter cæteras eſt pernicioſior, „ & amplioris periculi, perſonis devotis præ- „ ſertim, & his, qui acuta intelligentia pol- „ lent, & eſt profecto magna ſuperbia".

§. 204.

Remedium contra tentationes ſuperbiæ, & præſumptionis.

Quarto. Contra tentationes *ſuperbiæ*, & *præſumptionis* (198.) defenſio erit, ſi ſemper auribus noſtris inſonuerit illa ſententia S. Jacobi c. 4. v. 6. *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Nam juxta S. Auguſtinum ep. 56. poſt med. *Niſi humilitas omnia quæcunque bene facimus, & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit, & propoſita, quam intueamur, & appoſita, cui adhæreamus, & impoſita, qua reprimamur; jam nobis de aliquo bono gaudentibus totum extorquet de manu ſuperbia: vitia quippe cætera in peccatis, ſuperbia vero etiam in recte factis timenda eſt; ne illa, quæ laudabiliter facta ſunt,*

ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur. Unde S. Antonius, videns totum mundum ſine ullo vix effugio laqueis plenum, coelitus edoctus eſt, per ſolam humilitatem eos declinari poſſe. Et S. Thereſia *in Caſtello manſ.* 5. *c.* 3. *ſub fin.* ait: „ Diligentia, quæ mihi ut certior „ occurrit, eſt petere ſemper in oratione a Deo, „ ut manu ſua nos teneat, & jugiter cogitare, „ ſi nos deſerat, lapſuros eſſe quamprimum in „ in abyſſum, ut eſt veriſſimum: & nunquam „ fidere in nobis, quod eſſet turpiſſimus error“.

Adhortatio ad reſiſtendum diabolicis tentationibus.

Corollar. Igitur *ſobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.* 1. Petri 5. v. 8. Quod ſi vigiliæ noſtræ non ſufficiant, confugiamus ſimul ad adjutorium altiſſimi, & ſalva erunt omnia: ſcriptum eſt enim Pſ. 90. v. 5. *Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno: a ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incurſu, & dæmonio meridiano.* „ Quia ergo undique ſic circumdatus „ es, ait S. Bernardus *in Pſ. qui habitat*, tentatio„ nibus, ſcuto circumdabit te veritas ejus, ut „ quemadmodum undique bella, ita undique ſint „ præſidia . . . Veritas autem circumdat, quia „ verax eſt, qui promittit, & ſic exhibet, ut „ promittit . . . Hæ ſunt quatuor tentationes, „ quibus undique circumdati (ſcilicet a timore „ nocturno &c.) neceſſe habemus, circumdari „ etiam ſcuto Domini: ut ſit nobis a dextris, & „ a ſiniſtris, ante, & retro“. Potiſſimum autem vigilandum, & diabolo in hora mortis ſtrenue reſiſtendum eſt; tum quia tunc agitur de poſtremo diſcrimine negotii animæ noſtræ: tum quia ex hoc ipſo motivo inimici noſtri magis quam unquam ad tentandum furunt, & Deus illis plus permittit, ut ultima hæc probatio coronam noſtram illu-

illuſtriorem reddat, unde animam vel ad infideli-tatem, vel deſperationem, vel impatientiam, vel ad aliquod occultum vitium, de quo ratio habita non fuit, tentant. Uti obſervat Gerſon *tr. de var. tent.* „ Nonnunquam enititur hoſtis, ut, quamquam recte quis cuncta faciat, in uno tamen ſolo labatur, & delinquat: illi quippe ſatis eſt, ſi animæ caſtrum vel uno patente ſibi adytu narciſcatur, capiatque. Hanc autem occultat aliquando tentationem, quoad usque mors advenerit: quo ſane tempore ſævius, majorique dolo tentat, & confligit, ſciens, ſi tunc defecerit, penitus ſe fruſtratum “. Deus bone! quale periculum! verum Deo ſint grates: nam ſi nunc proponamus, & tunc, quod faciendum eſt, faciamus, glorioſe triumphabimus. Vigilemus, oremus, operemur cum timore, & tremore ſalutem noſtram, & toto corde ad Dominum convertamur: & in hora mortis firmabitur fides, erigetur ſpes, exardeſcet charitas: ſtrue tribulationum accenſa, conſumptisque propriis defectibus, eodem hoc igne hoſtes noſtri in fugam convertentur. In hunc finem clementiſſimus Deus nos adjuvabit gratia, & inſpirationibus ſuis, Deiparæ precibus, Angeli tutelaris cuſtodia, Sacramentorum ſubſidio, Eccleſiæ orationibus, aquæ benedictæ aſperſionibus, S. Crucis ſigno, maxime vero Sacramenti extremæ unctionis devoto uſu, quod a Chriſto Domino etiam ad hoc inſtitutum eſt, ut infirmus *tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtat. Trid. ſeſſ.* 14. *de extr. Unct.*

§. 205.

Quartus modus purgationis per poſſeſſionem dæmonum.

Quarto. Purgatio paſſiva partis ſenſibilis ſubinde perficitur per *dæmonum poſſeſſionem:* dicuntur autem dæmones corpus poſſidere, vel in eo exiſtere, cum illud ingreſſi varias in eo operationes exercent, ac eis a Deo illud torquere permittitur.

Schol. 1.

Schol. 1. Quanquam ſecundum communem loquendi uſum, quicunque ſunt a dæmone poſſeſſi, etiam obſeſſi dicantur, & obſeſſi omnes poſſeſſi vocentur, & energumeni: in rigore tamen, & ſecundum vocabuli proprietatem valde inter ſe differunt. Nam *obſeſſi* proprie ſunt illi, in quibus dæmon non eſt, ſed qui tamen ab eo extra exiſtente vexantur, & affliguntur. *Poſſeſſi* vero dicuntur, in quibus dæmon eſt, varias operationes in eis exercet, eosque Deo permittente torquet. Hi poſſeſſi aliis nominibus etiam vocantur 1. *Dæmoniaci,* eoquod ſub dæmonis poteſtate ſint conſtituti. 2. *Energumeni*, id eſt, vexati: quia a dæmone poſſidente torquentur. 3. *Arreptitii:* quia inviti ad plura facienda, vel potius patienda a dæmone arripiuntur. 4. *Maleficiati*, ſi ope maleficiorum a dæmone poſſidentur. Quare Petrus Thyræus *p.* 1. *de Dæmoniac. c.* 2. duo requirit, ut quis poſſeſſus, vel dæmoniacus cenſeatur. „ Unum, ut in hominibus ipſis dæmo„ nes ſint: alterum, ut etiam poteſtatem quam„ dam in eosdem acceperint ".

Differentia inter poſſeſſionem, & obſeſſionem.

Schol. 2. Quod dæmon corpora hominum poſſidere, & obſidere poſſit, certum de fide eſt, & probatum fuit: (*Comp. Th. t.* 1. §. 202.) ſigna poſſeſſionis dæmoniacæ alia ſunt certa, & evidentia, alia conjecturalia, & probabilia. Certiora ſunt. 1. Si rudis, & ignorans homo poſſeſſus de rebus ſcientificis perfecte loquatur. 2. Si talis ignorans perfecte linguam peregrinam, quam nunquam didicit, loquatur. 3. Si occulta, & abſentia, quæ naturaliter ab homine ſciri non poſſunt, captum tamen dæmonis non excedunt, nec ſanctitati ejusmodi hominis tribui poſſunt, manifeſtet. 4. Si ad præceptum Exorciſtæ ſub adjuratione nominis Jeſu prompte obediat, vexando, vel non vexando, impediendo, vel non impediendo hoc vel illud membrum &c. Plura colligit Brognolus *in Manu. Exorc. p.* 1. *c.* 2. *a.* 5. Illud etiam obſervat Thyræus *de Dæmoniac. p.* 1. *c.* 8. quod dæmon vel ſponte

Dæmon corpora hominum poſſidere poteſt.

Signa poſſeſſionis.

te ſua, vel coactus aliquando a poſſeſſo exeat, & ad eum iterum revertatur, quod confirmat exemplo pueri dæmoniaci *Luc.* 9. de quo ſuus Pater dixit v. 39. *& vix diſcedens dilaniat eum:* quod juxta Maldonatum *in Matth.* 17. *v.* 15. indicat, dæmonem in hoc adoleſcente non perpetuo manſiſſe, ſed aliquando exiiſſe, aliquando rediiſſe: quod ipſum Chriſtus innuere videtur *Marc.* 9. *v.* 25. dæmoni præcipiens: *Exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.* Idem ſupponitur a Chriſto D. *Matth.* 12. *a v.* 43. in parabola de immundo ſpiritu, poſt ſuum diſceſſum redeunte. Item de illo ſpiritu nequam 1. *Reg.* 16. *v.* 14. qui Saulem exagitabat, uti cum communi docet Sanctius ex v. 23. *Recedebat ab eo ſpiritus malus*, & c. 18. v. 10. *Invaſit ſpiritus Dei malus Saul.*

Dæmon animam non poſſidet.

Schol. 3. Proprie loquendo dum dæmon hominem poſſidet, hoc debet intelligi ſecundum corpus, non autem ſecundum animam. Ita docet Gennadius *l. de Eccl. dogm. c.* 83. inter opera S. Auguſtini dicens: *Dæmones per energicam operationem non credimus ſubſtantialiter illabi animæ, ſed applicatione, & oppreſſione uniri. Illabi autem menti ſoli illi poſſibile eſt, qui creavit: qui natura ſubſiſtens incorporeus culpabilis eſt ſuæ facturæ.* Idem docet Magiſter 2. *ſent. d.* 8. & S. Thomas *ibid. a.* 5. *ad* 3. qui dat hanc rationem, quod eſſe in alio ſit eſſe inter terminos ejus, quod facile ſit reſpectu corporis, in quo ſunt termini quantitatis; reſpectu autem ſpiritus, qui ſolum habet terminos eſſentiæ, in ipſum non intrat, niſi ille, qui dat eſſe, ſcilicet Deus creator: quia ob limitationem uniuscujusque, unus ſpiritus ab alio ſive in eſſendo, ſive in operando intrinſecus non dependet, ſed a ſolo Deo ſupremam in omnes habente poteſtatem.

Explicatur, quomodo poſſeſſio fiat.

Schol. 4. Proprie igitur dæmon tantum corpus poſſidet, quod ſit non ſolum, quod dæmon corpus penetrative ingrediatur: quia hoc illi tanquam ſpiritui facillimum eſt, & forte ſæpe per corpora humana

mana ingreditur, & egreditur. Nec ſit, quod ſolum intra corpus operetur, quod facit etiam circa non poſſeſſos: ſed hæc poſſeſſio conſiſtit in eo, quod dæmon ſit intra corpus, & intra illud operetur cum ſpeciali poteſtate, utendi deſpotice, & invito etiam homine ad irregulariſſimas operationes, & pœnalitates membris, & humoribus corporis. Hoc modo dæmon poſſidens unitur cum homine poſſeſſo, ut movens intrinſecum, & illapſum mobili per illapſum non ſolius penetrationis, ſed ſpecialem cum dominio, & poteſtate in corpus. Ex quo colligit Thyræus *de dæmoniac.* *c.* 3. 1. araneas, muſcas, & ſimilia, quæ aliquoties ingrediente, vel egrediente dæmone ex poſſeſſo cernuntur, poſſe quidem vera eſſe corpora, vel tunc a dæmone formata, vel adducta; ſed etiam poſſe eſſe mere phantaſtica, & aerea: ſi vera ſint, vel aerea, dæmon in illis latere, easque exterius movere poteſt, licet incertum ſit, quomodo hic, & nunc ſiat, quamdiu tamen dæmon hominem poſſidet, non eſt tantum in illa beſtiola, ſed in aliqua parte hominis. 2. *c.* 9. Notat, poſſe dæmones in poſſeſſum ingredi, & ab eo egredi per quemcunque corporis meatum, per poros, imo & per puram penetrationem, frequentius tamen per os, maxime cum cibus, & potus intervenit: unde orta dicitur conſuetudo, os in oſcitationibus ſigno crucis muniendi. 3. *c.* 10. Obſervat, poſſe dæmonem in toto poſſeſſi corpore definitive reſidere, vel in quavis parte, in aliquo membro, in humoribus, in minutiſſima particula: item eum poſſe ſubinde ſedem ſuam mutare, frequentius tamen in corde morari, aut prope illud, unde facilius toti corpori agitando, vel impediendo dominetur. 4. *c.* 13. Notat, ad poſſeſſionem unum dæmonem ſufficere, licet ſæpe plures concurrant, uti ex Evangelio conſtat in ſeptem dæmoniis Magdalenæ, & in illo, qui ſe vocavit, *Legio.* 5. denique *c.* 14. docet, illos tam multos dæmones ad magis cruciandum poſſeſſum convenire, vel alternando

quoad

quoad tempus, vel ſimul invadendo, facta per partes diſtributione, vel multis ad ſingula pariliter concurrentibus.

§. 206.

Plerumque ſoli peccatores a dæmone poſſidentur.

Plerumque ſaltem non perſonæ ſanctiores præciſe ut probentur, ſed *peccatrices*, peccati ſaltem venialis reæ, ut puniantur, *poſſeſſionem dæmonum* exercentur. Probatur, *primo* ex S. Scriptura, ubi *Matth.* 12. *v.* 43. & *Luc.* 11. *v.* 24. cum occaſione dæmonis ejecti, uteretur Chriſtus parabola dæmonis ejecti, & iterum redeuntis, pro cauſa hujus reditus dedit, quod inveniat domum animæ *vacantem*, *ſcopis mundatam*, & *ornatam:* id eſt Deo vacuam, & ſoli ſpiritui immundo mundam, ac vitiis ornatam. Item 1. *Reg.* 16. *v.* 14. dicitur: *Spiritus autem Domini receſſit a Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam a Domino.* Ubi pro ratione exagitationis a ſpiritu nequam aſſignatur, quod ſpiritus Domini a Saul per peccatum receſſerat. Et Luc. 7. v. 37. dicitur Maria Magdalena *in civitate peccatrix:* & c. 8. v. 2. dicitur illa fuiſſe, *de qua ſeptem dæmonia exierant:* quæ nimirum propter peccatum eam poſſederant. Accedit illa traditio peccatorum in poteſtatem Satanæ ab Apoſtolo facta: ſcilicet cujusdam fornicarii, 1. Cor. 5. v. 5. *tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis.* Et duorum blasphemorum 1. Tim. 1. v. 20. *quos tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare.* Per quæ non ſolum facta eſt eorum excommunicatio, ſed etiam juxta ſolemnem Patrum interpretationem, corporalis a dæmone poſſeſſio: ſi quidem Cornelius a Lapide

de ibi notat, hanc aliquorum Patrum traditionem fuiſſe, excommunicatos olim dæmoni traditos, ut excommunicationem timere diſcerent, etiam ab eo corporaliter vexatos, & quaſi poſſeſſos fuiſſe. *Secundo* patet ex PP. S. Auguſtinus *l.* 10. *de civit. c.* 22. ait, loquens de dæmone per exorcismos ejecto: *Non enim aliquem vincit, aut ſubjugat, niſi ſocietate peccati.* S. Iſidorus l. 3. ſent. c. 5. *Quidam ob incorrigibilem iniquitatem, quia ſponte non corriguntur, immundis ſpiritibus vexandi traduntur, ut arripiendi eos dæmones corporaliter habeant poteſtatem, terroribusque eorum afflicti humilientur, pæniteant, & ſalventur.* Caſſianus *Collat.* 7. *c.* 24. ex Abbate Sereno inquit: *Conſtat, immundos ſpiritus non aliter poſſe in illos, quorum obtenturi ſunt corpora, penetrare, niſi prius eorum mentes, cogitationesque poſſederint.* Et quod etiam ob peccata levia ſubinde hoc contingat, idem Caſſianus *c.* 22. docet: *Cæterum corporaliter traditos Satanæ . . . etiam viros ſanctos novimus pro leviſſimis quibusque delictis.* *Tertio* patet ab exemplis a Delrio, & Thyræo copioſe relatis: & omiſſis quidem exemplis poſſeſſorum ob delicta gravia, nonnulla ob culpas leves indicaſſe ſufficiat. Sic Caſſianus *Collat.* 7. *c.* 27. narrat, quod Abbas Moyſes ob durius verbum in diſputando cum Abbate Macario ſibi elapſum, illico adeo enormiter a dæmone correptus fuerit, ut humanas egeſtiones proprio ori ingereret, licet orante Macario ſtatim liberatus fuerit. S. Gregorius *l.* 1. *Dial. c.* 4. de quadam Moniali refert, eam ideo a dæmone poſſeſſam, quod lactucam in horto, non præmiſſa benedictio-

dictione, avide memorderit, quam S. Equitius Abbas liberavit. Et *c.* 9. refert, juvenem nuptam a dæmone poſſeſſam eſſe, quod pridie cujusdam celebritatis S. Stephani voluptate victa ab uſu conjugii non abſtinuerit. *Quarta* Ratio eſt: quia æquum eſt, Deum etiam in hac vita peccatores potius, quam juſtos ſubinde diabolo poſſidendos, & torquendos tradere; tum ut peccatum velut illius cauſam magis exhorreſcant: tum ut tentationibus diaboli, tam crudelis tortoris, aures non præbeant: tum ut cognoſcant, qualiter torquendi ſint in igne æterno infernali, vel purgatorii, qui modo in vita tam acerbe a dæmone vexantur: tum ut alii eorum exemplo a peccatis reſipiſcant.

An Angeli boni, & animæ beatæ, vel purgatorii corpora poſſidere poſſint.

Schol. 1. Quæri poſſet, an præciſe poſſeſſio fieri debeat a dæmone, an vero etiam ab Angelo bono, anima in cœlo beata, aut in purgatorio detenta, vel anima infantis ſine Baptiſmo defuncta, vel ab anima damnata fieri poſſit. *Reſpondeo* ordinarie ex ſignis allatis (§. 205. *Sch.* 2.) prudentiſſime cenſetur quis poſſeſſus a dæmone, quidquid ſit de caſu aliquo raro excogitabili alterius poſſeſſionis, quam eſſe poſſibilem ſupponit S. Thomas 1. *p. q.* 51. *a.* 3. *ad* 1. & Siuri *tr.* 7. *de noviſſ. n.* 16. Nam 1. ſolæ poſſeſſiones a dæmone, & non aliæ habentur in S. Scriptura. 2. Torquere per ſe loquendo nonniſi dæmonibus competit: animabus damnatis, & purgatorii per ſe non convenit, niſi juvare. 3. Quia ſi Deus rariſſimam exceptionem in hoc caſu vellet, illam per ſpecialiſſima ſigna manifeſtaret, quæ etiam ſpeciali examine probanda forent. 4. Quia ſæpe vexationi corporis miſcetur prava tentatio, quæ certe a bono Angelo, vel anima beata poſſidente eſſe nequit. 5. Quia exorciſmi Eccleſiæ ſemper cum poſſidente tanquam diabolo agunt, a quo etiam obedientiam obtinent: ergo non aliam, quam

quam poſſeſſionem diabolicam eſſe ſupponunt. Merito proinde S. Bernardinus *t.* 2. *ſerm.* 65. *a.* 1. *c.* 1. fatuum dicit, & minime faciendum, credere ſpiritui poſſidenti, dum ſe animam talis, vel talis eſſe dicit, prout etiam Theologi communiter advertunt.

Ad quid exorciſmus in Baptiſmo ſerviat.

Schol. 2. In Baptismo exorcizantur baptizandi, non quod omnes a dæmone in corpore ſint poſſeſſi, ſed cum ratione peccati originalis ſecundum animam ſub ſpeciali dæmonis poteſtate ſint, ab ea primario per exorciſmum liberari intenduntur, ſecundario vero, & per accidens haberet etiam ille exorciſmus virtutem, ejiciendi dæmonem a corpore, ſi forte baptizandus foret energumenus: nam Tridentinum *ſeſſ.* 5. *can.* 2. inter effectus peccati originalis numerat *captivitatem ſub ejus poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt, diaboli.* Et ideo juxta Catechiſmum Rom. *de Bapt.* §. *reſtat.* Baptiſmi exorciſmus inſtitutus eſt.

§. 207.

Animæ ſanctæ a dæmone poſſideri poſſunt.

Fieri quoque poteſt, ut *perſonæ ſanctiores* etiam dæmonum *poſſeſſione* exerceantur, & purgentur. Probatur *primo* ex S. Scriptura *Marc.* 9. *v.* 20. ubi interrogante Chriſto a patre illius arreptitii, quantum temporis eſſet, ex quo hoc illi accidiſſet, reſpondit pater: *Ab infantia:* ergo ſi infantibus etiam innocentiſſimis, & a peccato originali purgatis contingere poteſt, & ſubinde etiam contigit, ut a dæmone poſſiderentur, cur non etiam adultis ſanctis contingere poterit. Quod ſi dicas infantibus ob aliena peccata hoc accidere, hoc probandum foret; & ſaltem etiam adulti ſancti eodem modo pro alienis peccatis vel vitandis, vel expiandis hoc pati poterunt. *Secundo.* Acce-

cedunt PP. S. Auguſtinus *l. 22. de civ. c. 22.* ait: *Contra milleformes dæmonum incurſus, quis innocentia ſua fidit? quandoquidem ne quis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus certe nihil eſt innocentius, aliquando ſic vexant, ut in eis maxime, Deo ſinente, iſta monſtretur hujus vitæ flenda calamitas, & alterius deſideranda felicitas.* Et certe S. Hieronymus *ep. 25. ad Paulam poſt init.* inquit: *Quid cauſæ eſt, ut ſæpe bimuli, trimulique, & ubera materna lactentes a dæmonio corripiantur?* Caſſianus *Collat. 7. c. 27.* narrata obſeſſione Moyſis (§. 206.) addit: *Quod flagellum purgationis gratia ſe Dominus intuliſſe, ut ſcilicet in eo vel momentanei delicti macula reſideret, velocitate curationis ejus, atque authore remedii demonſtravit; nam continuo, Abbate Macario in oratione ſubmiſſo, dicto citius nequam ſpiritus ab eo fugatus abſceſſit.* Et *c. 28.* dicit, non debere ejusmodi arreptitios contemni: quia & Sanctis pro majori ſanctitatis bono Deo permittente contingere poteſt, quia *idcirco eos velut pædagogis tradit humiliari, ut diſcedentes ex hoc mundo, vel purgatiores ad vitam aliam transferantur, vel pæna leviori plectantur.* S. Chryſoſtomus *hom. 41. in Acta poſt med.* ait: *Dæmon non prohibet regnum cælorum aſſequi: licet cooperetur, invitus quidem: cooperatur autem, faciens habentem ſe continentiorem; peccatum autem ejicit.* Probatur *tertio* ab exemplis, in quibus magni Dei Servi poſſeſſione dæmonum non ſolum purgati, ſed etiam probati, & purificati ſunt. Talis fuit Stagirius magnæ perfectionis monachus, quem poſſeſſum a dæmone conſolabatur S. Chryſoſtomus *l. 2. de Prov. ſub init.* dicens:

iæ enim utilitas, quæſo te, a dæmone non cor-ri, ſi omnis converſatio & diligenter exacta, & e concluſa fuerit? Talis fuit Abbas Alexan-r, de quo Rosweidus *in vit. Patr. l.* 10. *c.* 22. Joan. Moſcho refert, quod per decem ante)itum dies a dæmone arreptus contra eum renue certaverit, & demum in pace occu-uerit. Talis fuit illa magnæ virtutis fœmi-a, quam a dæmone arreptam S. Cuthbertus beravit, & liberaturus eam innocentem eſſe ſſeruit, teſte ven. Beda *t.* 3. *in ejus vita c.* 15. 'alis fuit alius, de quo Rosweidus *l.* 4. *c.* 13. x Sulpitio Severo narrat, quod miraculis cla-us, præcipue in liberandis energumenis, ora-erit Deum, ut & ipſe a dæmone poſſideretur, uod & factum eſt, & demum quinto menſe on tantum a dæmone, ſed, quod illi utilius, z optatius erat, a vanitate liberatus eſt. *Quar-o.* Rationem dat Caſſianus *l. c.* quia bonum ſt, patienter pati, & humiliari, cujus utrius-que occaſionem poſſeſſio diabolica etiam ſanctis ubminiſtrat. Accedit, quod etiam propter eccata levia ſubinde pœna poſſeſſionis diabo-licæ ad purgandam animam incurri poſſit. (§. 206.) Ergo nullus quantumvis juſtus ab hac pœna, ſicut nec ab omni peccato levi, exemptus eſt: imo licet in animas ſanctas, nonniſi leviores inter, leves culpæ cadant, me-rentur tamen illæ pœnam purgatorii, quæ me-lius per poſſeſſionem dæmonis exſolvi poteſt. Denique Thyræus *de dæmoni. c.* 22. hoc ex eo confirmat: quia per hanc poſſeſſionem Deus juſtos probat, ipſorum merita auget, & ma-joribus, ac pluribus modis ſe iisdem conſtrin-git,

git, præterquam quod univerſo mundo per illos virtutis egregia exempla præbeat.

§. 208.

Poſſeſſio diabolica animarum ſanctarum rara eſt.

Hæc tamen *poſſeſſio* diabolica nonniſi in ſervis Dei, & animabus *ſanctioribus* accidit, maxime, ut præciſe probentur, & perficiantur. Colligitur hoc *primo* ex ſacris litteris, in quibus, licet multa legamus de ſervorum Dei etiam per dæmones probationibus, ut perficiantur, nusquam tamen reperimus, aliquem illorum per dæmonum poſſeſſionem probatum eſſe. Quinimo poſitive habemus, quod cum Deus quaſi ſummum patientiæ exemplar in S. Job exponere vellet, data Satanæ eum affligendi liberaliſſima poteſtate, facta tamen eſt exceptio c. 2. v. 6. *Verum tamen animam illius ſerva*, quod poſt Caſſianum *collat.* 7. *c.* 12. Pineda in Job ita explicat: „ Sed vetitum tibi „ eſſe noveris, ne in ejus vitam quidquam „ moliaris: neque animum, qui ſui arbitrii „ eſt, intellectumve obruas, & partes, organaque corporis, rationi miniſtrantia, occupes, „ aut a recto ſtatu dejicias “. Quod idem eſt, ac ne illum poſſideas, & rationis uſum impedias. *Secundo.* Hoc innuunt PP. S. Auguſtinus *l.* 10. *de civ. c.* 22. (§. 206.) & Caſſianus *Collat.* 7. *c.* 27. *&* 28. (§. 207.) qui aſſerunt nonniſi ob peccata, ſaltem ut plurimum, uti Gazæus *ad Caſſiani coll.* 7. notat, punienda Deum poſſeſſionem diabolicam permittere: & ſi quando etiam peccata levia in Sanctis hoc modo vindicet, non vexantur, ut probentur, & perficiantur, ſed ab illis purgentur, uti Caſſianus

ſianus in caſu Moyſis (§. 207.) obſervat. *Ter-
tio.* Ratio eſt: quia ſtatus arreptitii valde im-
pedit exercitium perfectionis, uti ex recenſen-
dis mox impedimentis apparebit, & ſatis ap-
paret ex perturbato, & everſo in illo ſtatu uſu
rationis, qui tamen ad augenda merita, & per-
fectionem per ea promovendam omnino requi-
ritur, qui eſt totus finis, animas ſanctas per
diabolicas vexationes probandi, & perficiendi:
atque hæc eſt ratio, cur animæ ſanctæ potius
per obſeſſionem probentur, & perficiantur,
poſſeſſionibus vero, vel raro admodum, vel
nonniſi ex parte, & tranſeunter, quod vix ad
propriam poſſeſſionem ſufficit.

Schol. 1. Proinde imprudentes, & temere nonnullæ perſonæ ſpirituales, maxime fœminæ, ſub prætextu pro Christo patiendi, a Deo petunt, ut dæmoni poſſidenti tradantur, vel nonnunquam ex ſuggeſtione dæmonis transformantis ſe in Angelum lucis, putantes hanc eſſe voluntatem Dei, dæmoni ultro ſui poteſtatem faciunt, & de facto ab illo arripiuntur. Temere tales procedunt, dum poſthabito, vel non quæſito majorum ſuorum conſilio ipſæmet ſibi a Deo in ſchola perfectionis progrediendi modum juxta ſuam propriam voluntatem aſſignare volunt, idque per dæmoniacas vexationes poſſeſſorias, non conſiderantes, præter impedimenta in ſpiritu progrediendi, mala etiam culpæ, quæ a diabolo inceſſanter contra Dei honorem, & ſalutem noſtram intentantur; quaſi vero Deo perfectiora media non ſuppetant, quibus ſecurius virtutum incrementa obtineri valeant. Nec proſunt exempla nonnullorum Sanctorum, quæ magis admiranda, quam imitanda ſunt, & ſpecialem Spiritus S. impulſum ſupponunt. *Poſſeſſio temere petitur.*

Schol. 2. Ut autem temeritas, ſibi, vel aliis poſſeſſionem diabolicam optandi, & poteſtas nocendi dia- *Quid dæmon in*

 boli

poſſeſſos poſſit.

boli in ea conſtet, juvat illa mala indicare, q
dæmon poſſeſſo inferre poteſt. Igitur 1. d
impedire poteſt ſenſus externos illius, quer
ſidet: uti conſtat *Matth.* 9. *v.* 32. & *c.* 12.
Marc. 7. *v.* 32. & *c.* 9. *v.* 16. *Luc.* 11. *v.* 14.
Chriſtus D. liberavit, & ſanavit mutum, d
nium habentem; & cæcum ſimul, ac mutum, u
pe a dæmone poſſidente his ſenſibus impedi
uti Maldonatus exponit: quod fit, dum motum
di nervei, ſeu ſpirituum vitalium impedit, ne
cerebrum propagetur, & ita ſenſatio viſus, a
auditus ſequi non poſſit in anima. 2. Dæ
ſenſus internos poſſeſſi maxime phantaſiam,
imaginationem immutare poteſt: uti *Matth.*
v. 28. *Marc.* 5. *v.* 2. *Luc.* 8. *v.* 27. *Act.* 16. *v.* 1
& *c.* 19. *v.* 16. liberavit, & ſanavit Chriſtus d
moniacum, imo duos dæmoniacos, qui nudi ha
tabant in ſepulchris, & montibus, ſæviebant
tranſeuntes per viam, & ſeipſos, clamabant, q
ipſi neſciebant: uti & S. Paulus liberavit *puell*
pythoniſſam habentem ſpiritum divinationis: al
vero dæmoniacus ferox inſiliit in falſos exorci
Judæos, loquente ſimul dæmone per ipſum, u
do ſcilicet organis locutoriis, & lingua eorum
voces formandas, & ſermocinandum. Hi aut
dicti effectus nonniſi ab immutata phantaſia pro
dere potuiſſent, ſcilicet per commotionem fl
nervei, ſeu ſpirituum, & humorum eo mod
quo ſomnia fiunt, quæ commotio tanta eſſe *pote*
ut ejusmodi phantasmata etiam in vigilanti
fiant, uti in phreneticis apparet. 3. Cum pha
taſia ita immutata, & perturbata, etiam appetit
ſenſitivus poſſeſſi immutari, & ad iram, triſtitiam
odium, amorem &c. impotenter impelli poteſt
uti phreneticis contingit, & patet ex paulo ant
citata hiſtoria Evangelica: quod fit, dum dæmo
humores, & ſpiritus commovendo varia phanta-
ſmata irritativa excitat (§. 91. *Schol.*) & *deinde*
paſſiones partis tam concupiſcibilis, quam iraſcibi-
lis irritat. (§. 89. *cum Scholiis*) Quod ſi in his

moti-

otibus hominis libertatem omnino præoccupet,
ti fieri poteſt, nullum peccatum erit: ſi non om-
ino præoccupet, ſed vel plene, vel ſemiplene
bertati ſubſint, uti etiam fieri poteſt, peccata vel
ravia, vel levia erunt. 4. Dæmon in ſanitatem,
t vitam corporalem poſſeſſi multa, & atrocia age-
poteſt, uti præter allegata conſtat ex *Matth.* 15.
22. ubi Chananææ filia dicitur a dæmonio ma-
vexata. Et *Luc.* 13. *v.* 11. alia mulier dicitur
buiſſe ſpiritum infirmitatis 18. annis, ita ut tota
urva nec oculos ad cœlum levare poſſet. Quod
aleſius *de ſacr. Philoſ. c.* 28. ita explicat: au-
„ gendo melancolicum ſuccum, & eum, qui ine-
„ rat, commovendo, deferendoque in cerebrum,
„ & internorum ſenſuum ſedes, vapores nigros:
„ augere vero poteſt melancoliam eam, quæ na-
„ turaliter generatur, detinendo, ne expurgetur,
„ aut quaſcunque exurentes cauſas admovendo.
„ Epilepſiam vero, Apoplexiam, Paralyſin, aut
„ Catochum, deferendo craſſos ſuccos, ac per eos
„ cerebri ventres, aut ipſas nervorum radices ob-
„ ſtruendo“. 5. Dæmon in animam hominis
oſſeſſi, ejusque potentias ſpirituales intellectum,
x voluntatem nihil quidem immediate facere, &
leſtruere, nec eam in animam bruti transmutare,
ıec in aliud corpus transferre, nec potentias ſuas
ſpirituales ei auferre, nec actus intellectus, & vo-
luntatis in ſui compote impedire poteſt. Nihilo-
minus uſum actuum potentiarum ſpiritualium ani-
mæ impedire, vel mediate, & indirecte multipli-
citer immutare valet, nimirum impediendo, &
perturbando phantasmata, (*n.* 2.) unde intellectus
obfuſcari poteſt, ut in ſcrupuloſis, melancolicis,
vel etiam obrui, ut in dormientibus, ebriis, &
phreneticis; unde dum mens plene obruitur, a
cujus indifferenti judicio libertas dependet, hæc
etiam in voluntate deficit, quoties vero indiffe-
rentia judicii manet, manet etiam libertas, licet
vehementer agitata: uti viſum eſt in Saule, &
apparet in arreptitiis, quando dicunt, & agunt,

Ff 3 quæ

quæ ipſi neſciunt, vel impotes ſui faciunt, & loquuntur. Unde bene notat S. Thomas *p.* 1. *q.* 111. *a.* 2. quod ſolus Deus voluntatem etiam liberam efficaciter inclinare, & movere poſſit; Angelus vero ſolum per modum ſuadentis per phantasmata, & per modum excitantis per paſſiones in appetitu commotas, *non tamen ex neceſſitate: quia voluntas ſemper remanet libera ad conſentiendum, vel reſiſtendum paſſioni.* Sed in ſimul S. D. 1. 2. *q.* 80. *a.* 3. obſervat dæmonem poſſe inducere ex neceſſitate, ad faciendum aliquem actum, qui ex ſuo genere eſt peccatum: *Quod patet ex hoc, quod homo motivo ad peccandum non reſiſtit niſi per rationem, cujus uſum totaliter impedire poteſt, movendo imaginationem, & appetitum ſenſitivum, ſicut in arreptitiis patet: ſed tunc ratione ſic ligata, quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum: ſed ſi ratio non ſit totaliter ligata, ex parte, qua libera eſt, poteſt reſiſtere peccato.* 6. Univerſim dæmon nihil facere poteſt niſi per motum localem, & applicando activa paſſivis: quia vero cauſarum naturalium, & virtutum earum perfectiorem longe, quam nos, cognitionem habet, & modum artificioſæ applicationis cum maxima motus agilitate optime novit, ea, quæ in poſſeſſos facit, & facere poteſt, naturæ vires ab eo adjutas non excedunt.

§. 209.

Primum remedium contra poſſeſſionem uſus medicinæ.

Si quis igitur a dæmone *poſſeſſus* reperiatur, patienter quidem ferre, ac cum divina gratia ex hoc exercitio, quamdiu durat, proficere debet: interim tamen etiam ſanctum, & ad perfectionem expedientiſſimum eſt, ut cum debita reſignatione, per modos, & *media* humana, & divina, Deo accepta, liberationem procuret, quorum præcipua hic modo aſſignanda ſunt. *Primum* proinde *remedium*, vel admini-

miniculum eſt, juvari per *curationem medicam*, in quantum ſine periculo, & cum aliquo profe-ctu humores a dæmone alterati, & perturbati corrigi poſſunt. Poteſt enim contingere, quod dæmon morbo quidem a ſe illato, ſed cætero-quin naturali, uti hypocondria, vel epilepſia torqueat: poteſt etiam fieri, ut dæmon non permittatur, medicamentis obſiſtere, vel morbum renovare, aut novum inferre, maxime, ſi media ſpiritualia ſimul adhibeantur: poteſt etiam eſſe, quod Deus nonniſi independenter, & neglecta medicina dæmoni poſſeſſum torquere permiſerit, ſicuti etiam Saul melius habebat, & ſpiritus malus ab eo recedebat, Davide citharam pulſante, quo concentu paſſio, & humor melancolicus miteſcebat. Ergo, concludit Valeſius *l. c.* „ non erit ſemper ſatis, „ fugaſſe dæmonem, niſi morbum etiam cu-„ res". Qui ſi ſit per medicinam omnino incurabilis, tum demum omittenda erit.

Schol. Theologi paſſim conſentiunt, remedia naturalia nullam habere vim directe ad dæmonum expulſionem, ſed ad ſummum indirecte, & diſpoſitive modo dicto. Et Brognolus *p.* 1. *c.* 3. *a.* 5. *q.* 19. *ſuæ manud. exorc.* acriter merito invehitur tam contra Medicos, qui agnita dæmonis poſſeſſione contendunt, ſe ſolis per artem medicam, dæmonem abigere; quam contra Exorciſtas, qui ſeſe ingerunt in medicando poſſeſſum remediis naturalibus: uterque debet cooperari, prout poteſt, neuter autem temere in alienam meſſem falcem mittere. *Quomodo medicina adhibenda.*

§. 210.

Secundum remedium eſt *purgatio conſcientiæ*, & quidem, ſi ſit peccator, per confeſſionem gene- *Secundum remedium purgatio*

conſcientiæ.

generalem, & deinde cum emendatione frequentem uſum Sacramenti pœnitentiæ: ſi rapidus ſit, per renovationem fervoris in exercitiis quotidianis, & ex profeſſo per aliquot dies recollectionis, cum boni directoris conſilio: si perfectioni ſtudeat, ſe curioſe perſcrutando, an non forte peccatum aliquod etiam veniale, aut paſſio in eo lateat, ad cujus purgationem, malum hoc evenit, quæ proinde ſtudioſe eradicanda ſunt: ante omnia vero cavendum, ne poſſeſſus in nova peccata iræ, impatientiæ, deſperationis &c. labatur, licet enim ſæpe dæmon hæc in poſſeſſo excitet, ſæpe tamen, & ipſe reſiſtere poteſt, & debet. (§. 208. *Sch.* 2.) Faciat igitur ut Magdalena, quæ ſi ob ſua peccata a dæmone poſſeſſa eſt, ob dolorem, ut videtur, de peccatis ſuis a Chriſto liberata fuit *Luc.* 8. *v.* 2. vide Delrio.

§. 211.

Tertium remedium uſus SS. Euchariſtiæ.

Tertium remedium eſt prudens, & devotus *uſus SS. Euchariſtiæ*, & Miſſæ auditio. Ita decrevit Concilium Arauſicanum I. a. 441. can. 14 *Energumeni jam baptizati, ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſollicitudini Clericorum tradant, monitisque obtemperent, omnimode communicent, Sacramenti ipſius virtute, vel muniendi ab incurſu dæmonum, quo infeſtantur, vel purgandi, quorum jam oſtenditur vita purgatior.* Et Abbas Serenus apud Caſſianum collat. 7. c. 30. *Communionem energumenis ſacroſanctam a ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam: quinimo ſi poſſibile eſſet, etiam quotidie eis impertiri eam debere cenſebant. Nec enim, ſecundum Evangelii*

ſen-

ſententiam, quam incongrue huic ſenſui coaptaſtis: nolite ſanctum dare canibus: ad dæmonis eſcam ſacroſancta communio, & non potius ad purgationem, ac tutelam corporis, animæque pervenire credenda eſt, quæ ab homine percepta, eum, qui in membris ſuis inſidet, ſpiritum, ſeu in ipſis latitare conatur, velut exurens fugat incendio. Id quod exemplo Abbatis Andronici, & aliorum confirmat, & ſubdit: *Magis namque, ac magis inimicus inſultat obſeſſo, cum eum a cœleſti medicina viderit ſegregatum; tantoque dirius, ac frequentius attentabit, quanto eum a ſpirituali remedio longius cenſerit abdicatum.* Hinc etiam Rituale Romanum *de Exorciſ.* explicans mentem, & praxin Eccleſiæ, præſcribit: „ Admoneatur obſeſ„ ſus, ſi mente, & corpore valeat, ut . . . ſa„ cra confeſſione, & communione ſæpius ad „ arbitrium Sacerdotis ſe communiat “.

Solvuntur objectiones.

Schol. 1. Dicis I. contrariam eſſe praxin antiquæ Eccleſiæ, quia teſte S. Dionyſio *de Eccl. Hier. c.* 3. *p.* 2. nonniſi ad Miſſam Catechumenorum energumeni admittebantur: & in Concilio Eliberitano *c.* 29. non æque ac cæteris Miſſæ aſſiſtere illis permittebatur: & *c.* 37. pro ſolo articulo mortis communio illis concedebatur. *Reſp.* Solum ob incongruentiam aliqualis indecentiæ illa praxis olim obſervabatur, usque dum re accuratius perpenſa moderna praxis obtinuit. II. Hæc praxis veluti Arcam cum Dagon, lucem cum tenebris, Chriſtum cum Belial conjungit, & uno ore modo blaſphemias in SS. Euchariſtiam evomere, modo eam ſumere indulget. *Reſp.* Prævalet maxima energumeni utilitas cum ejus inculpata conſcientia, & ſpe, fore, ut Arca contra Dagon, lux contra tenebras, Chriſtus contra Belial, eum ejiciendo, prævaleat. Blaſphemiæ vero, quæ ſolum mate-

 ria-

-rialiter ab ore poſſeſſi prodeunt, quæ ſolius dæmonis actus ſunt, tam parum honori Dei in SS. Euchariſtia, quam parum per immenſitatem ſuam ubique præſenti, detrahunt.

Prudentia in hoc uſu exhibenda.

Schol. 2. Dictum eſt, *prudens* uſus SS. Euchariſt. ita ut judicio boni Directoris temperetur frequentia communionis pro ratione diſpoſitionis phyſicæ, vel moralis. Nec enim phyſica diſpoſitio uſum hunc admittit, quando arreptitius actu ſui impos, aut furioſus eſt; excepto articulo mortis: nec diſpoſitio moralis frequentem hunc uſum permittit, niſi pro menſura conſcientiæ plus minusve puræ: ſicuti enim non eſt ratio, cur talis energumenus per pœnitentiam bene diſpoſitus privetur illo uſu SS. Euchariſtiæ, quo ſanus gauderet, maxime, ſi ſolum ad probationem, vel purgationem leviorum delictorum patiatur; ita etiam non eſt ratio, cur ſub prætextu poſſeſſionis magis nunc frequentet, quam alias frequentaret.

§. 212.

Quartum remedium oratio cum jejunio.

Quartum remedium eſt *oratio* cum *jejunio*: uti patet ex Matth. 17. v. 20. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, niſi per orationem, & jejunium.* Ubi Chriſtus ſaltem pro caſu difficiliori hoc remedium præſcribit, quod proinde a fortiori pro caſu faciliori efficaciſſimum erit: & ſi Chriſtus hoc requirit a miniſtro expulſionis, multomagis poſſeſſo expediet, de cujus liberatione immediate agitur. Unde S. Chryſoſtomus hom. 58. *Nec mihi ea, quæ rara ſunt, dicas, quod ſcilicet absque jejunio ejecti dæmones aliquando fuerint: ſi enim unus, aut alter ſic expulit, impoſſibile tamen eſt, ſi quis id patitur, & in deliciis vivit, ab hoc furore liberari: ægrotus enim jejunio maxime opus eſt . . . quamvis non*

jeju-

jejunio ſolum, ſed oratione quoque, ac multo magis oratione opus ſit.

Schol. Ad orationem ſpectat, implorare preces juſtorum, maxime Angelorum, & Beatorum, & præcipue Reginæ Angelorum, & Sanctorum omnium atque ad ſanctuaria confugere. Sicut & ad jejunium quævis mortificatio in-& externa, & alia opera ſatisfactoria, ac eleemoſynæ ſpectant. Exempla dat Delrio *l.* 6. *c.* 2. *Explicatur.*

§. 213.

Quintum remedium ſunt *ſacramentalia*, vel ab Eccleſia ad coercendos dæmones, vel a Chriſto inſtituta: quorum præcipua ſunt: I. *Invocatio Nominis Jeſu.* Marc. 16. v. 17. *In nomine meo dæmonia ejicient.* Luc. 10. v. 17. *Etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.* Act. 16. v. 18. *Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti, exire ab ea.* Ut enim S. Bernardinus *t.* 2. *ſerm.* 49. ait: *Nec mirum, ſi per hoc Nomen dæmones expelluntur, cum ejus fortitudinem, & terrorem ſuſtinere non poſſint.* *Quintum remedium ſacramentalia. Invocatio Nominis Jeſu.*

II. *Signum S. Crucis,* quod quantæ virtutis ſit, docet Apoſtolus *Coloſſ.* 2. ubi cum *v.* 14. dixiſſet, Chriſtum deleviſſe, quod adverſus nos erat chirographum, *affigens illud cruci;* ſubdit *v.* 15. *Et expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Quod Origenes *hom.* 8. *in Joſ.* explicat: *Domini noſtri Jeſu Chriſti crux gemina fuit, hoc eſt, gemina ratione, & duplici conſtat: quia viſibiliter quidem Filius Dei in carne crucifixus eſt: inviſibiliter vero in ea cruce diabolus cum principatibus ſuis, & poteſtatibus affixus eſt cruci . . .* *Signum S. Crucis.*

Non

Non tibi hoc videbitur verum, ſi tibi horum teſtem produxero Apoſtolum Paulum? Expolians principatus &c.

Reliquiæ Sanctorum.

III. *Reliquiæ Sanctorum*, ſic enim ſola S. Petri umbra *vexatos a ſpiritibus immundis* liberabat. *Act.* 5. *v.* 16. Et per ſudaria, & ſemicinctia S. Pauli *ſpiritus nequam egrediebantur.* Act. 19. v. 12. Et S. Chryſoſtomus *hom.* 7. *de Machabæ.* ait: *Dæmones . . . ubi coronatorum Martyrum corpora viderint poſita, longe illico a conſpectu eorum pavidi fugiunt, & abſiliunt.*

Aqua benedicta.

IV. *Aqua benedicta*, quæ teſte Alexandro I. c. *Aquam.* 19. de conſecr. d. 3. *inſidias diaboli avertit, & a phantasmatum verſutiis homines defendit in virtute Spiritus S. divinis precibus per miniſterium Sacerdotibus divinitus collatum: in nomine meo dæmonia ejicite.* Unde etiam Eccleſia in benedictione hujus aquæ rogat effectum divinæ gratiæ, ad abigendos dæmones.

Agnus Dei.

V. *Agnus Dei* a Papa benedicti, per quem in eorum benedictione ita orat Eccleſia: *ut virtutem accipiant contra omnia diaboli tentamenta, & ut eas portantibus nulla ſævitia diabolica noceat.*

Evangelia geſtata, & recitata.

VI. *SS. Evangelia* ſive recitata, ſive collo appenſa ex conſuetudine Eccleſiæ vim habent contra dæmones. Unde S. Auguſtinus *tr.* 7 *in Joan.* morem applicandi Evangelium ægrotis laudat: & in Rituali pro Exorcismis præſcribitur, recitare Evangelia, præcipue initium Evangelii S. Joannis, & ex *c.* 16. S. Marci, cum 10. & 11. S. Lucæ. Illud tamen cavendum,

lum, ne in hac geſtatione, ſicut & Reliquia-um, ſuperſtitioſa, v. g. quod burſa hujus, vel llius coloris, aut figurae ſit, interveniant.

§. 214.

Sextum remedium exorciſmi.

Sextum remedium ſunt *Exorciſmi* ſacri, qui-ous dæmones adjurantur, ſive in nomine Do-mini præceptorie compelluntur, ad deſerenda poſſeſſa hominum corpora. Hæc poteſtas ſem-per fuit, & adhuc eſt in Eccleſia tum extraor-linaria, ceu gratia gratis data, quæ ad gra-iam miraculorum reducitur: tum ordinaria enes miniſtros Eccleſiæ, qui ordinem Exor-iſtatus habent. Conſtat *primo* ex S. Scriptu-a: nam *Matth.* 10. *v.* 1. *Marc.* 3. *v.* 15. *Luc.* 9. . 1. Chriſtus Apoſtolis poteſtatem ejiciendi æmones dedit: eandem diſcipulis dedit, & onfirmavit. *Luc.* 10. *v.* 17. Et fidelibus uni-erſim obtulit. *Marc.* 16. *v.* 17. Et S. Paulus 'ythoniſſæ dæmonem adjuravit, & ejecit. *Act.* 16. *v.* 18. Quæ poteſtas non ſolis Apo-olis, ſed & eorum ſucceſſoribus, & creditu-is per ipſos, facta fuit, non in vi ſanctitatis erſonalis, ſeu ut gratia miraculoſa, cum *Matth.* 7. *v.* 22. legamus, multos dæmonia jecturos, quibus tamen in judicio Dominus icet: *Quia nunquam novi vos.* Nec indiffe-enter tamen omnibus adjurare licet, ſed illis olum, qui vel extraordinarie a Deo, vel or-linarie ab Eccleſia per ordinem exorciſtatus ad oc deſtinati ſunt; uti apparet ex *Act.* 19. *v.* 15. bi per dæmoniacum aliqui pravi Exorciſtæ ntruſi graviter puniti ſunt. *Secundo.* Concilia, & Patres eandem traditionem catholicam con-

fir-

firmant, quam & Eccleſia in ſuis Ritualibus adhucdum retinet, & praxis liberationis … modo factæ oſtendit, qualis extra Eccleſiam nullibi gentium reperitur: uti S. Cyprianus ad Demetrianum Ethnicum Proconſulem ſcribit *O ſi audire velles, & videre, quando a nobis adjurantur, & torquentur dæmones ſpiritualibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus ejiciuntur! quando ejulantes, & gementes voce humana, & poteſtate divina flagella, & verbera ſentientes, venturum judicem confitentur. Veni & cognoſce vera eſſe, quæ dicimus.* Quod etiam teſtatur Lactantius *l.* 2. *Inſtit. c.* 15.

Schol. Theologi communius docent effectum ejiciendi dæmones in Exorcismis eſſe non ſolum ex opere operantis, ſed ex opere operato: quod illi … potiori aſſumere debent, qui volunt ordinem Exorciſtatus cum reliquis ordinibus minoribus eſſe verum Sacramentum: de qua controverſia (vid. *Comp. Th. t.* 3. §. 1136.)

§. 215.

Regulæ pro efficaci uſu Exorcismi. Ut vero remedium ſacrorum Exorcismorum efficax ſit, nonnulla ab Exorciſta neceſſario obſervanda ſunt, quæ P. Pinamonti *in Exorciſta rite edocto* fuſius exponit.

Utendum exorcismis ab Eccleſia præſcriptis. Et I. quidem Exorciſta uti debet *Exorcismis* ab Eccleſia *approbatis* in Rituali Romano per Paulum V. vel unice, vel præcipue, vel certe quatenus alii cum illis conveniunt: quatenus non modo ut Miniſter ab Eccleſia conſtitutus, ſed etiam verbis a Vicario Chriſti præſcriptis procedat; maxime cum in aliis ſine numero, & prolixis Exorcismis incertæ au-

tho-

oritatis ſubinde reperiantur apocrypha, vana, nullius ſanæ doctrinæ, ne iis quidem omni- exceptis, quæ habentur ad calcem Sacer- talis Romani, cujus libri collectio nec ſpe- li gaudet approbatione Pontificia, nec ſem- r ex certis, & probatis Authoribus procedit.

II. Vis Exorciſmorum ex inſtitutione Chri- non in alio, quam in *pleniſſima fide* tum *Ex- ciſtæ*, tum *Exorcizati* ſub nomine Jeſu Chri- conſtituenda eſt, id quod expreſſe in Evan- lio tanquam neceſſarium, & ſufficiens requi- ur. Marc. 16. v. 17. *Signa autem eos, qui diderint, hæc ſequentur.* Et *Matth.* 17. tri- itur diſcipulorum modicæ fidei, quod dæ- nium ejicere non potuerint. v. 19. *Propter redulitatem veſtram:* item propter increduli- em maximam illius populi. v. 16. *O genera- incredula:* & propter incredulitatem patris us dæmoniaci. Marc. 9. v. 22. *Si potes cre- e, omnia poſſibilia ſunt credenti.* Neque ex c inferre licet, Exorciſmos, orationem, & unium eſſe ſuperflua, ſi totus effectus fidei ouatur: nam Exorciſmus requiritur, ut illa poſitio fidei effectum habeat ex opere ope- o: oratio vero, & jejunium eſt diſpoſitio diata, quia oratio fidem auget, unde pater ti dæmoniaci ſubjunxit: *Credo Domine, ad- a incredulitatem meam:* & Apoſtoli *Luc.* 17. ;. orarunt: *Adauge nobis fidem.*

Fides Exorciſtæ, & Exorcizati.

III. In Exorciſmis procedendum eſt per dum *compulſionis* cum ſuperioritate, ac in- patione, minime autem deprecatorie, nec modo inferioritatem, aut amicitiam indi- can-

Procedendum per modum compulſionis.

cando. Cujus exemplum nobis dedit Chriſtus Matth. 17. v. 17. *Et increpavit illum Jeſus, & exiit ab eo dæmonium.* Et S. Thomas 2. 2. q. 90 *a.* 2. docet: *Duplex eſt adjurandi modus; unus quidem per modum deprecationis, vel inductionis ob reverentiam alicujus ſacri: alius autem per modum compulſionis. Primo autem modo non licet dæmones adjurare: quia ille modus adjurandi videtur ad quamdam benevolentiam, vel amicitiam pertinere, qua non licet ad dæmones uti.*

Exorciſmis ſolum ad ejiciendos dæmones utendum.

IV. In Exorciſmis prædicto adjurationis modo tantum in *finem, ejiciendi dæmones*, utendum eſt; quia in hunc præciſe finem a Chriſto univerſaliter Miniſtris ab Eccleſia deſignandis poteſtas promiſſa, & data fuit, juxta illud Matth. 10. v. 1. *Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos.* Et S. Thomas *cit. a.* 2. addit: *Non tamen licitum eſt, eos adjurare, ad aliquid ab eis addiſcendum, vel etiam ad aliquid per eos obtinendum: quia hoc pertinet ad aliquam ſocietatem cum ipſis habendam.* Et *ad* 3. addit: *Sed quod aliquis adjurando dæmones repellat, hoc eſt ab eorum ſocietate recedere.*

Adminiculis etiam, & remediis utendum.

V. Cum *diſcretione* etiam utendum eſt his, quæ ad finem ejiciendi dæmonem conducunt: diſcernendo, in quo vis præcipua Exorciſmorum, ſcilicet cum fide in adjuratione ſub nomine Jeſu, vel SS. Trinitatis, conſiſtat, (*n.* 2. & §. 213. *n.* 1.) & quænam ſint adminicula (§. 213.) expoſita.

Qualis fides requiratur.

Schol. 1. Sub nomine *fidei* (*n.* 2.) ad efficaciam Exorciſmorum requiſitæ, 1. intelligitur fides ſtricte talis, qua actu intellectuali credimus, Chriſtum

Deum

Deum omnia poſſe, ſimulque promiſiſſe, dæmonum expulſionem, ſemper, quando a ſuis miniſtris in nomine ſuo jubetur, & expedit. 2. Sub nomine fidei late, & conſequenter etiam fiducia, & ſpes comprehenditur, additque actum voluntatis, quo affective in Domino Jeſu certificamur, quod Exorcismus ſuum effectum obtenturus ſit. 3. Subinde etiam accedit aliqua inſpiratio per ſpecialem inſtinctum, licet non neceſſaria, quod effectus abſolute ſecuturus ſit: verum communiter ſufficit fides ſub tacita conditione, ſi effectus expediat, & diſpoſitio in nobis non deficiat. 4. Licet fides ſine charitate ſufficere poſſit, uti colligitur ex 1. *Cor.* 13. *v.* 2. ſæpe tamen charitas ad effectum conducit, cum ad fidei plenitudinem proficiat. 5. Licet communiter fides tam miniſtri, quam vexati requirenda ſit: ſæpe tamen plenitudo & ſuperabundantia fidei ſive in ſolo miniſtro, ſive in ſolo vexato, ſive in patre ejus, vel alio defectum alterius ſupplet.

Schol. 2. Adjuratio *compulſoria* (*n.* 3.) præſcripta debet quidem eſſe gravis, & ſevera, ſed non talis, ut iram, furorem, & ſuperbiam redoleat: nec enim ſuperbus per ſuperbiam, ſed per humilem ſuperioritatem, Miniſtrum Chriſti decentem, humiliandus eſt. Unde etiam in Rituali nihil præſcribitur de dæmone alapis, flagellationibus, ſputis, pedum calcatione, ſuffitibus graveolentibus rutæ, cornuum, ſtercoris caprini, vexando; quia per hæc magis poſſeſſus, quam dæmon poſſidens cruciatur: & ſi directe intendatur per vim hanc phyſicam, & corporalem expulſio dæmonis, erit ſuperſtitio, ſi vero hæc moderate, & quaſi cæremonialiter, ad exprimendum contemptum dæmonis, fiant; tunc certe efficacius juxta Chriſti exemplum ſola verba increpatoria ſufficiunt, & nonnulla Sanctorum exempla ex ſpeciali impulſu proceſſerunt, ſicuti & fumus certi piſcis *Tob.* 5. *v.* 8. Juxta multos tantum moraliter, & per modum ſigni concurrit, Angelo ſolo pro illo eventu dæ- *Qualis adjuratio compulſoria eſſe debeat.*

 mo-

conſtat: ad ſummum, Deum pro hoc orare poteſt, licet melius providentiæ divinæ relinquat. Exemplum S. Raphaelis Archangeli, religantis dæmonium in deſerto ſuperioris Ægypti *Tob.* 8. *v.* 3. & nonnullorum Sanctorum in ſequelam ab omnibus trahi nequit, illud ſolum præcipiendum illi eſt, ut non amplius redeat, juxta Rituale, & exemplum Chriſti Marc. 9. v. 24. *Ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.* Nec illud omnino probatur, quod dæmoni offerenti egreſſum ex homine, ingreſſus in alium permittatur: quia hoc modo poteſtati, ejiciendi dæmones, abſolute Eccleſiæ conceſſæ injuria fieret; nec facienda ſunt mala, ut bona eveniant: imo nequidem conditio, intrandi in porcos dæmoni concedenda eſt, quia hanc permiſſionem ob ſpeciales fines ſuæ providentiæ Chriſtus illis dedit. *Luc.* 8. *v.* 32.

An Exorciſta dæmonem in infernum detrudere poſſit.

III. Exorciſta dæmonem per adjurationem *in infernum detrudere* nequit, nec licet ei annuere petenti, non detrudi in infernum, ſi exeat, quia hoc iterum excedit poteſtatem Exorciſtæ, ſed munus eſt Dei ſupremi judicis: nec exemplum Chriſti *l. c. v.* 31. prodeſt, tum quia ille ſolus *habet claves mortis, & inferni*, Apoc. 1. v. 18. tum quia ad dictam petitionem pro noſtro exemplo Chriſtus nihil reſpondit, ſed tantum *præcipiebat ſpiritui immundo, ut exiret ab homine.* v. 29. Ad ſummum, hæc conceſſio ab eo fieri poſſet, cui ex ſpeciali Dei privilegio commiſſum eſſet, mittere diabolum, quo vellet.

IV.

IV. Exorciſta dæmones poſſidentes novis cruciatibus ad pœnam damnationis ſubſtantiaem pertinentibus afficere nequit: quia cum ſint in termino, ad augmentum novæ pœnæ eſſentialis nihil amplius demereri poſſunt. Poteſt vero novis pœnis accidentalibus eos per Exorcismos terribiliter torquere, tum quia ſuperbus hic ſpiritus ægerrime miniſtro Dei ſubjicitur: tum quia acerbiſſime increpatur, contemnitur, & in Nomine Jeſu conculcatur: tum quia illi dies judicii, quem ſummopere exhorret, objicitur, & exire ex poſſeſſo invitus cogitur. Unde Rituale præſcribit: „ Quando „ pervenerit Exorciſta ad comminationem, „ eam iterum ſæpius proferat, ſemper pœnam „ augendo: ac ſi videat, ſe proficere, in ipſa „ perſeveret per duas, tres, quatuor horas, „ & amplius, prout poterit, donec victoriam „ conſequatur ". In ipſis Exorcismis ita urgendo: „ Quia quanto tardius exis, tanto „ magis tibi ſupplicium creſcit ". Preces terminando, præter ſolitam Domini Jeſu expreſſionem, per illam clauſulam: *Qui venturus eſt, judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem.* Quod totum confirmatur *Luc.* 8. *v.* 28. in illo dæmoniaco, ubi cum dæmon dixiſſet Chriſto: *Obſecro te, ne me torqueas*; S. Evangeliſta pro ratione addit: *Præcipiebat enim ſpiritui immundo, ut exiret ab homine.* *An cruciatus ejus augere.*

Schol. 1. Dubitari etiam ſolet, cur aliqui dæmones ſint potentiores ad reſiſtendum Exorcismis, quam alii. Reſponderi poteſt, rationem unicam, & præcipuam eſſe, quod vel in Exorciſta, vel in exorcizato debita deſit diſpoſitio: licet enim cæteris *Cur aliqui dæmones Exorcismis magis reſiſtant.*

ris paribus major potentia, malitia, aſtutia, numerus, & diuturnitas poſſidentium dæmonum ad hoc aliquid conferre poſſit: quia tamen promiſſio Chriſti eſt abſoluta, & unice modificatur, ſi debita diſpoſitio non deſit, & liberatio expediat, hujus defectus pro præcipua ratione merito aſſignatur. Potiſſimum autem præter alias diſpoſitiones (§. 21) explicatas, in excitanda fide laborandum eſt, quo felicius, & citius optatus effectus obtineri poterit.

An effectus Exorciſmorum ſit infallibilis.

Schol. 2. Ejectio dæmonum per Exorciſmos, ſuppoſita debita diſpoſitione, frequenter quidem effectum ſuum ſortitur, ſed non omnino infallibiliter, quia aliquando poſſeſſio diabolica ad profectum animæ, licet raro expedit, (§. 208.) uti docet S. Auguſtinus l. 83. quæſt. in 79. in fin. *Cum non cedunt his ſignis hujusmodi poteſtates, Deus ipſe prohibet occultis modis, cum id juſtum, atque utile judicat ... vel ad confundendos malos, cum eos oportet confundi ... vel ad admonendos bonos, ut proficiant in fide; atque iſta non jactanter, ſed utiliter poſſint.*

Adhortatio ad fugam peccati.

Corollar. Licet poſſeſſio diabolica formidanda ſit, longe tamen pejus, miſerabilius, & formidabilius eſt, eſſe peccatorem, quam dæmoniacum; cum peccator non ſolum diabolum pro patre habeat, Joan. 8. v. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis*, ſed etiam ipſe diabolus ſit: *Ex vobis unus diabolus eſt* Joan. 6. v. 71. Quod S. Gregorius *l.* 13. *Mor. c.* 12. ita explicat: *Ita quippe unum corpus ſunt diabolus, & omnes iniqui, ut plerumque nomine capitis cenſeatur corpus, & nomine corporis appelletur caput. Nam capitis nomine cenſetur corpus, cum de perverſo homine dicitur: ex vobis unus diabolus eſt: & rurſum nomine corporis appellatur caput, cum de ipſo Apoſtata Angelo dicitur: inimicus homo hoc fecit. Iſte igitur Princeps omnium perverſorum ... alios habet filios ... quos alios filios habet, niſi perverſos homines, qui de ejus prava perſuaſione in malitiæ operatione generantur? Unde etiam veritatis voce infidelibus dicitur: vos ex patre diabolo eſtis.* Unde conclu-

cludit S. Chryſoſtomus hom. 41. in Act. poſt med. *Non eſt ita magnum a dæmone liberari, uti eripi a peccato. Dæmon non prohibet regnum cœlorum aſſequi, licet cooperetur, invitus quidem . . . ſi igitur hic quidem non ejicit dæmonem, peccatum vero ejicit, liberare a peccato majoris beneficii eſt.* Ergo ante omnia laboremus, ut ejiciamus peccatum ex anima, & dæmon vel ſimul ejicietur, vel ſaltem nihil nobis nocere poterit. *Nolite locum dare diabolo.* Eph. 4. v. 27. monet Apoſtolus: nos enim ſumus, qui locum damus diabolo per peccatum in corde, unde ille ſæpe locum ſibi facit in corpore. Quippe cum Abbas Abraham rogaretur, cur dæmones ad nos tentandum, & vexandum indies potentiores facti ſint; reſpondit: „ Noſtræ nobis voluntates dæ„ mones factæ ſunt, & tribulant nos". Rosweid. *l.* 7. *c.* 25. Et Abbas Achilles id pulchro apologo confirmavit: „ Ligna Libani dixerunt, quam „ grandia ſumus, & alta, & parviſſimo ferramen„ to incidimur: nihil ergo ei demus ex nobis, & „ nos non poterit incidere. Venerunt ergo ho„ mines, & fecerunt in ſecuri manubrium ex ip„ ſis lignis, & ita inciderunt. Ligna ergo ſunt „ animæ, ſecuris diabolus, manubrium voluntas „ noſtra. Per malas ergo voluntates noſtras in„ cidimur".

§. 217.

Quinto denique purgatio paſſiva partis ſenſibilis perficitur per *dæmonum obſeſſionem*, per quam dæmon non intra hominem exiſtens, ſed ab extra eum modo extraordinario, ſenſibili, & exterius tentare, & vexare, ac cruciare per ſemetipſum permittitur. *Obſeſſio quid.*

Schol. Vexatio per *obſeſſionem* diabolicam variis modis fieri poteſt. 1. Per formidabiles viſiones, & obſcœniſſima objecta &c. hominum oculos. 2. Per horrificos clamores, turpia, & blasphema &c. verba, *Quot modis fiat.*

ba, aures. 3. Per acerbiſſimos cruciatus, vertebra, &c. totum corpus. 4. Per varias tentationes phantaſiam, & conſequenter animam tentant. De quo jam aliqua dicta ſunt (§. 194. 195. & ſeq.) & adhuc plura modo dicenda reſtant.

§. 218.

Animæ etiam ſanctæ ſæpe a dæmonibus obſidentur.

Satis frequenter fit, ut juxta divinam providentiam animæ ſanctiores *dæmonum obſeſſione* acriter purgentur, & probentur, ut ad ſtatum contemplationis diſponantur. Sic innuit *primo* S. Scriptura ubi *Job* 2. *v.* 6. Dominus Satanæ poteſtatem, Jobum obſidendi, & cruciandi, dedit, dicens: *Ecce in manu tua eſt.* *Secundo.* Ita docent PP. S. Gregorius in præf. ad mor. c. 4. *Inimicus ſæviens, & ſancti viri validiſſimum pectus debellare contendens, contra eum tentationum machinas erexit: abſtulit ſubſtantiam, interfecit filios, percuſſit corpus, inſtigavit uxorem, amicos ad conſolandum adduxit, ſed in aſperitatem increpationis excitavit . . . Ecce ad feriendum inviſſimum robur inimicus ſæviens quot tentationum jacula invenit, ecce quot obſidionum machinamenta circumpoſuit: ecce quot percuſſionum tela tranſmiſit.* Similia habent S. Ephrem *l. de patient.* & S. Chryſoſtomus *hom. de B. Job.* qui vexationem SS. Confeſſorum per dæmones, cruciatibus SS. Martyrum per Tyrannos æquiparant. *Tertio.* Præter exempla (§. 195.) relata, & plura alia, ſingulare eſt, quod Nierenbergius *in vit. illuſt. ſoc. t.* 1. de P. Joanne del Caſtillo refert, quod a dæmone obſeſſus eſſet, qui eum proprio ore Deum blaſphemare, nemine tamen audiente, faciebat, ſubinde iconem Deiparæ

dæ-

læmon per eum comburebat: aliquoties cogebat illum ſe alapis cœdere, uſum manuum, & edum impediebat, & alias crudeliter cruciabat. Et S. Thereſia *c.* 31. *vitæ.* narrat, quod ſæpe ſenſibiliter, ſæpe intellectualiter a dæmonibus ſe oppreſſam viderit, qui tormentis exterius, & inquietudinibus interius eam atrociter divexabant, ita ut aliquando coacta corpore, capite, & brachiis ſe ictibus fædaret. Quæ quomodo facta ſint, & explicari poſſint nferius dicetur. *Quarto.* Ratio eſt: Deus requenter animas etiam ſanctas per dæmones xerceri, & graviter tentari ſinit. (§. 194. 195. *q.*) Ergo etiam per obſeſſionem dæmonum, naxime quia obſeſſio pura libertatem non tollit, ec profectum ſpiritualem, ſicuti poſſeſſio, impedit (§. 208. *cum Sch.*) ſed illam probat, & inimico obſidenti fortiter reſiſtatur, glorioum victoriam, & coronam comparat.

Quid dæmon per obſeſſionem facere poſſit.

Schol. 1. Obſeſſioni dæmonum bene tribuuntur illæ operationes, quæ exterius ab illis perfici poſſunt; uti viſionibus, & fragoribus obſeſſum terrere, percuſſionibus, & plagis eum ferire: imo etiam per obſeſſionem dæmon organa viſus, & auditus alterare, humores, & ſpiritus ciere, phantasmata, & paſſiones excitare poteſt, ſi modo regulari, penetrando corpus poſſeſſi, hæc faciat: ſi autem utatur deſpotice, homine invito, membris illius ad operationes, vel pœnalitates irregulares, quæ homini, & cauſæ naturali prudenter tribui non poſſunt, & operationes ita ſunt irregulares, v. g. organa ſenſuum vitiare, vel uti hominis lingua ad loquendum illo invito, tunc jam poſſeſſio aliqua tranſiens intervenit: quia non videtur poſſe fieri, quod dæmon exterius poſitus hominem ita loqui facere poſſit. Imo curioſe notat Pariſienſis

p. 3. *de Univ. c.* 13. quod dæmones in energumenis loquentes ingratius hoc faciant, quam ſi homo ille ex ſe loquitur, quia homo voce, & lingua propria loquitur, dæmon voce, & lingua aliena: „ Quemadmodum, ait, nos longe melius utimur pedibus, qui nobis naturaliter ſunt, quam „ ligneis pedibus “. Quod etiam in Ventriloquis obſervamus, qui verba difficulter proferunt.

Quomodo dæmon obſidens in corpora agat.

Schol. 2. Licet modum, quo dæmones in corpora agunt, comprehendere non poſſimus, ſufficiat nobis credere, quod ita fiat, ex demonſtratis (*in Th. dogm. t.* 1. §. 205. 206.) ſane quis ſufficienter adhuc explicavit, quomodo anima noſtra corpus noſtrum moveat? Quomodo vero dæmones, qui ubique pœnas inferni ſecum portant, homines vexare poſſint, & ex quo lucro, gaudio, vel alio motivo explicat, Gerſon *t.* 3. *in ſerm. de S. Michaële ſub med.* dicens: „ Propter perverſam, quam „ habent voluntatem, vertunt omnem ſcien„ tiam in malum: ſicut avarus totum ſuum inge„ nium applicat ad acquirendum, invidus ad no„ cendum, & detrahendum, luxurioſus ad carna„ litatem immundam habendam. Hinc eſt, quod „ quanto intellectus eorum eſt clarior, tanto ſunt „ pejores “. Et S. Thomas *in* 4. *d.* 50. *q.* 2. *quæſtiunc.* 4. *ad* 3. docet, dæmones ex ſola malitia lætari apparenti gaudio vindictæ contra Deum, & homines, licet revera per conſortium damnatorum accidentaliter magis torqueantur.

§. 219.

Regulæ pro obſeſſione diſcernenda.

Ut vero doctrina de dæmonum obſeſſione ab omni noxia æquivocatione libera, & ſolidior ſit, rite diſtinguendum eſt inter ea, quæ dæmones obſidentes facere poſſunt, & illa, quæ Deus illis facere permittit, ac ea, quæ vel a morbo naturali, vel propria imaginatione pro-

ve-

veniunt. Pro quo ſequentes *regulas* obſervare oportet.

Primo. Sæpiſſime, quæ putantur dæmonis obſeſſiones, non ſunt, niſi morbi naturales, aut naturales imaginationes, vel etiam inchoata, aut perfecta amentia. Quare caute omnino procedendum, usque dum per ſpecialiſſima ſigna de obſeſſione conſtet: ſunt enim morbi, uti epilepſia, hypocondria, & in fœminis morbus uterinus, qui non parum inuſitatos, & afflictivos effectus producere poſſunt, ſufficitque ſæpe vehemens imaginatio, ut quis videatur ſibi videre, audire, palpare, & dolorifere ſentire, quæ non ſunt, idque multo magis, ſi læſo jam organo uſus rationis debilis, aut perturbatus fuerit. Quo caſu medicus ſpiritualis præmuniri debet auxilio periti medici corporalis, & univerſaliter concludere, non ſubeſſe obſeſſionem dæmoniacam, niſi quando pro cauſa naturali prudens judicium, vel præſumptio ſtare nequit. Quo tamen non obſtante etiam hoc exercitium ſive ſit morbus naturalis, ſive opus dæmonis ſpeciale totum hoc ad profectum animæ noſtræ conducere poteſt, juxta dicta (§. 189. *ſeq.*) *Regula prima pro morbis a dæmone illatis.*

§. 220.

Secundo. Etiam *cruciatus corporis*, v. g. per verbera, & alia tormenta, & generaliter per tactum non facile tribuendi ſunt dæmonum obſeſſioni, cum ſæpe nihil aliud ſint, niſi imaginationis naturaliter læſæ fictio; quia tamen contingere poteſt, ut ex ſpeciali Dei permiſſione, *Secunda pro cruciatu per tactum.*

p. 3. *de Univ.* *c.* 13. quod dæmone[illegible] nis loquentes ingratius hoc fac[illegible] homo ille ex ſe loquitur, quia[illegible] gua propria loquitur, dæmo[illegible] na: „ Quemadmodum, ai[illegible] „ mur pedibus, qui no[illegible] „ ligneis pedibus “. [illegible] obſervamus, qui ver[illegible]

Quomodo dæmon obſidens in corpora agat.

Schol. 2. Licet mo[illegible] agunt, compreh[illegible] bis credere, [illegible] *dogm.* *t.* 1. [illegible] adhuc exp[illegible] quod ejus noſtrum [illegible]ndi modus non ſint ubique [illegible] ordinariam. xare [illegible] P. Reguera *in prax. Th. Myſt.* *t.* 1. moti[illegible] quod aliquando inſtrumenta, cruciatus, *ſub* [illegible]ulnera, quibus dæmon obſidens obſeſſos ve„ xat, ſint phyſica, & realia: aliquando cruciatus, & vulnera ſunt realia, ſed non inſtrumenta, quæ ſolum imaginarie figurantur: aliquando etiam cruciatus, & vulnera imaginaria ſunt, ſed dolor phyſice ſentitur, & veſtigium aliquod plagarum phyſice manet, perinde ac ſi cruciatus phyſici fuiſſent. Sic ven. Marina de Eſcobar *in* 2. *p. vita.* *l.* 1. *c.* 40. Authore Pinto Ramirez, de ſe ait: viſam ſibi aliquando cruciatam rota S. Catharinæ, & addit: „ Quanquam hoc ita contigit admodum ſpiritualiter, at effectus, qui manent in miſero corpore, „ ſunt perinde, ac ſi realiter paſſa illos fuiſſem. „ Tales ſunt dolores magni, & mei totius deliquium: brachia præſertim, & terga dolore acerbo cruciantur “.

§. 221.

Tertia, pro cruciatu per

Tertio. Eodem modo *infeſtationes* per *viſum*, & *auditum*, & ſubinde etiam per *olfactum*, & g[illegible]

...e ſunt fictiones imaginariæ; poſſunt eſſe revera exterius a dæmonibus ...roductæ, quando audiuntur, ... clamare, ululare, & oculis ... figura humana, nunc ferina, ... horribili: uti dictum fuit *viſum, & auditum.*

...c. c. II. ex ſacerdotali ...uſmodi moleſtias, & ...præcedere futuram ...erum hoc ita acci- ... gradus procedat, pro- ...ut, & Deus illi permittit. ...o initio ſtatim fortis in fide reſi- ...aut nunquam obſeſſio in poſſeſſionem ...acam abibit, ſed vel obſeſſio omnino ceſſa-..., vel ſaltem mitigabitur, vel obſeſſus cum illa, in quantum expedit, proficiet. *An obſeſſio ſit ſignum futuræ poſſeſſionis.*

§. 222.

Quarto. In obſeſſione dæmones quidem ex parte ſua ſemper vel proxime, vel remote per ...nas infeſtationes animas *in peccatum inducere* conantur: hoc tamen præciſe vi obſeſſionis nunquam aſſequuntur, niſi accedente ſufficienter libero voluntatis hominis conſenſu, ut illi ad culpam imputetur. Sic conantur dæmones obſeſſos ad puſillanimitatem, deſperationem, odium, & illicitum amorem trahere, ideoque terrificas, & turpes, ac laſcivas formas, & alia objecta amori, odio, aliisque paſſionibus excitandis congrua objiciunt, quibus ſi obſeſſus oratione, mortificatione, aliisque remediis armatus fortiter reſiſtat, (§. 144. *ſeq.* & §. 201. *ſeq.*) nullam culpam contrahit: ſi autem con-*Quarto. obſeſſio ad peccatum tentat.*

ſen-

ſentiat, tunc ad culpam illi imputatur, quia dæmon voluntatem cogere nequit.

Quomodo peccatum obſeſſo imputetur.

Schol. Notandum hic 1. quod quando dæmon mediate uſum rationis tollit, uti facere poteſt; (§. 208. *Sch.* 2.) tunc illud, quod de ſe peccatum eſt, deſinet eſſe imputabile. (*Ibid.*) 2. Hoc facilius contingit quoad actus inordinatos partis ſenſitivæ, quæ non eſt immediate libera, adeoque ob rebellionem fomitis, ejusmodi tentationum æſtu magis excitati, deliberationem rationis prævenire poteſt. 3. Quando dæmon tantum eſt obſidens, non tollit uſum rationis, ſed ſolum tentat; conſequenter ex defectu uſus rationis impediti libertas obſeſſi ad peccandum neceſſaria nunquam omnino tollitur: & ideo 4. ſi quis ex defectu uſus rationis excuſationem a peccato prætendat, probari debet, quod vel a dæmone poſſeſſus, vel per phyltrum in amentiam lapſus, quoad uſum rationis impeditus fuerit.

§. 223.

Quinta. dæmon ad quævis mala externa obſeſſum Deo permittente cogere poſſet.

Quinto. Licet, excepto conſenſu voluntatis, dæmones obſidentes obſeſſos ad quævis *mala exterius facienda*, & ſuſtinenda phyſice *cogere* poſſent: & licet reſpectu peccatorum, maxime valde ſceleratorum, vix *malum* ſit, ad quod ita eos *cogere* non aliquoties permittantur: reſpectu tamen bonorum, præcipue perfectorum, aliqua *mala* ſunt, ad quæ eos, Deo permittere nolente, *cogere* nequeunt. *Prima* pars patet ex eo quod dæmon ſit longe fortior ad agendum, quam hominis poteſtas ad reſiſtendum, adeoque nullum malum exterius occurrit, ad quod eum cogere non poſſet. Deinde dæmon corpore bruti, vel hominis mortui ad ejusmodi mala externa uti poſſet. Ergo

etiam

iam corpore hominis vivi, & ſubinde ita uti-
r corpore a ſe poſſeſſo; cur igitur non corpo-
obſeſſo ſaltem quoad actus vitaliter non eli-
endos? quod enim homo libere, vel non li-
re cooperetur, nihil addit vel detrahit dæ-
onis poteſtati, ſed tantum, quod illa homini
l culpam non imputentur. *Secunda* pars con-
at ex eo, quod hanc permiſſionem divinam
utendi corpore ſuo per modum pœnæ ſubin-
homo ob crimina ſua mereatur; nec ſpecia-
er a Deo protegatur. Item quia peccator
emoni tentatori facile conſentit, imo eum ad
lem abuſum corporis ſui ſollicitat, ut proinde
irum non ſit, ſi Deus illi hoc permittat.
ertia pars, quod ad aliquas operationes exter-
s nec omnino malas, nec ſcandaloſas perſo-
s perfectas cogere poſſit, apparet in S. The-
ſia capite, & ictibus, cogente dæmone, ſe-
ſam cruciante: (§. 218.) licet ad ea, quæ
l ipſis, vel aliis ſcandalo ſunt, Deo non per-
ittente, cogi non poſſint: id quod ſpecialiter
lhuc probandum eſt. Unde ſit.

§. 224.

Deus non permittit dæmoni obſidenti abuſum corporis obſeſſi ad peccata externa maxime venerea.

Deus nunquam permittit dæmoni obſiden-
, ut *abutatur corpore obſeſſi*, maxime boni,
perfecti, *cogendo* illum, ut ipſe propriis ma-
bus, & membris cooperetur *ad peccata exter-*
, præcipue in materia venerea, etiam corde
lens conſentire: quod licet fieri poſſet ex na-
ra rei, ac attenta diaboli poteſtate, & mali-
a, nunquam tamen fieri poteſt ex lege Dei,
lia non permiſſuri. Ita colligitur *primo* ex
. Scriptura teſtante, dæmonis poteſtatem,
maxi-

maxime poſt Chriſtum, & præſertim reſpe[ct]
animarum ſanctarum, in multis eſſe ligatum.
Matth. 12. v. 29. *Niſi prius alligaverit fort*[em]
quod S. Thomas ita exponit: „ Quæ eſt i[sta]
„ alligatio? quia poteſtas nocendi, quam [ha-]
„ bet diabolus a ſeipſo cohibetur a Deo ". [E]t
quod maxime tenet in caſu præſenti, tum q[uia]
dæmonis poteſtas proprie nunquam cohib[e-]
quoad extorquendum, vel cogendum [vo-]
luntatis noſtræ conſenſum, quod de ſe n[ullo]
modo poteſt: tum quia ſi dæmon ad ali[q]
externum cohibendus eſt, id vel maxime [te-]
net in re venerea, quæ nimis lubrica eſt,
ad conſenſum maxime allicit, idque præſe[r-]
quando actus externus venereus propriis [...]
nibus exercetur, & procuratur. Deinde D[eus]
vult nos cavere ſollicite omne illud, quo[d]
nobis, vel aliis ſcandali occaſio eſſe po[teſt]
Matth. 5. *Si manus tua ſcandalizat te, ab[ſcinde]*
eam, & projice abs te. Et Matth. 18. v. 7.
homini illi, per quem ſcandalum venit. Ergo
illimitate permittet diabolo eo usque ten[]
ut homo & ſibi, & aliis ſummo ſcandalo
quod tamen fieret in caſu noſtro. De[]
quando Chriſtus nos orare docuit, *& ne* [in-]
ducas in tentationem, ſed libera nos a [...]
Matth. 6. v. 13. Non ſolum petimus, ut
tationi non conſentiamus, ſed etiam, ut
tentemur, quando non expedit ad ſalute[m]
quod certe in caſu præſenti verificatur, [...]
que preces noſtras, hanc tentationem no[n]
mittendo, exaudiet. *Secundo.* Innocentiu[s]
damnavit ſequentes Michaelis de Molino[s er-]
rores, ſcil. 41. „ Deus ut nos humiliet

ad veram transformationem pertingere faciat, permittit, & vult in animabus quibusdam perfectis, etiam non arreptitiis, ut dæmon operetur violentiam in earum corporibus, illasque committere faciat actus carnales, etiam in vigilia, & ſine mentis obfuſcatione, movendo illis phyſice manus, aliaque membra contra earum voluntatem. Et idem dicendum eſt, in ordine ad alios actus per ſe peccaminoſos, quo caſu non ſunt peccatum, quia non eſt conſenſus". Item op. 42. ubi admittitur caſus quo hæ violenæ ad actus carnales exiſtant ſimul ex parte aris, & fœminæ. Et ſequentes usque ad 54. irum proinde eſt, quod poſt hanc damnatiom nonnulli Anonymi ejusmodi ſententias his oribus nimium affines docere, & ejusmodi bationis genus omni antiquitati inauditum, ſaluti animarum adeo fatale admittere auſi rint. *Tertio* probatur ex rationibus: quan 1ma petitur ex S. Thoma, *qui* 1. 2. *q.* 80. . docet, quod diabolus non poteſt inducere neceſſitate ad faciendum aliquem actum ex peccaminoſum, qualis in noſtro caſu foret lutio, niſi quatenus *totaliter uſum rationis edire poteſt, ſicut in arreptitiis patet.* Sed in u noſtro non eſſet uſus rationis totaliter imlitus, nec dæmon hominem poſſideret, & no non eſſet arreptitius, ſed tantum obſeſ- in quo uſus rationis non tollitur. (§. 222. *bl.*) Ergo non poteſt ex neceſſitate induced pollutionem. *2do.* Incredibile eſt, quod ns animas ſibi dilectas per coactionem dænum ad patranda obſcœniſſima propriis mem-

bris, & quidem rationis plene compotes, licet renuentes, probare velit, qui nequidem, niſi raro a dæmone ſervos ſuos poſſideri permittit (§. 208.) Nec juvat dicere, hoc ad humiliationem earum a Deo permitti; tum quia per alios corporis cruciatus, & tentationes in mera paſſione conſiſtentes humiliare poteſt: tum quia anima ex hoc non humiliatur, ſi doceatur, quod, quidquid mali per ſui corporis membra faciat, diabolus hoc præſtet, & ipſa mereatur, uti adverſarii volunt: tum quia inconceptibile eſt, quomodo per ejusmodi coactos actus obſcœnos cor ad amorem Dei accendi poſſit. 3*tio*. Patet ex abſurdiſſimis ſequelis ſententiæ contrariæ, ſcilicet 1. quod ejusmodi pollutiones violentæ in perſonis ſanctis ſancte etiam in publico contingere poſſint, quod dæmon non erubeſcit. 2. Concubitus ſimiliter violentos inter fratres & ſorores, patrem & filiam &c. evenire poſſe. 3. Poſſe immediate ipſum dæmonem incubum, ſeu ſuccubum cum perſonis ſanctis utriusque ſexus concubitum habere, & forte partum edere. 4. Poſſe homines mente ſanos a dæmone coactos meritorie blasphemare, ſe vel alios occidere &c. 4*to*. Hæc ſententia, eſt contra mentem, & praxin totius generis humani, quis enim unquam audivit prædicta ſcelera a tribunalibus impune tolerari ſub prætextu violentiæ a dæmone ſine conſenſu operantis illatæ, niſi allegetur amentia, aut poſſeſſio diabolica uſum rationis totaliter impediens? Quis canonizationem illius promoveret, qui allegaret, has fuiſſe probationes, per quas ſervus Dei ad apicem ſanctitatis evectus fuit?

Schol. 1.

Schol. 1. Tempore S. Bonaventuræ fuerunt quidam pſeudo ſpirituales, qui ſuas ſpirituales filias inſtruebant, quod nimias familiaritates habere cum ſuis patribus ſpiritualibus, etiam per oſcula &c. eſſet meritorium. Contra quos acerrime declamat S. Bonaventura, vel alius quis Author ſub ejus nomine in opuſc. *de modo confit.* c. 14. *in med.* §. *de pecul. familiar.* Pſeudo-illuminati cum Michaele Molinos a prop. 45. usque ad 54. docuerunt, Deum permittere, & velle, ut dæmon in animarum perfectarum corporibus, etiam extra poſſeſſionem, ſine mentis obfuſcatione, violentiam exerceat, & illas actus carnales, pollutionem, fornicationem &c. exercere faciat contra earum voluntatem, ut eas humiliet, &, quia ſic non peccant, & ad transformationem diſponat. Qui errores ab Innocentio XI. damnati ſunt. Denique P. Arbiol *de monit. myſt.* l. 5. c. 7. quosdam neotericos Anonymos memorat, qui admittunt, Deum defacto aliquoties animas ſanctas probare, ac purgare, & ad contemplationem diſponere, hac dæmonum licentia, qui obſidentes aliquem, eum ad actus de ſe peccaminoſos venereos propriis membris exercendos cogant, v. g. ut manibus ſe polluat, licet mente ſit liber, qui proinde coram Deo meretur, ſi deteſtetur corde, quod facit opere. *Referuntur ſententiæ.*

Schol. 2. Pro confirmanda hac ſua nova doctrina dicunt I. Dæmon poteſt ex viribus ſuis abuti membris hominis, & eo reluctante facere, quod de ſe peccatum eſt, v. g. pollutionem, & homo cum gratia divina efficaciſſime diſſentire: ergo etiam Deus hoc dæmoni permittere poteſt, cum nihil pugnet in contrarium. *Reſp.* Rationes cur Deus hoc dæmoni non permittat, modo in hoc §. allatæ ſunt. II. Sæpe in nobis ex inſtinctu, & tentatione dæmonis paſſiones ad malum incitantes, motus externi in genitalibus, & pollutiones contingunt, quibus ſine conſenſu fortiter reſiſtentes meremur: ergo etiam ad caſum noſtrum deveniri *Solvuntur objectiones.*

poteſt. *Reſp.* Diſparitas eſt, quia dæmon non ſinitur a Deo tentare, niſi pro conditione naturæ humanæ corruptæ, ut modo humano poſſit ſuſtinere, & cum tentatione proficere, qui modus tentandi conſiſtit in eo ſolum, ut mediate, inflammando naturæ corruptæ humores, & paſſiones excitando, tentet, non vero, ut dæmon immediate ſe ſolo ad actiones peccaminoſas cogat, & impellat. III. Poteſt dæmon in aſſumpto corpore per obſcœniſſima verba, & objecta; vel in phantaſia tentati per turpiſſimos actus ad libidinem, vel per verbera ad impatientiam, & deſperationem obſeſſum incitare: ergo etiam per coactum tactum, & pollutionem. *Reſp.* Diſparitas eſt, quia in prioribus modis non coguntur animæ ſanctæ ad aliquid ſuis membris agendum, quod de ſe peccatum eſt, ſed vel figuratur fieri ab aliis, vel tantum putatur fieri a ſe, vel eſt ſolum pati & cruciari quod ex parte pie patientis ſanctum, & ſolum ex parte tortoris iniquitas eſt. IV. S. Thereſia & P. del Caſtillo ſeipſos contundere; imo P. del Caſtillo propria manu imaginem Deiparæ comburere, ac Deum, ac Deiparam blaſphemare propria lingua a dæmone cogebatur: (§. 218.) ergo etiam ad polluendum ſe dæmon obſeſſum cogere poteſt. *Reſpon.* Imprimis prædictæ actiones non ita ad conſenſum alliciunt, ſicuti actus libidinoſi. Deinde contuſio illa per ſe eſt indifferens, & forte ab epilepſio, morbo caduco, vel per brevem poſſeſſionem diabolicam contingere potuit, ſicuti etiam combuſtio imaginis SS. Deiparæ per ſimilem arreptionem contigit, vel ex bono fine ad evitandam irreverentiam facta eſt. Blaſphemiæ vero illæ propria lingua, vel in brevi arreptione effuſæ ſunt per dæmonem uſu rationis omnino impedito, quarum tamen P. del Caſtillo poſtea memor fuit, eo modo, quo nos eorum, quæ ſine uſu rationis ſomniavimus, vel in phreneſi diximus, memores eſſe poſſumus: vel per ſolam imaginationem putabat ſervus Dei ſe blaſphemias dicere, & eas audire,

dire, quod ex eo patet, quia nullus circumſtantium has blasphemias audiebat. V. Poſſunt homines perverſi ex inſtinctu diaboli virginibus etiam ſanctis ſtuprum per violentiam inferre. Item per maleficia amatoria ſæpe fœminæ invitæ a dæmone in amaſium ſine peccato trahuntur, teſte Abulenſi *in Ex. c.* 22. *q.* 13. Et denique de dæmonibus incubis & ſuccubis ait S. Auguſtinus l. 15. de Civ. c. 23. *Quoniam celeberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis, qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Sylvanos, Panes, & Faunos, quos vulgo incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe, ac peregiſſe concubitum . . . hoc negare impudentiæ videtur.* Item Cæſarius *diſt.* 3. *c.* 9. refert quosdam viros perfectos per phantasmata mulierum dejectos. Et Codronchius *de morb. veneſ. l.* 3. *c.* 10. ait: „ Nefario congreſſu dæmones nonnunquam invitis quibusdam fœmellis „ ſtuprum violentum inferre conſueverunt “. Et Gaſtaldus *t.* 2. *de poteſt. Angel. diſt.* 4. *q.* 1. *a.* 5. *dub.* 7. refert caſum monialis ex propria culpa per dæmonem incubum corruptæ, quæ etiam poſt ſeriam pœnitentiam hanc vexationem invita paſſa fuit: & idem alicui fœminæ non mediocris virtutis ſibi notæ de facto contigiſſe teſtatur: unde etiam ſententiam noſtræ contrariam ut ſanam probat Laurentius a Ponte *t.* 1. *in Matth. c.* 8. *digreſ.* 2. & Villalobos *in ſua ſchol. ſpir. l.* 78. & Roſſel *de conſ. ſcrup. c.* 15. *Reſp.* Homo alteri ſtuprum violentum inferre poteſt; quia illius vis quoad hoc non ita eſt ligata, ſicuti vis dæmonis, contra quam clamando, contranitendo obſeſſus non tam fortiter, ſicuti contra vim humanam reſiſtere poteſt. Quantum ad fœminas maleficiatas ipſe Abulenſis ſe explicat, dicens: „ vel pedibus moventur, ut arreptitiæ, permittente Deo, & demerito proprio, & in hoc non peccant: quando „ vero portantur, nec iſtæ peccant, quia licet „ ſciant, quid patiantur, tamen invitæ tolerant,

„ niſi ipſæ delectentur, quia ſic tolerant". Denique quoad dæmones incubos S. Auguſtinus loquitur de magnis peccatoribus, qui ſunt in culpabili, tentanti dæmoni conſentiunt, & tam horrenda eum forte ſollicitant. (§. 223.) Cæſarius ſolum teſtatur in genere quosdam viros profectos per phantasmata mulierum deluſos: & Gandronchius ſolum ſignificat ad ſummum, concubitum intentatum, & a Sanctis cum affectu, effectuque rejectum. Gaſtaldus ſolum loquitur de concubitu, cui cauſa data fuerat ex propria culpa, & de vera illius monialis pœnitentia loquitur *ſalvo meliori judicio*, quo nequidem egemus, cum concubitus, ſolum illuſorie proſecutus, in pœnam prioris delicti, videatur, quam illuſionem ſæpe in fœminis contingere docet Thyræus *de appar. c.* 10. quartus ille caſus de pia illa fœmina parum probat, tum quia difficillimum eſt, probare plenam in voluntarietatem, uti ex facto experimentali oſtendit Arbiol *l.* 3. *c.* 21. tum etiam pro tali caſu ſatius foret, putare oppreſſionem, quam perſona in ſe factam eſſe credit, ſolum fuiſſe phantaſticam, quidquid Laurentius cum aliis contradicat, cujus tomus 2dus prohibitus eſt ex decreto inquiſitionis Romanæ 27. Maji a. 1687. & correctus eſt in hac doctrina, deleri juſſa ab Inquiſitione Hiſpana 1. Nov. 1712.

Obſervanda ſi talis caſus occurrat. *Schol.* 3. Quia tamen cavendum ne animæ hac ſpecie diabolicæ vexationis afflictæ ſubito, vel Moliniſmi damnentur, vel pro ſtrigibus habeantur, P. Reguera *Th. myſt. t.* 1. *pag.* 762. *n.* 693. notat 1. ſi caſus vel coactæ pollutionis, vel concubitus cum incubo dæmone, vel alius ſimilis occurreret, & factus eſſe prætenderetur, tunc conſcientia perſonæ bene conſideranda, & perſcrutanda erit, an laxa ſit, vel tepida, aut alio latenti vitio laboret, ubi dæmoni plus a Deo in pœnam peccatoris permittitur: (§. 223.) quæ proinde radicitus curanda eſt. 2. Si perſona ſolidæ virtutis, & ardenter

ad perfectionem aſpirans, vel jam in perfectionis ſtatu, & proxima ad contemplationem diſpoſitione conſtituta eſſe conjiciatur, præſumi poteſt, quod talis vexatio vel in brevi arreptione, uſu rationis omnino impedito, vel per imaginariam illuſionem, ſaltem ſine gravi culpa, acciderit. 3. Hoc ipſum Confeſſarius ſeu director animæ patienti pro ejus conſolatione inſinuare poterit, ita tamen, ut nec ille, nec illa abſolute certificentur, ſed ſemper cum timore, & humilitate, ſpem ſuam in Deo collocando, ſufficit ſcire, quod Deus non permittit aliquem tentari ſupra id, quod ſine culpa ſuſtinere poteſt, 4. Per media ſpiritualia (§. 210. *ſeq.*) relata, & §. proximo breviter repetenda ad evertendam omnem animæ & corporis immunditiam laborandum eſt: poteritque conducere, ſi cordate fiat, in ſignum involuntarietatis, ligare manus retrorſum, & cum teſte reperiri eo tempore, quo talis aggreſſio a dæmone timetur, quia vix niſi ſolitarie ejusmodi illuſiones contingunt, uti Thyræus *de loc. infeſt. c.* 91. obſervat: & Poſſadas *in Triumpho caſt. contra luxur. diab. Molinos c.* 1. refert, quod aliqua perſona dicto modo ſe ligans ſoluta quidem reperta, ſed nunquam exterius in aliquid obſcœnum cooperata fuerit.

§. 225.

Etſi vero obſeſſus a dæmone hujusmodi exercitium, quamdiu demum duraverit, patienter in Domino ſuſtinere debeat, ſanctum tamen, & ad perfectionem ut plurimum expediens eſt, maxime ſi quis ad obſcœna vexetur, cum humili in Deum fiducia per *remedia* ſive naturalia, ſive ſupernaturalia liberationem procurare. Unde paucarum animarum valde perfectarum, idque nonniſi ex impulſu divino, eſt, dæmonum vexationes in ſe provocare, uti ali- *Remedia contra obſeſſionem.*

 quan-

quando S. Thereſia ex charitate fecit, ipſa teſte *in vita c.* 31. *poſt init.* ſunt autem hæc remedia eadem quæ contra poſſeſſionem a §. 2.. uſque ad 214. præſcripta ſunt, quæ etiam p.. dæmonum obſeſſione ſalutaria ſunt: de ſol.. Exorciſmis difficultas, & lis eſt inter Doctore.. quam modo examinare juvat.

An Exorciſmi contra obſeſſionem ſerviant.

Rationes pro ſententia negativa.

Schol. 1. Quæritur proinde an Exorciſmorum remedium ita ſit proprium contra energumenos, ſeu poſſeſſos, ut contra obſidentes, vel aſſiſtentes dæmones ſervire nequeat. Non conveniunt in hac quæſtione decidenda Doctores. P. Godinez *in Praxi Th. myſt. l.* 3. *c.* 11. reſpondet: „ Pro poſſeſſis inſtituit Eccleſia Exorciſmos, qui contra dæmones obſidentes non valent: imo per illos irritantur, perſonasque obſeſſas excruciant. Sacras perſonæ cujusdam obſeſſæ confeſſiones per aliquot excepi annos tres ſuſtinentis dæmones obſidentes, qui per novem ſupra decem annos illam afflixerunt: octies eandem Exorciſmis adjurarunt, ſed ne quicquam: fuitque perſona iſta eximie ſancta, decorata poſtmodum gratia miraculorum “. Rationes pro hac ſententia etiam non deſunt: nam 1. quia textus Evangelici, ex quibus poteſtas exorcizandi Eccleſiæ conceſſa probatur, loquuntur expreſſe de dæmonibus ab energumenis ejiciendis. (§. 214.) 2. In ordinatione Exorciſtarum ſolum dicitur: „ Exorciſtam enim oportet abjicere dæmones ab energumenis “. 3. In Rituali Romano non habentur alii Exorciſmi, niſi contra Energumenos, qui ibidem obſeſſi vocantur.

Rationes ſententiæ affirmativæ.

Schol. 2. Econtra Thyræus *de loc. infeſt.* ſtare videtur pro ſententia affirmativa, pro qua ſequentes rationes militant. 1. Quia nonnulli textus S. Scripturæ loquuntur de poteſtate ſuper dæmones generice, uti Luc. 9. v. 1. *Et poteſtatem ſuper omnia dæmonia*; ſine reſtrictione ad ſolam poſſeſſionem.

2. In

2. In ordinatione Exorciſtarum dicitur: „ Recte „ in aliis dæmonibus imperabitis “. Et in oratione: „ Poteſtatem, & imperium habeant, ſpi- „ ritus immundos coercendi: ut probabiles ſint „ medici Eccleſiæ tuæ, gratia curationum, virtu- „ teque cœleſti confirmati “. 3. Etiam in Rituali Romano ultra Exorciſmos contra energumenos reperiuntur benedictiones domorum, aquæ ſanctæ, aliæque, ubi exorcizantur dæmones, qui ſolum aſſiſtunt.

Conciliatio utriusque ſententiæ.

Schol. 3. Utramque hanc opinionem conciliare nititur P. Reguera *Th. myſt. t.* 1. *pag.* 769. *n.* 711, dicendo, præcipue quidem ex primaria intentione inſtitutos fuiſſe Exorciſmos contra energumenos, quibus inutiliter ageretur contra exterius obſeſſos, niſi quando ad probandum poſſeſſionem, vel obſeſſionem adhibentur. Extenſive tamen ad repellendos, vel coercendos dæmones a pure obſeſſis alii exorciſmi ex benedictionibus domorum, aquæ ſanctæ, & exorciſmis tempeſtatum, in Rituali contentis, extracti, ſecure accommodari, & uſui eſſe poſſunt. Verum quidem eſt, non ſemper hic reſpondere deſideratum effectum ſaltem plenum, ſicuti in energumenis, quia ſæpe animabus ſanctis hoc exercitio dæmonum diu vexari expedit.

Quomodo infeſtationes diabolicæ ab aliis diſcernendæ.

Schol. 4. Illud adhuc notat Thyræus *l. c.* quod infeſtationes ejusmodi extraordinariæ non ſolum ab Angelis malis, ſed ſubinde etiam ab animabus damnatis, vel animabus purgatorii provenire poſſint, ubi obſervandum 1. quod animæ purgatorii ſolum indirecte infeſtent, quatenus ad commiſerationem ſui movere volunt. 2. Animæ vero damnatæ ſaltem frequenter non infeſtant directe, ſed tantum ex juſſu Dei de pœnis ſuis viventes edocent. 3. Dæmonum autem proprium eſt, directe infeſtare, ad homines vexandos, torquendos, & tentandos. Proinde 4. ex his ſignis vel certo, vel conjecturaliter colligi poteſt, a qua ſpirituum ſpecie infeſtatio procedat, licet ſubinde res in dubio permaneat.

Adhortatio ad diabolum vincendum.

Corollar. Reſiſtamus ergo diabolo non in timore, & puſillanimitate, ſed in fide usque ad contemptum ejus, quaſcunque demum ille contra nos tentandi & infeſtandi machinas ſtringat. *Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos.* Pſ. 117. *Altiſſimum poſuiſti refugium tuum.* Pſ. 90. Adeoque ut hic ait S. Bernardus: *Non accedet illuc tentator non calumniator aſcendet, non peſſimus ille fratrum accuſator attinget. Sæpe illuc fugiamus fratres, munitus eſt locus, nullus ibi timetur hoſtis.* Præcipue autem triſtitiam, & melancoliam ſuperemus, quia juxta effatum S. Bonaventuræ in ſpec. diſc. p. 1. c. 2. *Solet in aqua turbida latere piſcaturus animam coluber tortuoſus.* Rationem dat Zacchias *in quæſt. medicolegal. l. 4. tit. 1. q. 8. n. 32.* „ Quia „ ii, qui humore melancolico exuberant, maxime „ ſunt timidi, & imaginoſi, & ſic facilius a dæ„ mone obſidentur. Adde quod eodem humore „ ſuperabundante mores, quantum eſt ex hoc, „ mali ac deterrimi redduntur: facit enim ex ſua „ natura homines moroſos, invidos, avaros, ob„ ſtinatos, vindictæ avidos, & ab omni humana „ charitate alienos. Inde ergo fit, quod talia „ corpora, utpote ſuæ naturæ quam ſimillima, „ de facile ac prompte dæmon obſideat „. Igitur *triſtitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipſum in conſilio tuo.* Eccli. 30. v. 22. Unde bene monet S. Chryſoſtomus l. 2. de Provid. *Non dæmon eſt, qui mœrorem movet, ſed mœror potius vires dæmoni adminiſtrat, cogitationesque malas ſuſcitat.* Quod probat ex Apoſtolo 2. *Cor.* 2. *v.* 7. qui juſſit inceſtuoſum ab excommunicatione, & juxta interpretes a poſſidente Satana abſolvi, *ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Unde ſubdit S. P. *non dæmonem aliquem metuere, ſed mœroris magnitudinem timere deprehendit.* Et poſtquam exempla eorum, qui ſeipſos ex mærore occiderunt, retulit, dicit: *Quod ſi inter eos quiſpiam fortaſſe fuerit arreptus a dæmone, hujus quoque perditio non dæmoni, ſed mœroris tyrannidi, ac violentiæ merito imputanda erit.*

§. 226.

§. 226.

Altera ſpecies derelictionis eſt *purgatio paſſiva partis intellectualis* (§. 164. *Sch.* 2.) quæ in privatione devotionis intellectualis accidentalis, ſeu delectationis ſubſtantialis, intellectualis, & rationalis conſolationis, & dulcedinis conſiſtit (§. 71. *Sch.*) & a Card. Bona *de diſcret. ſpir. c.* 13. deſcribitur: „ Eſt mentis obtenebratio, & voluntatis ægritudo, adeo „ terribiliter excrucians animam, ut pœnis in„ferni ſimilis eſſe videatur". Id quod *n.* 6. adhuc magis declarat dicens: „ In parte ve„ro ſuperiori denſiſſima caligine mens obſcu„ratur, languet voluntas, nusquam inveniens „ conſolationem, nec in Deo, nec in creatu„ris: omnis æſtus amoris refrigeſcit; & quod „ graviſſimum eſt, tot tentationibus premitur, „ ut ſibi ſæpius videatur diffidentiæ, blaſphe„miis, ac deſperationi aſſenſum præbuiſſe. „ Hoc horribile tormentum pœnis inferni aſſi„milant, qui experti ſunt". *Purgatio paſſiva partis intellectualis.*

Schol. Purgatio paſſiva partis intellectualis potiſſimum in memoria, & qua eam multum adjuvat phantaſia, (§. 91. *Sch.*) intellectu ejusque operationibus, (§. 93. *cum Sch.*) & voluntate, ejusque actibus (§. 95. *cum Sch.*) perficitur: id quod modo explicandum eſt. *Varius ejusmodi.*

§. 227.

Primo igitur purgatio paſſiva partis intellectualis perficitur per *derelictionem memoriæ, phantaſiæ, & imaginationis*, quæ conſiſtit in quibusdam pœnalibus tenebris, & terrificis obſcu- *Primus modus per derelictionem memoriæ.*

obſcuritatibus, per quas anima affligitur, ita ut omnia ſua objecta inverſo ordine imaginatur. Unde 1. licet anima ſit grata Deo, tenaciter apprehendit, quod ipſi ſit inimica. 2. Imaginatur ſibi iratum, & ad vindictam accinctc Deum. 3. Sive orationem, ſive animam perditum iri autumat. 4. Perſuadet ſibi, jam non vitæ in melius commutandæ, nec forte ſalutis æternæ viam ſuppetere. 5. Solent tunc exurgere magno cum tumultu intricatæ repræſentationes, & ſcrupuli contra fidem, ſpem, & charitatem, atque ſimul cum rebellante phantaſia tumultuatur appetitus ſenſitivus, & in totam animam inexplicabile tormentum, & confuſionem derivat. Ab imaginatione veni anxius ille conflictus inſtar veneni per omnes potentias ſenſitivas externas diffuſi, adeo, ut etiam aſpectus rerum venuſtarum, & jucundarum triſtitiam, & ſcrupulum pariat. Hæc patiens in lecto invenit vigilias, in cibo nauſeam, in audiendo faſtidium, in cognatis contemptum, in amicis dedignationem, ita; ut nulla ſit creatura, quæ ad hanc æque infelicem, ac afflictam animam elaborandam, & purificandam non conducat.

Quantum in hac purgatio ſolatium datum valeat.

Schol. Si in hoc ſtatu ſcrupuli non minus intricati, quam rabidi conſurgant, videtur plane animam in quodam quaſi equuleo eſſe ſuſpenſam, cum dolore, & amaritudine adeo ſenſibili, ut ſeſe omnibus corporis membris communicet, & vehementiſſimo dolore oſſa, nervos, & muſculos afficiat, cui neque medicina, neque medicus mederi, ſed qui ſolo lenimine defatigationis internæ curari poteſt. P. Godinez *in prax. Th. myſt. l.* 3. *c.* 3. teſtatur, quod ejuſmodi perſonas conſolatus fuerit, & ad-

ver-

verterit, quod pari cum conſolatione interna exteriores corporis dolores mitigati fuerint, donec tandem integra ſanitas recuperaretur.

§. 228.

Secundus modus per dereliſtionem intellectus.

Secundo. Purgatio paſſiva partis intellectualis perficitur per *dereliſtionem intellectus*, qui adinſtar ſolis eclipſiri patientis, quadam ingenti obſcuritate in lumine intellectuali obruitur, quo fit, ut habitus ſcientifici ſe abſcondant, conſolatio deficiat, diſcurſus non concludat, prudentia non valeat, experientia ſit in oblivione, ignorantia dominetur, dubia, ſuſpiciones, ſcrupuli etiam contra rectam rationem in unoquovis objecto occurrant. Et quemadmodum ſi quis in obſcura quadam viperis, & ſcorpionibus plena ſpecu degens, mortem ſingulis momentis tremens formidat, & cum ſumma afflictione, horrore, pavore, & timore vitam agit, ita ut omne, quod ibi movetur, vipera ibi videatur vitam mox ereptura, adeoque maxima afflictione premitur: ita ſe intellectus in hac dereliſtione habet, utpote qui nullo interno motu agitatur, qui ſibi vipera non ſit, veneno ſuo eum infectura.

§. 229.

Tertius modus per dereliſtionem voluntatis.

Tertio. Purgatio paſſiva partis intellectualis perficitur per *dereliſtionem voluntatis*, quæ tempore dereliſtionis fornax eſt, in qua totum, quod in tam terrifica purgatione amariſſimum eſt, cuditur: imo eſt veluti centrum, in quo innumerabilium laborum, anguſtiarum, tædiorum, obſtinationum, indignationum, tentatio-

tationum, furiarum, anguſtiarum, blaſphemiarum contra Deum ac Sanctos, lineæ concurrunt. In hac cruce, & conflictu anima poſita ſentit in ſemetipſa vagari, & effræni licentia rebellare vitia, & paſſiones ſuas, acſi eſſent totidem immundæ cloacæ, toxicum ſuum in eam exhalantes: bonum illi nauſeam movet, malum eripit appetitum ſenſitivum, & appetitum etiam rationalem ſubjugare contendit: ratio a ſua vi deficit, liberum arbitrium comprimitur, gratia ſe abſcondit, totus denique animæ fundus tædioſo quodam deliquio ineffabiliter animam torquente obruitur.

Exempla hujus purgationis.

Schol. 1. Exempla hujus purgationis paſſivæ partis intellectualis nobis exhibent acta Sanctorum, præcipue vero B. Angelæ de Fulginio in *Act. SS. Antverp. d.* 4. *Jan. c.* 2. *vitæ.* ubi hæc Beata teſtatur, maluiſſe ſe omne genus Martyrii ſubire, quam talem pati deſolationem. Vincentius Puccinus Confeſſarius S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis ejus vitam conſcripſit, quam latine exhibent Bollandiſtæ die 25. Maji in cujus *cap.* 6. refertur, quod per ariditatem ſpiritus fiebat, ut ei tædio eſſent omnia Religionis exercitia; quod dæmon ei conabatur perſuadere, nullum eſſe Deum, nec SS. Euchariſtiam adorandam: quod accedens ad feneſtellam ad communicandum videbatur ſibi videre dæmonem, quaſi ipſam interfecturum, quod eam denique dæmon ſæpe impellebat, ut Deum blaſphemaret, & Sanctos. Item hac derelictione duobus annis B. Franciſcum, decem Henricum Suſonem, & ſeptendecim B. Mariam Ægyptiacam fuiſſe vexatos ex S. Joanne de Cruce refert Thomas a Jeſu *t.* 2. *c.* 14 *in fin.* & P. Godinez *Prax. Th. myſt. l.* 3. *c.* 5. audivit bonum quempiam Theologum, hominem limati judicii, & clari ingenii, ac eximiæ ſanctitatis dicentem ſibi, poſtquam hanc purgationem

ex-

expertus fuerat, aliam ſibi non occurrere comparationem ad explicandum hoc genus tormenti, quam cogitare hominem ex toto igneum, & in corpore incluſum, quod ex ſenſibiliſſima carne conſtaret: quantum foret corporale illud tormentum, ex ſe patet, nec ſine gratia plene miraculoſa ullus hominum poterit, vita comite hoc derelictionis genus ſufferre. Pauci ad hoc extremum perveniunt; ſed felices illi, ſi quidem ipſis reſervatur ſuo tempore, quod in contemplatione ſuaviſſimum eſt, atque ſupremum. Ita ille.

Schol. 2. Varias tentationum ſpecies in hac purgatione occurrentes S. Bonaventura *in proc.* 4. *Rel.* enumerat. Primam videlicet, ſubtractionem, & inopiam devotionis. Secundam, difficultatem ad bene operandum. Tertiam, faſtidium, quod quis experitur in omni bono exercitio. Quartam, tentationem impatientiæ contra Deum. Quintam, quam dicit magis periculoſam, quando ex longo tempore ſubtractionis gratiæ, & inter anxia deſideria recuperandæ gratiæ ſolitæ devotionis homo quaſi laſſus remittit animum ab intentione quærendi, & ſub colore patientiæ deſinit ulterius quærere auxilia, & cum indignante humilitate cogitat, ſe fore indignum tali gratia, & quod Deus illum ordinaverit ad alia opera exteriora, & ſic deſinit ab interioribus. Sextam denique, quæ plures includit, & eſt hæſitatio in fide catholica, vel deſperatio de Dei miſericordia, ſpiritus blaſphemiæ in Deum, & Sanctos, injiciendi contra ſeipſum manus, ac occidendi, & perplexitas queruloſæ conſcientiæ medicinale conſilium contra hæc mala non admittendi. *Variæ tentationes in hac purgatione.*

§. 230.

Finis purgationis paſſivæ partis intellectuaſ præter alios (§. 166. - 177.) relatos in animabus perfectis plerumque eſt, ut *ad contemplationem diſponantur* prout dictum eſt. (§. 183.) *Finis hujus purgationis eſt diſponere ad contem-*

Id

platio-
nem.

Id quod etiam obſervat Alvarez *t.* 3. *vit. ſpir. l.* 2. *p.* 3. *c.* 6. „ Quis tunc non extimeſcat? „ quis non ſe deſpiciat, cum ſe caligine obvo- „ lutum, & beſtiis inanium cogitationum, & „ affectuum ſe circumſeptum advertat? ... „ An eſt aliquid ariditatis nive frigidius? ſed „ en Dominus novit ceu lana conſolationis fo- „ vere: an aliquid nebula obſcurius, quæ te- „ nebras, lucis privationem æmulatur? ſed „ ea novit terram cordis noſtri velut cinere „ fæcundam reddere. An eſt grandine mole- „ ſtius aliquid? ſed ea ſcit Deus quaſi buccel- „ lis panis ſuaviſſimi animam paſcere “. Et Berniens Lovygni in ſuo *Chriſt. inter. l.* 6. *c.* 8. ait: „ Complacet ſibi Deus quam maxime „ intuendo animam in hujusmodi ſtatu miſe- „ riæ: cæterum anima, quæ id ignorat, ſu- „ ſpicionibus ſcatet timoribusque: ſi ab illa pe- „ tas, num ſit voluntate Dei conformis, ex- „ templo reſpondet, ita omnino, & ſatius mor- „ tem obituram, quam deficere a volendo, „ quidquid velit Deus. Sed neque iſte reſig- „ nationis actus extrahit illam a pœnis ſuis; „ quia Deum dum amat, vix credit ipſum ama- „ re. Dominus noſter ob mirabiles fines ſuæ „ providentiæ, qua vult facere, quod anima „ patiatur, & radicitus purificetur, impedit „ illam, ne reflectatur ſupra hunc ipſum, quem „ elicit, actum conformitatis, ita ut non te- „ neatur ulla conſolatione vel ex eo, quod „ ſciat ſe eſſe conformem: unde in quadam „ totali deſolatione vivit, plene immerſa in „ pœnis ſuis: quo vero non obſtante in hoc „ ſtatu affatim Deo placet, quanquam ſibi val- „ de diſpliceat “.

Schol. Cruciatur igitur anima in hac derelictione, probatur, & purgatur ex defectu luminis reflexi, unde neſcit ea ipſa, quae voluntas arida reſignatione ſubſtantiali bene vult; & inſuper nova lux oculos mentis illius perſtringit, quae illi ſuos proprios defectus oſtendit, qui in ea nondum ſatis purgata horribiles pavores, & terrores excitant: quo tamen non obſtante, haec probatio animae poteſt contingere, quam Deus ob alios fines ſuae providentiae ad contemplationem non vult perducere: uti probatum fuit. (§. 187.) *Contemplatio non ſemper ſequitur.*

§. 231.

Ut autem anima in hoc ſtatu purgationis proficiat, praeter *regulas* alibi jam praeſcriptas (§. 179. *usque ad* 187.) ſequentes adhuc bene tenendae, & obſervandae ſunt. *Primo.* Licet bene cognoſci queat, maxime quando conſolatio advenit, an anima notabiliter vi deſolationis, & purgationis paſſivae quoad partem ſenſibilem in abdicanda ſui adhaeſione ad ſenſibilia profecerit: an vero hic profectus ſit in illo gradu perfectionis, cui purgatio intellectualis ſuccedat, per quam diſcit ſtare animo voluntario derelicta ſine omni adjutorio; & ita gratias agere, & laudare Deum, & in nullo niſi in beneplacito divino ſuam quietem quaerere, ut ita ad contemplationem elevetur, ſoli Deo reſervari videtur; imo quamvis utcunque ab effectibus conjicere poſſimus, quandonam ſenſibiliter, & quando intellectualiter anima probetur, nihilominus abſolute valde difficile eſt, diſcernere actus potentiarum ſenſibilium internarum, ab actibus potentiarum ſpiritualium, item actus indeliberatos a deliberatis, & partis inferioris a parte ſuperiore. *Regula prima: purgatio ſenſibilis ab intellectuali bene diſtinguenda.*

Cautela pro directoribus.

Schol. Ezquierra in ſua *Lucern. myſt. tr. 6. c. 12.* bene notat: „ Sæpius videmus nonnullos Magiſtrorum „ confundi in dignoſcenda hac paſſiva purgatione „ ſpiritus; & dum animam conſpiciunt obſcuritatibus, laboribus, & tentationibus circumactam, „ putant in hac purgatione eſſe conſtitutam. Sed „ frequenter male: quia ad eam pauciſſimi accedunt ob eorum indiſpoſitionem, & rari ſunt, „ qui eam attingant “. Scilicet loquendo de purgatione plene obtenta, cui nimirum perfecta abnegatio reſpondeat.

§. 232.

Secunda. leves lapſus non debent nimium perturbare.

Secundo. Si anima in inſigni virtute, maxime heroica in Deo reſignatione, cum cognitione ſui nihil, in purgatione intellectuali ſolidata, in *aliquos impatientias*, vel ſimiles *defectus* labatur, non debet ſtatim *perturbari*, nec director eam *perturbare* debet, nec tamen etiam omnia excuſare, quaſi penitus indeliberata forent; ſed eam ad proficiendum vel ex ipſis defectibus, ſi qui forte ex negligentia obrepſerint, leniter adhortari, uti jam monuimus. (184.) Id quod etiam S. Gregorius *l.* 19. *Mor. c.* 5. docet: *Quia Sancti ipſi, qui Sancto ſublevante ſpiritu ad æterna rapiuntur, quamdiu in hac vita ſunt, ne aliqua elatione ſuperbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, ut nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt; ſed ut extollantur ſuperbia, fit in eis ipſarum quadam menſura virtutum.* Id quod ab exemplo Eliæ, & Pauli probat.

§. 233.

Tertia. bene inter perfectos

Tertio. Director animas imperfectas, & nondum ſolide in virtute fundatas bene diſtinguere

guere debet a perfectis, nam in imperfectis longe magis timendum, ne in probatione deficiant, & non modo in levia, ſed etiam gravia peccata labantur, unde nec nimium confidenter, quaſi nihil timendum habeant, conducantur, nec nimium terreantur, quaſi non omnia in tuto ponere poſſint, ſi ad reſignationem cum humilitate procurandam cum divina gratia inſiſtant. *& imperfectos diſtinguendum.*

Schol. Hanc regulam Harpius *l. 2. Th. myſt. c. 48.* tradit, ex qua fluit 1. quod multi infideles amici Dei reperiantur, qui quamprimum derelictionem ſentiunt, mox in affectu proficiendi refrigeſcunt, & maximo animarum ſuarum periculo ſolatium in creaturis quærunt. 2. Alii ex puſillanimitate omnes corporis commoditates ſibi in derelictione neceſſarias eſſe credunt, unde licet non ſtatim peccatum mortale incurrant, ardor tamen devotionis in eis minuitur. 3. Alii ſubtracta interna ſuavitate, tam moroſos ſe aliis exhibent, quaſi infernali quodam ſtimulo urgerentur, & pro re nullius valoris graviſſime conturbantur. 4. Alii poſt conſolationem deguſtatam, deſolatione probati, inſtabiles fiunt, modo hac, modo alia via ex proprio ductu eam requirendo: unde pœnitentiis externis ſe macerant, ſed pure Deum per eas non quærunt: impetuoſi multa conſilia a diverſis Confeſſariis petunt, quæ tamen, ſi non ſint ad guſtum eorum, rejiciunt, & ſic eorum ſalus periclitatur. 5. Alii tempore conſolationis ex indiſcreto zelo, & nimiis pœnitentiis, natura fracta, in ariditatem ſpiritus incidunt, & habent terreſtrem infernum omnibus diebus vitæ ſuæ. „ Sed Deus, inquit citatus Author, non permittet eos damnari, niſi „ ſcienter ſe converterent ad mortalia peccata: „ eorum tamen puſillanimitas, ſcrupuloſitas, tentatio de fide, & hujusmodi, erunt eis pœna „ temporalis ſuper terram, ſed non in damnatio„ nem“. *Errores imperfectorum.*

„ nem“. 6. Etiam inter fideles Dei amicos ſunt nonnulli, qui ex indiſcretione tempore conſolationis, ingruente deſolatione, ex nimia aviditate eam recuperandi, turbantur, de quibus citatus Harpius ait: „ Hi quidem recipiunt pœnam p „ ſua indiſcretione, & poterunt multum in i „ mereri, ſi quiverint patienter, & longanimiter „ ſuſtinere. Et quamvis videantur non habere „ poteſtatem ſuæ rationis in impetu illius magnæ „ preſſuræ, infernalis invidentiæ, atque malitiæ. „ Nihilominus poſtquam ille tranſiit, dolere de- „ bent ſecundum ſuperiorem rationem de omnibus, „ & voluntatem ſuam reſignare in voluntatem „ Dei, orando eum, ut ſibi ignoſcat de præteri- „ tis, & defendat ab imminentibus, ſeu futuris“.

§. 234.

Quarta. fidei nuda firmiter inhærendum Deo.

Quarto. Cum lumen ſaltem *fidei*, licet procul ab omni conſolatione, maneat in purgatione intellectuali, anima in effectum, *ſoli Deo adhærendi* debet vehementius erumpere. Ita hortatur S. Petrus ep. 2. c. 1. v. 19. *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem:* (id eſt fidem) *cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Ergo fidelis anima in ſtatu derelictionis attendendo nudæ fidei, ut lucernæ lucenti in caliginoſo loco, magis confirmari, & certior fieri poteſt, quam cum fide clara conſolationis experientia ornata procedit, quia lucente hac luce in tenebris, ſoli Deo inhærere cogitur, usque dum lucifer contemplationis in via illuceſcat, quæ facit exordium contemplationis in patria. Hoc ipſum docet S. Joannes a Cruce *in nocte obſcura* dicens: „ Ea eſt, quod quantumvis non procedat

„ cedat anima, inhærens alicui luci interiori „ particulari intellectus, nec ulli exteriori du„ ci, unde aliquam ſibi conciliet ſatisfactionem, „ & auxilium in hoc itinere arduo, cum ob„ ſcuræ tenebræ ſuæ illam hoc toto privent: „ nihilominus amor, & fides, quæ in tali „ ſtatu ardebant intra ipſam, in dilectum cor „ inflammando, ſunt illa, quæ eandem mo„ vent, ducunt, & evolare ad ſuum Deum „ faciunt per ſolitudinis viam, quin anima „ conſcia ſit, quo pacto contingat“.

§. 235.

Quinto. Ipſa omnis fere lucis, & ordinis privatio cum innoxiis erroribus horrore plenis, quibus anima in tenebricoſo derelictionis ſtatu terretur, eam quidem *de propriæ miſeriæ abyſſo* convincere debent, ſed minime ab inhærendo magis Deo ſuo retrahere. Regulam hanc tradit S. Thereſia *in Caſtell. manſ.* 6. *c.* 1. *ſub fin.* dicens: „ In hac tempeſtate derelictionis „ nullum extat remedium; niſi expectare Dei „ miſericordiam, qui extemporaneè uno ſolo „ verbo ſuo, vel occaſione quadam caſuali de„ let omnia cito, ut videantur nulla fuiſſe ani„ mæ illius nubila, cum tam plena ſit ſole, „ multoque majoris, quam antea conſolationis. „ Et tanquam quæ a prælio periculoſiſſimo eva„ ſit, obtenta victoria, tota convertitur in „ laudes Domini, qui ad vincendum dimica„ vit: quandoquidem clariſſime recognoſcit, „ non fuiſſe ipſam, quæ prælium confecit, & „ arma omnia, quibus tueri ſe poſſet, viden„ tur ſibi eſſe in manu ſui poſita inimici, atque

Quinta. eſt humiliatio ſui.

 „ ſuam

„ ſuam clare miſeriam agnoſcit, & quam ſit
„ exiguum, quod poſſumus, ſi a Domino de-
„ relinquamur. Videtur jam conſideratione
„ non egere, ut hoc agnoſcat, quia experien-
„ tia propria, qua ſe vidit inhabilem ad omnia
„ facit jam bene capere noſtrum fere nihil, &
„ quam ſimus res miſerrima. Gratia utique,
„ ſine qua oportet, quod non fuerit, ſi qui-
„ dem in ea ipſa procella Deum non offendit,
„ nec pro quavis re orbis terrarum offenderet,
„ ita eſt abſcondita, ut ne ſcintillam quidem
„ divini amoris ſibi videatur unquam habuiſſe:
„ ſi enim aliquid unquam bonum fecit, aut
„ Dominus aliquo favore illam eſt dignatus,
„ totum ſibi videtur purum putum ſomnium,
„ & phantasma: tantum peccata ſe porro fe-
„ ciſſe indubitanter intuetur “.

Adhortatio ad patienter ferendam purgationem intellectualem.

Corollar. Idea animæ in ſchola Jeſu proficientis in perfectione, & derelictione probatæ habetur. *Matth.* 8. *v.* 23. Quando ſcilicet aſcendente Jeſu cum diſcipulis in naviculam motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, Jeſus vero dormiebat, quaſi nulla ſibi cura eſſet de illa. Quid tum anima? niſi quod cum ſe videat ab omnibus, & vix non a Deo, quaſi obdormiente, derelictam, periculo ſuo edocta ad Deum confugiat, precando clamet, & dormientem excitet, dicens: *Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem: quare faciem tuam avertis? obliviſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?* Pſ. 43. v. 23. Licet autem tunc merito timeat, & oret: *Domine ſalva nos, perimus*, nihilominus miti quadam ab eo increpatione docetur, quod in medio ſæviſſimæ etiam tempeſtatis non ita timere debeat, ut ſpes non prævaleat, neque ſic pro ſalute ſua orare, ut in fide vel tantillum hæſitet,

tet, quasi vero ille, qui dormit, pro illa corde non vigilet, nec eam in ipſa tempeſtate ſalvam facere poſſit: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Quando enim plenius ſe anima in dilecti providentiam conjecerit, tanto celerius experietur, quod exurgens imperabit ventis, & mari, & fiet tranquillitas magna.

§. 236.

Aphoriſmi circa derelictionem.

I. Latebit hominem neque tentatum, neque tribulatum, quod in vita ſpirituali eſt magis ſubtile, ac delicatum. *Aphoriſmi circa derelictionem.*

II. Derelictio eſt, ut vaſculum aurificæ purificationis, quo fiat cor capacius omnis perfectionis.

III. Dolores, fracta ſalus, & enormis tribulatio, ſunt ſolitæ diſpoſitiones, quas ſequitur contemplatio.

IV. Querelas ferre, injurias, indiſcretionem, compendium eſt, & quidem ſecurum, ad perfectionem.

V. In derelictione quanto major fuerit divina abſentia, tanto ſuavior eſſe ſolet divina pariter præſentia.

VI. Quanto plus anima derelicta patitur violentiæ, tanto minus experitur pro tunc opem corporalis poenitentiæ.

VII. Poenitens, qui negligit mortificationes, etiamſi mortuam habeat carnem, vivas retinet paſſiones.

VIII. Orationem utique juvat poenitentia corporalis; juvat autem melius mortificatio, quæ poenitentia eſt ſpiritualis.

IX. Pati pro culpa proprium eſt ſceleratorum: at pati ſine culpa proprium eſt hominum Sanctorum.

X. Qui patitur perſecutionem, & derelictionem, ad conſummatam pertinget perfectionem

XI. Cum exteriore pœnitentia poteſt adeſſe incontinentia: ubi tamen adeſt deſolatio, non poteſt non ſuccedere conſolatio.

XII. Abnegatio propriæ voluntatis ſignum eſt certiſſimum ſolidæ ſanctitatis.

XIII. Qui in pœnitentiis ſuam pro arbitrio exercent voluntatem, præter vitia occulta, ſemper multam oſtendunt vanitatem.

XIV. Quid eſt eſſe pœnitentem, non tamen obedientem, niſi virtutem tenere, ſanctitatemque ſolum apparentem.

XV. Pœnitentiæ, quæ ad propriam fiunt voluntatem, ſolent in anima ingerere quandam ſecretam vanitatem.

XVI. Pœnitentiæ, quæ aſſumuntur ſub ſubordinatione ad Patrem ſpiritualem, ultra purgare animas, habent conſervare congrue orationem mentalem.

XVII. Ex auſteritate faſtuoſa fit vanitas quædam ambitioſa.

XVIII. Qui cupit non aberrare in pœnitentia corporali, reſignet ſe in omnibus ſuo Patri ſpirituali.

XIX. Perſuaſum homini ſit, ſine ſcopa pœnitentiæ raro munditiem obtineri conſcientiæ.

XX.

XX. De dicto ad factum magna eſt diſtantia, magis autem multum ab actione diſtat tolerantia.

XXI. Qui multa facit bona, ſed paucis vexatur malis, non evadet homo perfecte ſpiritualis.

XXII. Oratio perſeverans, quæ ordinarie habet comitem ariditatem, gignere ſolet in animabus ſolidam ſanctitatem.

XXIII. Lachrymæ, ſuavitas, teneritudo, & devotio, niſi pœnalitatibus ſocientur, ægre ſunt ad perfectionem promotio.

XXIV. Valde ſapida eſt ſuavitas exquiſita contemplationis, utiliſſima vero amaritudo derelictionis.

Schol. Aphoriſmus V. intelligendus eſt de derelictione, in qua anima non præciſe patitur, & eo modo, quo poteſt, bonum operatur. Et Aphoriſmus VI. vult, pœnitentiam corporalem non prodeſſe ad conſolationem, donec menſura patiendi a Deo definita impleta fuerit, quæ tamen pœnitentia nec omnino omittenda eſt, nec ſine diſcretione cum exceſſu facienda, ſed ad normam prudentis directoris. Denique Aphoriſmus VII. ſumendus eſt de pœnitente ſolo exercitio mortificationis corporalis, cum neglectu mortificationis internæ, & ſpiritualis. *Explicatio aliquorum Aphoriſmorum.*

§. 237.

Arcana derelictionis.

I. Nonnullæ perſonæ ſpirituales, dum interius derelictione, triſtitia, & afflictione vexantur, exterius in corpore terribiles dolores ſentiunt; quia his paſſionibus animæ varii motus, & humorum alteratio in corpore reſpondent, *Arcana derelictionis.*

dent, (§. 89. *Sch.* 3.) qui ejusmodi dolores cauſant, quorum curatio nec a medicis, nec a medicinis dependet, ſed potius a ſolatio illis a prudente directore allato, quod ſedatis paſſionibus inordinatis integram ſanitatem illis procuraſſe non ſemel experientia docuit, licet uſus medicinæ juxta cautelas (§. 190. *Sch.*) præſcriptas non omnino excludendus ſit.

II. Animæ ad contemplationem prædeſtinatæ plerumque in ſe derelictionem aliquo modo experiuntur, quia cum derelictio ſit quædam amaritudo ſpiritualis, providit Deus, ut ultima eſſet diſpoſitio ad cœleſtem formam contemplationis, quæ tandem unit creaturam cum ſuo creatore: unde rariſſimus eſt contemplativus affluens deliciis, qui non tranſierit per aliquem tramitem derelictionis; quare ſi contemplatio ſine hac diſpoſitione ſuperveniat, vel non erit diutina, vel exceptio a regula generali.

III. Derelictio non habet certum temporis terminum, per viginti, & plures annos ſubinde durat, usque dum contemplatio ſuccedat.

IV. An in terribilibus illis certaminibus, quæ ab animabus derelictis ſuſtinentur, maxime in blasphemiis, deſperationibus, & tentationibus contra caſtitatem, interveniant peccata ſaltem venialia, non poteſt abſolute definiri, ſed conſcientia ipſa propria hoc indicare debet. Præſumi tamen poteſt de perſonis eximie ſanctis, eas nec conſentire, nec peccare, tum quia tunc ratio eſt cœca, obſcura, oppreſſa, & violentiam patiens a paſſione prædominate, cum quo non ſtat libertas: tum quia in his certami-

taminibus non intendit Deus ſuorum filiorum apſus, ſed coronas.

V. Actus heroici pœnales, v. g. loricas ad vivam carnem geſtare, catenis, & clavis ſe præcingere, longo tempore jejunare &c. ſunt magis admiratione, quam imitatione digna, & divino potius, quam humano conſilio fieri debent, & tunc plerumque ſunt proxima diſpoſitio ad egregiam ſanctitatem.

VI. Quanta eſt diſtantia a dicto ad factum, tanta eſt a facere ad pati, & magis arduum eſt, vel ſemel vapulare manu aliena, quam decies manu propria, ideoque plerumque ſignum magis ſolidæ ſanctitatis eſt pati, quam agere. Cæterum plus interdum valet agere, quam pati, quando vel in illo, vel iſto plus charitatis invenitur. Unde in hac re non datur certa regula, & ſunt exaggerationes, quæ ſubinde a viris ſpiritualibus proferuntur.

§. 238.

Altera unio animæ cum Deo, poſt unionem obſcuram derelictionis, eſt ſuavis, & fit per contemplationem. (§. 163. *Sch.*) Eſt autem *contemplatio* elevatio mentis in Deum per ſimplicem intuitum ardentiſſime affectuoſum. *Contemplatio quid.*

Schol. 1. Sermo hic eſt de contemplatione divina, theologica, myſtica, & affectiva, quæ intellectum illuminat, & affectum inflammat modo ſpeciali, & ſublimi, & quaſi ſupra humano, ſcilicet non per diſcurſum, ſed ſimplici intuitu, in quantum in via fieri poteſt, non ſolum arcana Dei ſpeculante, ſed etiam ad divinos affectus excitante, uti ex decurſu apparebit: unde etiam contemplatio a Myſticis *Qualis ſit.*

ſticis ſpeciali jure Theologia myſtica dicta fuit. Quare non eſt hic ſermo de contemplatione pure Philoſophica, qua Philoſophi etiam per lumen naturæ Deum contemplari poſſunt, uti fecerunt, vel ſaltem facere potuerunt illi Philoſophi, de quibus S. Paulus *Rom.* 1. *v.* 21. loquitur. Nec eſt ſermo de contemplatione Theologica pure ſpeculativa, qua Theologus lumine fidei adjutus Deum contemplatur, quia ſicuti in Philoſopho, ſic etiam in Theologo vana eſt hæc contemplatio, ſi ex curioſitate ibi ſiſtat, nec ad affectum progrediatur.

Variæ definitiones contemplationis.

Schol. 2. Contemplatio a diverſis myſticis varie definitur. S. Auguſtinus, vel potius alius Boetio poſterior *l. de ſpi. & anim. c.* 32. eam definit: *Contemplatio eſt perſpicuæ veritatis jucunda admiratio.* S. Bernardus vel alius Author *l. de ſcal. Clauſt. c.* 1. dicit: *Contemplatio eſt mentis in Deum ſuſpenſa quædam elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.* S. Bernardus *l. de conſid. c.* 2. inquit: *Poteſt contemplatio definiri verus certusque intuitus animi de quacunque re, ſive apprehenſio veri non dubia.* Richardus a S. Victore *l.* 1. *de contempl. c.* 4. ex diſcuſſa dupliciter eam definit, tum ex mente propria: *Contemplatio eſt libera mentis perſpicacia in ſapientiæ ſpectacula cum admiratione ſuſpenſa:* tum ex mente Hugonis Victorini hom. 1. in Eccl. *Contemplatio eſt perſpicax, & liber animi contuitus in res perſpiciendas usquequaque diffuſas.* Cum Richardo procedunt S. Bonaventura *tr. de 7. itiner. ætern. in* 3 *itin. d.* 2. Gerſon *in Th. myſt. conſ.* 21. Harpius *l.* 1. *Th. myſt. c.* 46. & S. Thomas 2. 2. *q.* 180. *a.* 3. *ad* 1. docet: *Contemplatio pertinet ad ipſum ſimplicem intuitum veritatis.* Et addit ad 3. *Quod contemplatio in affectu terminatur:* quod S. Bonaventura ex ipſa Richardi definitione probat, dicens: *Ex hoc autem patet, quod Richardus hic non accepit contemplationem, ut eſt actus intellectus præciſe, ſed etiam ut ſaporoſam dilectionem includit. Nam ſapientia a ſapore dicitur, ut dicit Bernardus, & objectum*

jectum ſapientiæ principale & primarium eſt ipſe Deus, ſub ratione qua verum excitativum voluntatis ad ejus ſaporoſam dilectionem, & actus ſapientiæ eſt, contemplari Deum non quocunque modo, ſed ex dilectione cum quadam experimentali ſuavitate. Igitur ſpectacula ſapientiæ ſunt cognitio veri & amor, ſive ſapor boni. Denique Benedictus XIV. *de Beatif. & Canoniz. l. 3. c. 26.* contemplationem ita deſcribit: *Eſt ſimplex intellectualis intuitus cum ſapida dilectione divinorum, aliorumque revelatorum, procedens a Deo ſpeciali modo applicante intellectum ad intuendum & voluntatem ad intelligendum ea revelata, & concurrente ad eos actus per dona Spiritus S. intellectum, & ſapientiam, cum magna illuſtratione intellectus, & inflammatione voluntatis.*

Schol. 3. Hæ definitiones contemplationis licet non ſint omnes eſſentiales, & ſpecificæ, quatenus tamen per proprietates eam deſcribere conantur, cum noſtra coincidunt: nam illa *perſpicuæ veritatis jucunda admiratio:* illa *mentis in Deum ſuſpenſæ elevatio æterna gaudia deguſtans:* ille *verus & certus intuitus animi:* ille *perſpicax animi contuitus* cum ſuſpenſione in ſpectaculis æternæ ſapientiæ: denique ille *intuitus ſimplex veritatis affectu terminatus cum ſapida dilectione divina,* nihil aliud ſunt, quam quædam mentis elevatio in Deum per ſimplicem intuitum, & ardentiſſime ſimul affectuoſum, utpote in quibus actibus admiratio, ſuſpenſio, guſtus, libera diffuſio &c. ſaltem virtualiter includuntur, vel exinde ut proprietates reſultant, ſicuti ex dicendis patebit. Deinde contemplationi maxime convenit, quod ſit *elevatio mentis in Deum* per quod cum omni oratione, (§. 32.) præſertim mentali (§. 48.) convenit. Deinde contemplatio eſt elevatio mentis *per ſimplicem intuitum,* per quod a meditatione differt, quæ per diſcurſum procedit, & voluntatem movet. Denique hic intuitus eſt *ardentiſſime affectuoſus,* ſeu ad ardentiſſimos affectus voluntatem movens, per quod con- *Definitio data explicatur.*

tem-

templatio myſtica a contemplatione Philoſophi & pura ſpeculatione Theologica diſtinguitur.

§. 239.

Contemplatio datur.

Contemplatio myſtica modo deſcripta dat & admittenda eſt. *Primo* enim eam inſinu S. Scriptura Pſ. 33. v. 9. *Guſtate, & vide quoniam ſuavis eſt Dominus.* Pſ. 45. v. 11. *V cate, & videte, quoniam ego ſum Deus.* Matth. v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum v debunt.* Quæ innuunt, quod mens, & co mundum, vacans ab omni inquietudine, ſ elevari poſſit, ut ſimplici, & affectivo intuit videat, & guſtet, Deum eſſe, ac ſuaviſſimun animæ ſponſum, qui eam elevat, & delecta *Secundo.* Præter Patres (§. 238. *Sch.* 2.) al legatos, Hugo Victorinus *in c.* 2. *de cœl. hier l.* 3. *poſt med.* triplicem oculum diſtinguit: ocu lum carnis, quo videtur mundus, & ea, qu in mundo ſunt; oculum rationis, quo videtur animus, & ea, quæ ſunt in animo: & ocu lum contemplationis, quo videtur Deus, & ea quæ ſunt in Deo, vel quæ ſunt in ſe, & ſupr ſe. Qua doctrina utens S. Bonaventura *tr.* 7. *itiner.ætern. in* 3. *itin. d,* 2. ſubdit: *Iſte oculus contemplationis, de quo dicit ſponſus Ca* 4. *v.* 9. *vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, uno oculorum tuorum: id eſt, tua intelligen ſimplificata penetraſti omnia, pertingendo ad c meum.* Et S. Bernardus, vel alius quis *l.* 1. *dign. amor. c.* 8. duos in anima oculos obſerva qui ſunt amor, & ratio ad videndum Deu ſemper palpitantes, & addit: „ cum alter co „ natur ſine altero, non a Deo proficit; cu „ in-

invicem ſe adjuvant, multum poſſunt: ſcilicet, cum unus oculus efficiuntur ". Et S. Thomas 1. 2. *q.* 69. *a.* 2. docet: *In hac etiam vita purgato oculo per donum intellectus Deus quodammodo videri poteſt.* Et *lect.* 7. explicans illud S. Dionyſii *l. de div. nom. c.* 4. *p.* 1. *ſub med.* Animae autem motus circularis quidem ad ſeipſam introitus ab exterioribus, & intellectualium ipſius virtutum uniformis convolutio ". Ait: *Et hoc eſt, quod primo ponit in motu circulari animae, introitum ipſius ab exterioribus ad ſeipſam. Et hoc eſt, quod ſecundo dicit, quod neceſſaria eſt uniformis convolutio intellectualium virtutum ipſius, ut ſcilicet ceſſante diſcurſu, figatur ejus intuitus in contemplatione unius ſimplicis veritatis. Tertio.* Ratio eſt: poteſt ſine diſcurſu dari judicium ſimplicis intuitionis, non ſolum in Deo, & Angelis, ſed & in homine, qui per intellectum primorum principiorum aſſentitur illorum veritatibus ſine diſcurſu; & per eundem aſſentitur veritatibus revelatis pariter ſine diſcurſu, quae proinde voluntatem ad ardentiſſimos affectus movere poſſunt, quae eſt ipſiſſima contemplatio. (§. 238.)

Schol. 1. Dicis I. ſimplex hic intuitus non convenit homini utpote rationali, & diſcurſivo, ſed Dei & Angelorum tantum eſt proprius. *Reſp.* Homo etiam prima principia, & veritates revelatas per ſimplicem intuitum ſine diſcurſu cognoſcit; quia tamen frequentius, & connaturalius ad veritates perfecte indagandas nonniſi per diſcurſum procedit, ideo diſcurſus illi appropriatur, non vero Deo, qui ſemper; & Angelis, qui frequenter ſine diſcurſu veritates cognoſcunt. II. Simplex ille intuitus nequit eſſe judicium, quod ex ſubjecto, & praedicato *Solvuntur objectiones.*

cato

cato componitur. *Reſp.* Hæc objectio ad inutiles quæſtiones Philoſophiæ antiquæ Peripateticæ ſpectat, nobis ſufficit, quod mens uno impetu lumine gratiæ excitata certam rei deciſionem hoc ſimplici intuitu facere valeat. III. Contemplatio nequit excludere diſcurſum, cum ſæpe generetur meditatione, quæ tota quanta eſt diſcurſiva. *Reſp.* Contemplatio ſolum excludit diſcurſum a ſe ipſa ſecundum ſe ſpectata, non vero præſuppoſitum per modum præciſæ diſpoſitionis regulariter præmittendæ, quo modo meditatio eam præcedere ſolet, & debet. IV. Simplex ille intuitus non poteſt ſine diſcurſu mentem de aſſenſu ſuo certificare, quia ad hoc lumen naturæ, ſicuti ad prima principia, non ſufficit, nec eam juvat lumen gloriæ, quod patriæ ſolum reſervatur; nec lumen fidei, quod actum obſcurum tantum infert. *Reſp.* Contemplatio certificatur ob ſpeciale lumen ſupernaturale, quo donatur, ſi enim lumen fidei, licet obſcurum, ſufficit, ut mens per ſimplicem aſſenſum certificetur, cur non idem lumen adjunctum alio clariori donorum Spiritus S. intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ, ex quo actus elicitus dici poteſt intueri quodammodo veritatem, ſufficiet pro eliciendo ſimplici intuitivo aſſenſu, quo mens certificetur.

Proprietates contemplationis.

Schol. 2. Quatuor præcipuas contemplationis proprietates aſſignat Ludovicus a Ponte *in duce ſpir. tr.* 3. *c.* 3. §. 2. ſcilicet 1. eſt elevatio ſpiritus ſupra ſe. 2. Suſpenſio ejusdem ſpiritus in rebus, quas contemplatur. 3. Eſt admiratio. 4. Spiritualis dulcedo. Nam extraordinarius ille ſimplex rerum divinarum intuitus hominem ſupra ſeipſum elevat: idem animum novo & altiori res videndi modo, vel etiam novarum rerum viſione detentum ſuſpendit, ut præter cognitionem & amorem Dei nihil curet; & conſequenter eum in admirationem rapit, quæ viſæ novitatis ſequela eſt: idem denique animam ſpirituali dulcedine exuperante omnem ſenſum recreat, quæ intuitu rerum divinarum generatur.

§. 240.

§. 240.

Contemplatio generaliſſime dividitur in *ordinariam*, & *extraordinariam*. Utraque vel eſt *Cherubica*, ſeu intellectiva, vel *Seraphica*, ſeu affectiva. *Cherubica* in alias ſpecies infimas dividitur, uti ſunt contemplatio myſtica SS. Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ, Attributorum, ſymbolicæ locutiones internæ, & ſilentium, in quibus intellectuale magis reſplendet. *Seraphica* dividitur in contemplationem igneam, flammeam, vulnerantem &c. in quibus affectivum, ſeu fervor divini amoris magis apparet, quæ ſingula in ſequentibus ſigillatim explicabuntur. *Diviſio contemplationis.*

Schol. Cardinalis Lauræa *opuſc.* 4. & 7. *de orat.* & alii myſtici communius contemplationem dividunt in acquiſitam, & infuſam, vel in activam, & paſſivam; vel in propria induſtria habitam, & habitam ex gratia; vel in naturalem, & ſupernaturalem: quia tamen hi termini ſunt æquivoci, & primo intuitu non ſatis ſani, ideo noſtra diviſio ex P. Reguera *Th. myſt. t.* 1. *p.* 788. *n.* 79. petita magis placet, cum allati mox termini etiam ex mente ſuorum Authorum ad noſtram reducantur, uti ex dicendis patebit. *Juxta alios.*

§. 241.

Igitur contemplatio *ordinaria* eſt elevatio mentis in Deum per ſimplicem intuitum ardentiſſime affectuoſum, quæ non excedit leges divinæ providentiæ ordinariæ in ordine ſupernaturali. *Contemplatio ordinaria quid.*

Schol. Contemplatio ordinaria 1. poteſt dici *acquiſita*, quatenus diſpoſitive ad illam homo ſe præparare poteſt, ac tandem illam obtinere, non tamen vi- *Ejus natura.*

ribus ſolius naturæ, nec ut rem omnino debitam, & ſine nova gratia, nec quam aliquis mereatur, niſi ad ſummum de congruo. 2. Eodem modo poteſt dici *activa*, ſcilicet tantum diſpoſitive. 3. In eodem ſenſu poteſt dici *propria induſtria habita*, ſupponendo nimirum induſtriam, & diſpoſitionem non viribus naturæ, ſed principaliſſime viribus gratiæ adhibitam. 4. Multo minus contemplatio ordinaria poteſt dici *naturalis* abſolute, niſi in ſenſu comparativo, quatenus eſt minus ſupernaturalis, quam extraordinaria: cum tamen etiam contemplatio ordinaria intrinſece ſupernaturalis, & infuſa ſit.

§. 242.

Contemplatio ordinaria datur, & per gratiam obtineri poteſt.

Datur contemplatio ordinaria juxta leges divinæ providentiæ in ordine ſupernaturali aſſequibilis, quatenus homo per gratiam Dei diſpoſitive ſe ad illam præparare, ac illam obtinere poteſt, non tamen viribus ſolius naturæ, nec ut rem omnino debitam, & ſine nova gratia; quamque nemo, niſi ad ſummum de congruo mereatur. Probatur *primo* ex S. Scriptura, quæ locis (§. 239.) citatis: *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus &c.* Omnes generatim ad contemplationem invitat, & ut ſe vacando Deo, illum pure amando, & munditiæ cordis ſtudendo diſponant, ergo contemplatio ordinaria dicto modo aſſequibilis admittenda eſt. Deinde beatitudines in Evangelio propoſitæ generatim, & juxta providentiam ordinariam ſunt ab omnibus aſſequibiles: ergo & illa beatitudo, qua quis per cordis munditiam diſponitur ad videndum Deum per contemplationem ordinariam. *Secundo* patet ex

PP. & Myſticis. S. Dionyſius *c.* 1. *de myſt. Th.* Timotheum ſuum hortatur, ut *pro maxima myſticorum ſpectaculorum exercitatione*, id eſt, contemplatione, ſe diſponat, ab omni ſenſibili, & diſcurſu, pro poſſibili, abſtinendo. S. Gregorius *in* 1. *Reg.* 1. ait: *Dum noſtro conamine in divinarum rerum meditatione ſuſpendimur, quaſi ſtatuti aſcenſus noſtri dies ſunt, quia quosdam ſpiritualis luminis radios intuemur, quosdam nos ipſi nobis ordinamus, ab imo noſtræ humanitatis quadam altitudine ſublevamur.* Conſonat Auctor *ſcalæ clauſtr. c.* 2. 4. Et Hugo Victor. hom. 1. in Eccli. *Quodammodo id, quod meditatio quærit, contemplatio invenit.* Et *l.* 3. *de anima c.* 48. *&* 49. ibi: *donec iterum meditatione aſſurgamus in contemplationem.* Et Richardus Victorin. *l. de præp. ad contempl. c.* 87. ait: *Toties ergo Joſeph ſuper collum Benjamin fuit, quoties meditatio in contemplationem deſluit.* Hunc eundem regularem tranſitum, & ordinarium a meditatione ad quandam contemplationem agnoſcunt S. Joannes a Cruce *in aſcenſ. ad mont. Carm. l.* 2. c. 14. S. Thereſia vit. *c.* 14. *& via perſ. c.* 16. *& in Caſtell. manſ.* 4. *c.* 2. docens, quod mens meditatione aquam divinæ gratiæ quaſi per canales artificioſe aut laborioſe, quaſi ex puteo trahit, quam contemplatione mox quaſi rota ex rivulo, aut e cœlo affluentiorem vix adlaborans obtinet. Item S. Saleſius *l.* 6. *de amor. Dei c.* 3. notat: *Meditatio eſt mater amoris, contemplatio eſt filia ipſius.* Et Ludovicus a Ponte §. 10. *introd. ad ſuas medit.* ait: „ Ad contemplationem ordinarie non pervenitur, niſi „ per exercitium frequens meditationum, &

„ diſcurſuum". *Tertio.* Ratio deſumitur ex S. Thoma *in* 3. *d.* 34. *q.* 1. *a.* 1. Meditatio procedit humano, vel Theologico diſcurſu adjuta, adeoque modo humano; contemplatio per donum intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ, (§. 23 *Sch.* 2. §. 239. *Sch.* 1.) adeoque per modum ultra humanum; cum ergo tam fides, quam donum intellectus, ſapientiæ, & ſcientiæ juxta leges providentiæ ordinarias omnibus dentur, ut illis ad proficiendum deſerviant, non ſolum meditatio, ſed etiam contemplatio ordinaria juxta leges providentiæ ordinarias haberi poteſt. Deinde S. Bonaventura *in* 3. *ex* 7. *itin. æter. d.* 1. docet: *Quod motus & investigatio meditationis imperfectus, & minus utilis permaneret ſine termino, & quiete contemplationis, cum meditatio terminetur, & tranſeat in contemplationem, tanquam in illud, quod perfectius eſt.* Ergo ad leges ordinarias divinæ providentiæ ſpectat contemplatio poſt meditationem, ſicuti terminus poſt viam, finis poſt medium, modo in hac vita poſſibili, ne providentia in modo operandi regulari minus provida cenſeri poſſet.

Solvuntur objectiones.

Schol. Dicis I. non videtur, quod actus contemplationis ordinariæ debeat eſſe intrinſece ſupernaturalis, ſed ſufficit eſſe extrinſece talem. *Reſp.* Extrinſece talis non ſufficit, quia etiam contemplatio ordinaria eſt meritoria, & proxime ad ſalutem æternam conducit, cum ſæpe ſit actus fidei, & charitatis, & eſt ipſa illa perfecta beatitudo ſupernaturalis, quæ in via dari poteſt, adeoque debet eſſe intrinſece ſupernaturalis, alias enim hæreſis Pelagiana vix evitabitur. II. Contemplatio ordinaria non poteſt eſſe infuſa, quia a nobis propriis diſpoſitionibus acquiritur. *Reſp.* Eſt infuſa, quia non

ſit,

ſit, niſi ex viribus gratiæ, imo ex aliquo ex donis Spiritus S. infuſis, & diſpoſitio ad eam ex parte recipientis, etiam ſolum habetur ex viribus gratiæ. III. S. Dionyſius *Myſt. Th. c.* 1. Timotheum hortatur, ut ſe pro viribus ad contemplationem *excitet*. Hugo Victorin. *l.* 4. *de anim. c.* 48. ut quis *ſatagat* mentis alienatione in contemplationem tranſire. Richardus Victorin. *l.* 5. *de contemp.* c. 1. docet, *ex propria exercitatione* contemplationem haberi. S. Thomas 2. 2. *q.* 45. *a.* 5. agnoſcit contemplationem acquiſibilem *pro libitu* cujusvis in gratia conſtituti communibus fidei auxiliis. S. Joannes a Cruce *l.* 2. *aſcenſ. in mont. Carm. c.* 14. pro uno modo tranſenndi a meditatione ad contemplationem admittit *habitum acquiſitum* ex actibus repetitis; quod etiam Gerſon docet. *tr. de Myſt. Th. c.* 24. Et S. Thereſia *in via perf. c.* 29. dicit *in velle noſtro* ſitum eſſe, intrare in Paradiſum contemplationis: quæ omnia probant dari contemplationem mere acquiſitam, & nullatenus infuſam, intrinſece naturalem, & ſolum extrinſece ſupernaturalem. *Reſp.* Hæc omnia ſolum probant animam viribus gratiæ ad contemplationem ſe poſſe diſponere, ſicque eam diſpoſitive acquirere, ita ut contemplatio per novam gratiam concedatur. Hoc modo *excitat* S. Dionyſius Timotheum: uterque Victorinus *ſatagere*, & *exercitare*, & S. Thomas *libitum noſtrum* requirit. S. Joannes a Cruce vult ſecundum quid, & indirecte *habitum naturalem* ad actus ſupernaturales conducere, & habitum infuſum meditandi moraliter, & meritorie conducere ad actus amoris, & contemplationis. S. Thereſia ſeipſam ibi exponit, dicens: „ Eſſe in velle noſtro, & poſſe nos id facere cum favore Dei, ſine quo nihil fieri poteſt “. IV. Non poſſunt aſſignari principia ordinariæ contemplationis: non habitus fidei, qui eſt ad actus obſcuros, & communes meditationi. Non habitus Theologiæ, qui eſt naturalis, & ex diſcurſu. Non donum intellectus, quod ſolum extraordinariæ contemplationi

videtur competere. Non donum ſapientiæ, & ſcientiæ, quæ per diſcurſum procedunt. *Reſp.* Omnia hæc principia, maxime autem dona, in contemplationem poſſunt influere. Fides quidem, ſi contemplatio ſit actus fidei, cujus obſcuritas per dona clarificatur: Theologia per fidem, & dona elevata, quæ prout diſcurſiva eſt, contemplationi diſpoſitive ſaltem deſervit: donum intellectus, prout ut requiritur in ordine ad finem ultimum, & ſpectat ad ordinariam providentiam ordinis ſupernaturalis: donum ſapientiæ, & ſcientiæ, quatenus ſine diſcurſu in primis veritatibus, & altiſſimis principiis ſimplici intuitu concluſiones penetrant.

§. 243.

Contemplatio extraordinaria quid.

Contemplatio *extraordinaria* eſt elevatio mentis in Deum per ſimplicem intuitum ardentiſſime affectuoſum ex privilegio ſupra leges ordinariæ providentiæ divinæ in ordine ſupernaturali.

Explicatur.

Schol. Contemplationem extraordinariam explicat Ludovicus a Ponte §. 11. *Introd. ad medit.* dicens: „ Eſt alia via extraordinaria, quæ amplectitur „ alios modos extraordinarios orationis, magis „ ſupernaturales, & ſpeciales, quos vocamus „ orationem quietis, aut ſilentii, cum ſuſpenſio„ nibus, extaſibus, raptibus, ſimul cum figuris „ extraordinariis veritatum, quæ deteguntur, vel „ cum ſola ipſarum luce intellectuali: item cum „ revelationibus, & locutionibus internis, & cum „ aliis modis innumerabilibus, quibus Deus ſe com„ municat animabus, & quorum certa regula „ præſcribi non poteſt, ſi quidem alia regula non „ gaudent, quam magiſterio, & directione Ma„ giſtri ſupremi, docentis de modis hujusmodi, „ quos vult, & quomodo vult “. Hæc contemplatio extraordinaria cum aliis Myſticis vocari poteſt 1. *Infuſa*: non hoc ſenſu, quaſi vero ordinaria

naria infuſa non eſſet, ſed quod extraordinaria diſpoſitive acquiri non poſſit. Item vocari poteſt 2. *Paſſiva* in eodem hoc ſenſu; & 3. *habita ex gratia*, non quaſi ordinaria ex gratia non haberetur, ſed quia extraordinaria aliquam ex gratiis gratis datis ſemper comitem habet: quo etiam modo 4. *ſupernaturalis* dici poteſt, maxime in ſenſu comparativo, quatenus ordinaria eſt quaſi minus ſupernaturalis, quam extraordinaria.

§. 244.

Contemplatio extraordinaria datur.

Contemplatio extraordinaria datur, & admittenda eſt. *Primo* enim ejus meminit S. Scriptura Gen. 2. v. 21. *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam:* quem extaticum fuiſſe Patres communiter aſſerunt. Cant. 5. v. 1. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi:* quod Richardus Victorinus *l.* 4. *de contempl. c.* 16. de mentis alienatione, & exceſſu, ſeu de contemplatione extraordinaria explicat: imo in toto Cantico Canticorum ſupremus gradus contemplationis proponitur, teſte Hugone Victorin. *hom.* 1. *in Eccleſ.* Et Joel. 2. v. 28. *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt.* Quod impletum *Act.* 2. *v.* 16. Et patet ex exemplis: ſic enim Deus cum Patriarchis, & Prophetis ſanctis egit, longeque perfectius cum Apoſtolis ſuis a die Pentecoſtes, quo a contemplatione ordinaria ad extraordinariam aſcenderunt, qui etiam ſpiritus nunquam in Eccleſia defecit, uti ex actis Sanctorum, & cauſis canonizationis eorum apparet. *Secundo* Subſcribunt PP. S. Dionyſius de Hierotheo *c.* 2. *de div.*

 nom.

nom. p. 2. teſtatur, eum partim ab Apoſtolis, partim ſtudio ſcripturarum eruditum fuiſſe: *Partim etiam diviniore quadam inſpiratione hauſt, iſta non diſcendo tantum, verum etiam divina p tiendo aſſecutus, nec non eorum, ſi dictu fas ſ compaſſione, ad illam, quæ doceri nequit fidem m ſticam, atque unitionem informatus.* S. Berna dus *l.* 5. *de conſ. c. ult.* pro maxima contempla tione aſſignat admirationem majeſtatis, quæ ſi cor bene purgatum inveniat, facile ad ſuperna elevat, *interdum quoque vel per aliquas mora las, ſtupore & extaſi ſuſpenſum tenet admiratum.* S. Bonaventura *in itinerar. mentis c.* 7. in exemplar hujus extraordinariæ contemplationis adducit S. Franciſcum, quando in contemplationis exceſſu transformatus eſt in crucifixum, *& poſitus eſt in exemplum perfectæ contemplationis.* Videri quoque poſſunt S. Laurentius Juſtinianus *tr. de orat. in fin.* S. Joannes a Cruce *l.* 3. *aſcenſ. in mont. Carm. c.* 12. S. Thereſia *in vit. c.* 18. 19. 20. ſub nomine aquæ quartæ cœlitus pluviæ, & *in caſtell. manſ.* 6. Demum omnes myſtici in hoc conveniunt, dum de raptibus, viſionibus &c. contemplationem extraordinariam comitantibus agunt. *Tertio.* Ratio ſumitur ex S. Thoma 2. 2. *q.* 45. *a.* 5. *in* ⊙ ubi docet contemplationem dari omnibus juſtis non communem, cujus cauſa ſit gratia gratis data ſapientiæ perficiens donum ſapientiæ, quæque non ſit ad ſalutem etiam cum perfectione obtinendam neceſſaria, & quam Spiritus S. dividit prout vult, quæ eſt ipſiſſima contemplatio extraordinaria, & ab aliis etiam gratiis gratis datis procedere poteſt.

Schol.

Solvuntur objectiones.

Schol. Dicis I. gratiæ gratis datæ ad contemplationem extraordinariam non requiruntur, quia per has homo Deo non conjungitur, ſed illæ potius ſerviunt pro ſalute aliorum. *Reſp.* Gratiæ gratis datæ non requiruntur quidem præciſe ad contemplationem extraordinariam, bene vero ad ejus complementum, & perfectionem, ſuppoſitis virtutibus, & donis, & licet gratiæ gratis datæ ex primaria intentione non ſint, per quam homo Deo conjungitur, unionem tamen per gratiam gratum facientem productam magis fovent, & confirmant: & fere ſemper in contemplativis aliquo modo ad ſalutem etiam proximorum, qui per eos ad virtutem accenduntur, conducunt. II. Gratiæ gratis datæ poſſunt etiam reperiri in peccatoribus, nam Saul, & Caiphas prophetarunt, & Judas miracula patravit: ergo ad contemplationem extraordinariam male requiruntur. *Reſp.* Si de contemplatione imperfecta ſermo eſſet, vel de illa, quæ eſt ſine charitate, poſſet etiam reperiri in juſtis ſolum incipientibus, vel proficientibus, uti docet Suarez *l.* 2. *de orat. c.* 11. imo etiam in peccatoribus eſſe poſſet usque ad extaſes, & raptus, uti notat Alvarez *l.* 5. *de contempl. p.* 2. *c.* 4. in quo caſu non a donis, ſed ab aliqua gratia gratis data, ad donum prophetiæ reductive ſpectante, procederet. At quia ſermo eſt de contemplatione perfecta, quæ ſupponit, vel facit animam perfectam, hæc nequit a ſolis gratiis gratis datis procedere, cum ſit charitate formata, & elevata donis Spiritus S. modo & inſtinctu ſpeciali influentibus, & tantum ſupervenit, una vel plures gratiæ gratis datæ, ut modo magis extraordinario, quando, & quamdiu Deus vult, ornetur, & perficiatur. III. Non videtur, quomodo gratiæ gratis datæ poſſint contemplationem reddere extraordinarie perfectiorem, quam ſit ordinaria, quæ etiam ornatur gratia gratum faciente, gratiis gratis datis nobiliore. *Reſp.* Gratiæ gratis datæ ſaltem diſpoſitive excitant ad majorem unionem cum Deo etiam ipſum operantem,

tem, ſaltem ſecundario; unde ſolum probatur contemplationem ſecundum eſſentiam ſuam non conſiſtere in his gratiis, ſed per illas juvari accidentaliter, & perfici directe in ordine ad alios, indirecte in ordine ad ſe. IV. Sic contemplatio extraordinaria ſpectaret ad gratias gratis datas, cui tamen Apoſtolus in enumeratione earum non meminit. *Reſp.* Contemplatio extraordinaria non difficulter ad aliquam ex recenſitis ab Apoſtolo gratiis gratis datis, tanquam in ſpeciale ſuum principium, reduci poterit; vel aſſignari poteſt pro ipſa aliud ſpeciale principium, quod merito pro ſpeciali gratia gratis data haberi poteſt, nec enim tenemur credere, Apoſtolum, in ſua enumeratione, diviſione logice ſtricta, omnes omnino gratias gratis datas, ſed ſolum præcipuas aſſignaſſe: uti probat Bellarminus *l.* 1. *de grat. c.* 10. *q.* 4.

Adhortatio ad magnam æſtimationem contemplationis.

Corollar. Ex dictis colligitur, quantum bonum ſit divina contemplatio, ſi enim intuitu ſimplici, & ardentiſſimo affectu, contemplari, & amare Deum, maxima eſt beatitudo, quæ in hac vita haberi poteſt, ſi eſt inchoatio beatitudinis in futura vita nobis promiſſæ, ſi eſt nobiliſſima proles virtutum, donorum, & gratiarum, aut potius Spiritus S. tum per ſeipſum, tum per dona ſua mentem, & cor animæ ſanctæ fœcundantis, quodnam bonum majus erit ſive honeſtum, ſive utile, ſive delectabile, quod illi æquari poſſit? Hæc eſt illa ſpecioſa Rachel, pro qua quatuordecim annis Jacob ſervire non dubitavit. *Gen.* 29. Hæc eſt omne bonum, de quo Deus dixit Moyſi Gen. 33. v. 19. *Et oſtendam tibi omne bonum.* Hæc eſt illa optima pars, de qua Jeſus dixit Luc. 10. v. 42. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ubi Richardus *l.* 1. *de contempl. c.* 1. quærit: „Quæ „ eſt iſta pars optima, quam Maria elegit, niſi „ vacare, & videre, quoniam ſuavis eſt Domi„ nus? . . . Summam itaque Dei ſapientiam in „ carne latitantem, quam oculis carnis videre non

„ pote-

„ poterat, audiendo intelligebat, & intelligendo „ videbat, & in hunc modum ſedendo, & audiendo ſummæ veritatis contemplationi vacabat. „ Hæc eſt pars, quæ electis, & perfectis nunquam aufertur. Hoc ſane negotium, quod nullo fine terminatur, nam veritatis contemplatio „ in hac vita inchoatur, ſed in futura jugi perpetuitate celebratur. O quam ſingularis gratia! „ o ſingulariter præferenda! per quam in præſenti ſanctificamur, & in futuro beatificamur". *Una ergo eſt theoria, id eſt, contemplatio Dei*, concludit Caſſianus collat. 23. c. 3. *cui merito omnia juſtificationum merita, univerſa virtutum ſtudia poſtponuntur:* ſi nimirum, juxta expoſitionem Gazæi, cum perfecto amore animam Deo uniat. Proinde impigre nos ad contemplationem diſponere, & cum divina gratia omnia impedimenta removere, & omnes duriſſimas etiam probationes ſuperare oportet, ut ea non indigni reddamur. Pugnandum eſt, & plurimis in hoc deſerto ærumnis reſiſtendum, ſi a cœleſti hoc manna, & terra promiſſionis excludi nolimus. Laborandum eſt per dies, & annos pro pulcherrima hac Rachaele. Lachrymis purganda prius anima cum Maria, ut ad pedes Domini optimam partem reperiat. Mons laborioſe conſcendendus eſt, ſive ut cum Moyſe quis Deum contemplari poſſit; ſive ut cum diſcipulis quis in monte a Chriſto erudiatur, de modis habendi beatitudinem hic, & in futuro; ſive ut cum paucis in Chriſto transfigurato gloriam deguſtet. Denique monente S. Gregorio l. 18. mor. c. 28. *Neceſſe eſt, ut ſpiritus contemplativus mundo prius moriatur, & mundus ſibi moriatur, & ex tunc in æterna ingrediatur, & in eis abſcondatur.*

§. 245.

Cum ergo *contemplatio* tantum bonum ſit, (§. 244. *Corollar.*) ſanctum & expediens eſt omnibus, cum ſpiritus prudentia ad eam *aſpirare.* *Sanctum eſt ad contemplationem aſpirare.*

rare. Tales enim affectus nobis exhibet. *Primo* S. Scriptura Pſ. 26. v. 8. *Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.* Pſ. 42. v. 3. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.* Pſ. 57. v. 7. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.* Cant. 1. v. 6. *Judica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos . . . & invenietis requiem animabus veſtris.* Apocal. 3. v. 20. *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo.* In his locis invitantur omnes ad *intuitionem, requiem, refectionem*, & cœnam contemplationis divinæ, ergo ad eam prudenter aſpirare, ſanctum, & expediens eſt. *Secundo*. Probatur ex PP. & Myſt. S. Gregorius *hom.* 17. *in Ezech.* ad illud: *Et in veſtibulis feneſtræ per gyrum intrinſecus*, notat, *quia non ſolum alta S. Eccleſiæ membra, quæ prominent, habent contemplationis gratiam, ſed plerumque hoc donum etiam illa membra percipiunt, quæ etſi jam per deſiderium ad ſumma emicant, tamen adhuc per officium in imis jacent: niſi enim his, qui deſpecti videntur, omnipotens Deus lumen contemplationis effuderit, feneſtræ in veſtibulis non fuiſſent.* Ergo omnibus tam ſupremæ, quam infimæ ſortis fidelibus contemplatio ut aſſequibilis proponitur, adeoque ad eam prudenter aſpirare licet. Author *ſcal. clauſtr. c.* 3. loquens de anima meditativa, docet, quomodo contem-

pla-

lationem ſitire debeat: *ſed quid faciet? habendi eſiderio exæſtuat, ſed non invenit apud ſe, quoodo habere poſſit; & quanto plus inquirit, plus itit; dum apponit meditationem, apponit & doloem, quia non ſentit dulcedinem, quam in cordis nunditia meditatio eſſe monſtrat, ſed non præſtat.* Richardus Victorin. *l.* 5. *de contempl. c.* 6. deſiierium contemplationis, a devoto deſiderio procedere docet, dicens: „ Primus mentis „ exceſſus fit ex deſiderii anxietate, & magni„ tudine devotionis “. *Tertio.* Ratio eſt: expediens, ſanctum, imo neceſſarium eſt, ut omnes ad chriſtianam perfectionem aſpirent: (§. 19.) ſed contemplatio medium eſt potiſſimum conducens ad perfectionem, utpote oratio perfectiſſima (§. 33.) ergo ſanctum, & expediens eſt ad eam aſpirare: utpote quæ eſt *unum neceſſarium,* & pars optima. *Luc.* 10. *v,* 42. Deinde tota perfectio chriſtiana eſſentialiter in charitate conſiſtit: (§. 16. *cum Schol.*) ergo cum per contemplationem charitas maxime augeatur, (§. 238. *cum Schol.*) ad eam aſpirare decet. Denique ſanctum, & expediens eſt, omnes aſpirare ad contemplationem patriæ. (§. 121.) Item ad meditationem magis, magisque perfectam: (§. 49. & 50.) ergo etiam ad contemplationem viæ, cui illa in patria evidens, & æterna ſuccedit, & ad quam meditatio tendit, ad eam diſponit, & ſine qua imperfecta eſt. (§. 242.)

§. 246.

Regula pro deſiderio con-

Nihilominus licet ad contemplationem aſpirare omnibus ſancte expediat, curandum tamen,

templationis. men, ut cum *prudentia* fiat, pro qua, ad vitandos errores, ſequentes *regulæ* bene obſervandæ erunt.

Prima contemplatio a Deo peti poteſt. *Primo*. *Orare*, & contemplationem a Deo petere expedit, & ſanctum eſt. Probant hoc *primo* omnes textus S. Scripturæ (§. 245.) allati, quibus accedunt hi ſap. 77. *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.* Et c. 8. v. 2. *Hanc amavi, & exquiſivi a juventute mea.* Et 1. Jac. 5. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter.* *Secundo*. Ratio petitur ex D. Thoma 2. 2. q. 83. a. 6. *Hoc licet orare, quod licet deſiderare:* ſed contemplationem deſiderare licet. (§. 245.) Ergo etiam orare, utpote veram ſapientiam, & donum optimum. Unde Auctor *ſcal. clauſtr. c.* 11. ait: *Contemplationis adeptio ſine oratione aut rara, aut miraculoſa.*

§. 247.

Secunda. Non ſtatim ſed ſuo tempore obtinenda. *Secundo*. Deſiderium, & petitio contemplationis licet omnibus, & ſemper expediat, non tamen ita illi inſiſtendum, ut quis illam ſtatim impleri poſtulet, ſed pro *futuro tempore*, quo ſufficienter ad contemplationem diſpoſitus fuerit. *Primum* patet ab exemplo Salomonis, qui ſapientiam contemplationis *amavit, & exquiſivit a juventute ſua*, Sap. 8. v. 2. Et quia omnibus pro ſemper dictum eſt: *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Matth. 5. v. 48. Ideo non ſolum perfectis, proficientibus, incipientibus, ſed etiam peccatoribus eam tanquam medium perfectionis potiſſimum ſem-

nper deſiderare, & petere ſanctum eſt. *Se-*
idum conſtat ex eo, quia ex regula generali
ɔientia contemplationis *non invenitur in terra*
witer viventium. Job. 28. v. 12. *Nec habitabit*
corpore ſubdito peccatis. Sap. 1. v. 4. Nec
eus per contemplationem videri poteſt, niſi a
undis corde. *Matth.* 5. *v.* 8. Ergo temere
iis contemplationem ſtatim ſibi a Deo dandam
teret, antequam ad eam debite eſſet diſpo-
ıus.

§. 248.

Tertia. Contemplatio ſolum de congruo mereri poteſt.

Tertio. Quemadmodum contemplationem
eſiderare, ac petere poſſumus, ita & illam,
ltem ordinariam, *mereri* valemus, non de con-
igno, ſed de congruo. *Primum* ex eo colli-
tur, tum quia contemplatio etiam ordinaria
t gratia ſupra gratiam, qua fiunt reliqui actus
ıeritorii, qui ad contemplationem præparare
oſſunt: tum quia non eſt medium omnino ne-
eſſarium ad bene, & perfecte agendum: tum
uia non habemus promiſſionem Dei, contem-
lationem hoc vel illud facienti, conferendi:
rgo eam de condigno mereri valemus. (*Comp.*
'h. t. 1. §. 386. *Schol.* 1. & 2.) *Secundum* ex
o eruitur, quia meritum de congruo excedi-
ır quidem a præmio, nec debetur ex juſtitia,
icet quandam proportionem, & congruentiam
ɔb decentiam, & liberalitatem præmiantis cum
ıræmio habeat. (*Comp. Theol. t.* 1. §. 386.
ſchol. 1.) Ergo ſicuti quis primam gratiam
ıabitualem de congruo mereri poteſt, (*Ibid.*
§. 387. *Schol.* 1.) ita & gratiam contemplatio-
ıis. Unde Author *ſcal. clauſtr.* inter opera S.
Ber-

Bernardi ait: *Nec hoc peto Domine propter merita mea, ſed pro tua miſericordia, fateor enim quia indigna & peccatrix ſum: ſed catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*

§. 249.

Quarta. Aſpiratio ad contemplationem a divina vocatione incipiat.

Quarto. Semper requiritur, ut aſpiratio i contemplationem incipiat *a vocatione Dei* 1. g nerali & omnibus facta: *Vacate & videte* & *Venite ad me omnes* &c. *Si quis audierit vocem meam* &c. (§. 245.) ut nimirum incipiant ſe diſponere, ad habendam aliquando, ſi Deo pl cuerit, contemplationem. 2. A vocatione it rata, & magis ſpeciali, ut, qui jam bene co perunt, in ſeſe diſponendo magis proficiant: 3. a vocatione nova, & ſpecialiſſima, ut, q multum profecerunt, ad contemplationem pro xime obtinendam perficiantur; juxta illud Cant. 2. v. 10. *Surge propera, amica mea, co lumba mea, formoſa mea, & veni.* Et Apoc. v. 1. *Et vox prima, quam audivi . . . dicen Aſcende huc.* Si enim ad omne opus bonum requiritur vocatio, & divina inſpiratio, mult magis ad divinam contemplationem requir tur: ſicuti etiam ad perfectionem chriſtianam in genere præcedit vocatio omnibus facta *Eſtote perfecti* &c. & tamen ſpecialis vocati reſervatur pro ſpeciali perfectione. Matth. 19 v. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, qu habes . . . & ſequere me.*

§. 250.

Quinta. Contemplatio ex-

Quinto. Contemplatio *extraordinaria* cum ſuis favoribus, raptuum, viſionum &c. per ſe *loquen-*

quendo non eſt deſideranda, nec a Deo petenda, ſed ad ſummum *per accidens*, & raro, quando impulſus Dei extraordinarius ad hoc compellit. Ratio *primi* eſt, quia gratiæ gratis datæ per ſe non ſanctificant, & ſine illis poteſt fieri tota ſanctitatis perfectio, & vanæ gloriæ, curioſitatis, & illuſionis &c. vitiis, etiam in perfectis, niſi ſint extreme humiles, anſam præbere poſſunt: unde etiam ejusmodi favores in S. Scriptura non narrantur facti Prophetis, & Apoſtolis petentibus, ſed nihil tale cogitantibus. Ratio 2*di* eſt: quia gratiæ gratis datæ ex voluntate Dei ad charitatem Dei, & proximi exercendam conducere poſſunt, quatenus illis per ejusmodi viſiones, revelationes &c. ad ardentiorem Dei amorem, & beneſaciendum proximis excitari poteſt: unde etiam Moyſes *Exod.* 33. *v.* 13. oravit: *Oſtende mihi faciem tuam.* Et v. 18. *Oſtende mihi gloriam tuam.* Et Samuel 1. Reg. 2. v. 10. *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Et gratia curationum, & ſignorum ab Apoſtolis, & aliis Sanctis nonniſi præmiſſa oratione communiter exercebatur.

...traordinaria per ſe non eſt petenda.

§. 251.

Sexto. Contemplatio tum ordinaria, tum extraordinaria, conformiter etiam ad datas hucusque regulas, ſolum *deſideranda*, & petenda eſt, ſub tacita vel expreſſa *conditione*, ſi petenti expediat. Nam contemplatio extraordinaria nonniſi raro expedit, & ſine ſpeciali divino inſtinctu non eſt petenda: (§. 250.) ordinaria vero etiam ſæpe non expedit, vel ex defectu diſpoſitionis ſubjecti, vel ob alios fines divi-

Sexta. Contemplatio ſolum ſub conditione petenda eſt.

divinæ providentiæ notos, & non eſt gr... ad perfectionem neceſſaria, ad quam grad... ſemper aſpirandum eſt.

Solvuntur objectiones.

Schol. Meditativi nullam rationem contempla... haberi volunt, eamque tanquam modum o... nulli neceſſarium, nec factibilem, nec conve... tem rejiciunt. Unde contra dicta objiciu... *Prov.* 25. v. 27. dicitur: *Qui ſcrutator eſt, Ma... ſtatis, opprimetur à gloria.* Eccli. 3. v. 22. *Alti... te ne quæſieris.* Luc. 14. v. 10. *Cum vocatus fu... vade, recumbe in noviſſimo loco.* Ergo ad conte... plationem non eſt aſpirandum. *Reſp.* Hæc om... ſolum probant, non ſine cautelis, & regulis a... bis præſcriptis, ad contemplationem aſpirand... eſſe, ſcilicet, non ex curioſitate, ne quis oppri... tur, non ſine nutu, & vocatione Dei, ſine q... in loco noviſſimo orationis vocalis, & ment... recumbere oportet. II. Videtur eſſe tentatio D... conſtituere ſe in ſilentio contemplationis, ut De... homini loquatur, dum ipſe homo per medita... nem diſcurrendo poteſt loqui ad Deum. *Reſp.* Te... meritas utique foret, ſi quis ſine ullo indicio, ... ſpe, quod Deus illi in ſilentio loqui vellet, voc... ejus expectaret: ſecus vero, ſi vehementia in... cia adſint, & anima ſit bene diſpoſita, ubi inur... na temeritas foret, verbum ſummi Regis rati... propria locutione abrumpere. III. Via conte... plationis multis periculis eſt expoſita, vanam g... riam facile inſtillat, gulam ſpiritualium delicia... excitat, ad vitæ activæ, obedientiæ, & offi... divini exercitia vix apta eſt, contemptum e... alios non contemplativos generat, meditatio... viam veluti Alphabetariam deſpicere facit. *Reſ...* Hæc pericula, & vitia ſolum ex abuſu contempla... tionis, non vero ex debito ejus uſu, imminent, dum ſcilicet anima ſine divina vocatione, non be... ne purgata, & adhuc ſordida auſu ſpontaneo ... contemplationi intrudit; cum econtra contempla... tio per ſe ad majorem cognitionem, & amorem

Dei,

Dei, humilitatem, & alias virtutes excitet. IV. Cum contemplatio animam perfectam prærequirat, ad quid contemplatione opus eſt? *Reſp.* Aliqua quidem perfectio prærequiritur, ſed hoc non obſtat, quominus anima per contemplationem in perfectione ulterius ſemper creſcere poſſit. V. Saltem fruſtra doctrina de contemplatione traditur: tum quia ejus proprium eſt, non docere ab hominibus, ſed a Deo; non arte, ſed experientia: tum quia ad ſummum ſoli contemplativi a Deo edocti ex propria experientia eam edocere poſſunt, unde etiam præcipui Aſcetæ de illa nihil in ſuis libris tractant. *Reſp.* Ad hoc argumentum patet reſponſio ex dictis (§. 4.) ubi vidimus quomodo propria experientia ad Theologiam myſticam requiratur, & quomodo illa non ſoli experientiæ relinquenda ſit. Quod ſi aliquibus præcipuis Aſcetis a doctrina contemplationis abſtinere placuit, utpote doctrinæ omnibus communi intentis, qua rite obſervata, ſi Deo placeat, ad contemplationem cum ejus gratia elevari poterunt, iidem tamen agnoverunt, apud alios directionem harum animarum quærendam eſſe, de qua etiam varii Authores ſcripſerunt uti ex catalogo eorum (§. 3. *Schol.* 2.) relato apparet.

§. 252.

Contemplatio omnibus pro ſemper excluſa meditatione non expedit.

Licet autem deſiderium contemplationis ſanctum ſit, (§. 245.) non tamen expedit, ſed ſumme periculoſum eſt, vel etiam erroneum, ad *contemplationem omnes*, & *pro ſemper* practicandam *conari*, cum excluſione meditationis, ſed meditatio cum prudentia ſpiritus ad contemplationem diſponere, eamque ſupplere debet. Probatur *primo* ex S. Scriptura, in qua meditatio potiſſimum omnibus generatim commendatur, uti liquet ex textibus alibi adductis. (§. 49.) Ergo meditatio male, ut ni-

 mis

mis imperfecta, magis impeditiva, quam i
lis, & ſtatim pro contemplatione relinque
aſſeritur, & contemnitur. *Secundo* patet
PP. meditationem commendantibus: (§
& 242.) quibus accedit S. Thomas *in* 3. d
q. 1. *quæſtiun*. 2. docens: *Vita contempl*
principaliter in operatione intellectus conſiſtit,
hoc ipſum nomen contemplationis importat: u
tamen inquiſitione rationis contemplativus, ut
niat ad viſionem contemplationis. Ergo ad c
templationem inquiſitio rationis, ſeu medit
diſponit, adeoque male rejicitur. S. Bonave
tura *in* 2. *itiner. ætern. d*. 6. quærens, *quali*
ſpiritus noſter in itinere ſtudioſæ meditationis i
trinſecum ſecretum, æternum manerium Domi
Jeſu ingredi conatur: poſtquam modum, p
meditationem a temporalibus mentem abſtr
hendi, docuerat, concludit: *Ecce jam ſtudio*
mentis meditatio in tantum ſe exercuit, & perfe
quod in contemplationem tranſivit. Gerſon *tr*.
medit. conſ. 7. ait: „Dum recogito, quod ab
„ que meditationis exercitio nullus, ſeclu
„ miraculo Dei ſpeciali, ad perfectionem co
„ templationis dirigitur, aut pervenit, nulu
„ ad rectiſſimam chriſtianæ Religionis norma
„ attingit, imo vix ſe componit: audeo zela
„ ſanctæ meditationis ſtudium ſuadere".
Bloſius *in ſpec. ſpir. c*. 11. notat, non omni
adhuc ſpirituales admitti ad contemplationem
& eximios etiam contemplativos indigere al
quoties redire ad meditationem. S. Joanne
a Cruce, cujus authoritate aliqui abuti vol
bant, *opuſc. de flam. amor. cant*. 3. *v*. 3. in i
cipientibus meditationem, ceu diſpoſitione

contemplationem expreſſe requirit. *Et in* :*enſ. ad mont. l.* 2. *c.* 15. docet proficientes ınc meditatione, nunc contemplatione pro ɹia ſpiritus diſpoſitione uti debere. Et *c.* 32. iam perfectis ſuadet, ut quandoque meditaɔnibus utantur. Et *l.* 1. *noct. obſc. c.* 10. quaprophetice abuſui ſuæ doctrinæ occcurrens, t: „ Nollem, quod hinc eliceretur pro regula generali, relinquere meditationem, aut diſcurſum: nam eam relinquere, debet eſſe, dum haberi nequit, vel tantum interim, ac ſive via purgationis, aut tormenti, ſive ob admodum perfectam contemplationem Deus illam impedibit: in cæteris enim temporibus & occaſionibus haberi debet hoc fulcrum, & ſubſidium præſertim vitæ & crucis Jeſu Chriſti “. Denique S. Thereſia *in via perf.* 16. occurrit filiabus ſuis, quæ de ſola contemplatione inſtrui volebant, & ait, gratius bi futurum agere de meditatione, tanquam mnibus proficua, etſi adhuc virtutibus caeant, cum econtra contemplatio magnas virutes, & diſpoſitiones prærequirat; & pergit: , Quæ ſi nolitis audire, nec operari, manete , in veſtra oratione mentali per totam vitam. , Hoc vobis, & quibuscunque tale bonum , contemplationis optantibus pro certo aſſero, „ nec me falli opinor, loquor enim edocta ex- „ perimento, cum id ipſum per annos viginti „ habere contenderim, quod niſi ea præmit- „ tenda faciatis, non pervenietis ad veram „ contemplationem “. *Tertio.* Ratio eſt 1. quia meditatio eſt homini diſcurſivo connaturalior, quam contemplatio per ſimplicem in-

tuitum, qui magis Angelis competit, & quem ex propria electione ſequi præſumptio foret. 2. Via meditationis ſe ſola ad incipiendam, promovendam, & finiendam perfectionem ſufficit, nec promiſſio de contemplatione nobis a Deo facta eſt, ergo ad ſe movendum non temere ab homine expectatur. 3. Quia aliàs periculum foret, incidendi in propoſitiones damnatas de Molinos, quas alibi de meditatione tractando (§. 48. *Schol.*) notavimus.

§. 253.

Regulæ pro uſu meditationis ad contemplationem.

Dictum eſt (§. 252.) quod cum prudentia ſpiritus meditatio ad contemplationem diſponere, eamque ſupplere debeat. Pro quo ſequentes *regulæ* ſervire poterunt.

Prima. Meditatio diſponere debet ad contemplationem.

Primo. Meditatio non eſt præmittenda contemplationi, ut cauſa, quia cum ſit ordinis inferioris, & contemplatio ſit donum Dei indebitum, meditatio in contemplationem per ſe influere nequit. Nihilominus meditatio contemplationi ut diſpoſitio præmittenda eſt, quia decet, ut donum excellens contemplationis, nonniſi animæ per meditationem congruenter præparatæ conferatur. Id quod Hugo Victorinus *hom.* 1. *in Eccl.* exemplo ignis e viridi ligno excitati demonſtrat.

§. 254.

Secunda. Meditatio ſupplere debet contemplationem.

Secundo. Meditatio poteſt quodammodo, debetque *ſupplere* contemplationem, quando ex fine probationis, & alio, ſoli Deo noto, etiam præditus dono contemplationis uſu illius ad

ad tempus ſuſpenditur. Nam ſæpe etiam animæ bene diſpoſitæ, & contemplativæ probantur ariditatibus, ita ut vix orare, multoque minus quiete contemplari poſſint: (§. 227. *ſeq.*) ubi ſe in quantum poſſunt cum exercitio virtutum lectione, oratione vocali, & mentali juvare debent, uti obſervat Richardus Victorinus. *l.* 5. *de contempl. c.* 17. dicens: *Debet itaque animus, qui ejusmodi eſt, propriis meditationibus cordis in ſe exultationem reparare.* Et S. Laurentius Juſtinianus *de diſc. perf. c.* 18. ait: *Tamdiu in hoc amoris tripudio, ſcilicet contemplatione, immorandum eſt, quamdiu perſeverat affectus; quo deficiente, aut tepeſcente ad interpoſita meditationis ſtudia redeundum eſt.*

§. 255.

Tertio. Meditationis diſpoſitio ad certam *temporis* menſuram revocari nequit, ita ut ſufficiens ſit pro tranſitu ad contemplationem. Tum quia breviori tempore meditatio plus, & longiori minus proficere poteſt, pro ratione fervoris, vel teporis, & majori, vel minori neceſſitate purgationis. Tum quia contemplatio eſt donum gratuitum, nulli quantumvis bene diſpoſito debitum, quod citius, vel tardius, aliquando, vel nunquam, ob fines ſoli Deo cognitos, concedi ſolet. Et Gazæus corrigit Caſſianum *collat.* 12. *c.* 15. tempus ſex menſium pro obtinenda perfectione caſtitatis, ſaltem ut poſſibili; aſſignantem, & Deo quaſi tempus determinantem, ex Ludovico a Ponte *in vita P. Alvarez c.* 42. ubi ait: „Suſpectum eſt, „univerſim aſſerere, eos, qui hac, vel illa

Tertia. Diſpoſitio meditationis ad contemplationem non habet nobis certum tempus.

„ induſtria tot annos, aut menſes utantur,
„ hæc aut illa a Deo munera, aut certum ali-
„ quem virtutis gradum aſſecuturos “.

Male ergo hoc tempus ab aliquibus definitur.

Schol. Quare audiendi non ſunt, ſi qui reperian- dixiſſe, pro tranſitu ad contemplationem ſuffice ſi quis meditationi per duos annos, aut quatu vel ſex menſes vacaverit: & cum in prolog Theologiæ myſticæ inter opera S. Bonaventuræ legatur, ſufficere, ut per unum, vel duos menſes quivis ſe in meditatione exerceat, ut ad contemplationem unitivam aſſurgat; vel ex hoc apparet, quod hæc Theologia myſtica S. Bonaventuræ falſo aſcribatur, maxime cum in cæteris ejus operibus nil occurrat, quod hanc doctrinam redoleat: & bene obſervat Cardinalis Bona *in via comp. c.* 10 S. Thereſiam per 18. & ejus Confeſſarium Baltha- ſarum Alvarez per 16. annos in meditatione labo- raſſe, donec ad contemplationem aſſumerentur.

§. 256.

Quarta. Contemplatio obtinenda Deo relinquenda eſt.

Quarto. Non tantum quoad tempus, & modum, ſed etiam quoad ſubſtantiam contem- plationis obtinendam *relinquenda eſt Deo deciſio,* nos ſolum ſolliciti eſſe debemus, ut per medi- tationes nos diſponamus, ne tanto bono impe- dimenta ponamus. Quippe contemplatio, ſup- poſita etiam per meditationem noſtra diſpoſitio- ne, tanquam nova gratia humiliter quidem peti, & per gratiam non impediri, obtineri autem, ut debita, & acquiri nequit. *Non enim eſt legentis, atque meditantis,* ait Author ſcal. clauſt. c. 13. *hanc ſentire dulcedinem.* (con- templationis) *niſi data fuerit deſuper.* Et S. Thereſia *vit. c.* 22. ait ſibi diſplicere, quod ali- qui libri de oratione tractantes doceant, ani-

mam,

nam, licet ex ſe ad contemplationem tanquam opus ſupernaturale eluctari non poſſet, poſſe tamen ſe juvare, ſpiritum ab omni re creata elevando, & poſt multos annos in via purgativa, & illuminativa transactos ſe humiliter exaltando; quia hæc doctrina infert defectum humilitatis, dum quis ſe vult elevare, antequam a Deo elevetur, & ſe Angelis quaſi coæquare, ac erronee putare, ſe proprio labore tantum bonum mereri poſſe.

§. 257.

Quinta. Meditatio debet eſſe affectiva.

Quinto. Ut autem *meditatio* ad contemplationem diſponere poſſit, potius *affectiva*, quam intellectiva, & aſpirationibus, jaculatoriis, qui ſunt actus *anagogici*, inflammata, & quaſi ſemper, diu noctuque continuata eſſe debet. Hoc enim modo ignis divini amoris cor ut pabulum deſiccat, & per ſcintillas exardeſcere facit, ut per ignem cœlitus delapſum novum excitetur incendium. Unde Card. Bona *in via comp.* c. 5. ait: „ Viam compendii ad Deum ad „ culmen myſticæ Theologiæ, ad intimam „ cum verbo unionem eſſe motus *anagogicos*, „ & exercitium aſpirationum; quod probat „ c. 9. Revocatio ſi quidem ad interiora ſua, „ mediante aſpirationum activitate, inferioris „ hominis capacitate, & elevata ad Deum „ mente motibus *anagogicis*, affectuque ſuc„ cenſo, ſpiritus rationalis a vinculis paſſionum, „ & fallaciis ſæculi expeditus ad cœleſtia per„ luſtranda lumen internum dirigit, & ad ſtatum „ tranſit altiſſimæ, & divinæ contemplationis“.

§. 258.

Sexta. Meditatio virtutes implantare debet.

Sexto. Meditatio hæc non ſolum affectiva ſed etiam *efficax* eſſe debet, ita, ut dirigat ad delenda peccata, & reliquias peccatorum ad refrænandas, & eradicandas pro poſſibili paſſiones, & virtutes, maxime humilitatem implantandas ſine qua diſpoſitione fruſtra contemplationis gratia expectatur: unde S. Gregorius *l.* 6. *Mor. c.* 17. docet: *Prius mens ab appetitu gloriæ temporalis, atque ab omni carnalis concupiſcentiæ delectatione tergenda eſt, & tunc ad arcem contemplationis erigenda. Unde & cum lex accipitur, populus a monte prohibetur, ut videlicet, qui infirmis adhuc mentibus terrena deſiderat, conſiderare ſublimia non præſumat.* Idem docet S. Thomas 2. 2. *q.* 180. *a.* 2. Et Alvarez *l.* 5. *de contempl. p.* 1.

§. 259.

Suppoſita bona diſpoſita meditatione contemplationi vacare licet.

Quod ſi anima modo hucusque explicato per meditationem ſatis bene diſpoſita fuerit, expediens, & ſanctum eſt, accedente ſpeciali Dei ad contemplationem vocantis inſpiratione, humiliter illi conformari, & pro tunc meditationem ſeponere. *Primo* enim hoc innuit S. Scriptura, dum nos ad contemplationem invitat, uti patet ex textibus (§. 245.) allegatis. *Secundo* idem docent PP. S. Dionyſius *Theol. myſt. c.* 1. Timotheum inſtruit, ut prætermiſſis omnibus creatis *ad divinarum tenebrarum radium, qui omni eſſentia ſuperior eſt, contendat.* Author *ſcal. clauſt. c.* 10. de contemplatione agens ait: *Vult ſi quidem Deus, ut eum oremus, & ut ei advenienti, & præſtolanti ad oſtium aperiamus ſi-*

um voluntatis noſtræ, & ei conſentimus. Ri-
hardus *de præp. ad contempl. c.* 83. 84. *l.* 1. *de
ont. c.* 2. ait: *Hæc autem arca fœderis divino
agiſterio fabricatur, & deauratur, quando hu-
ana intelligentia divina inſpiratione, & revelatio-
e ad contemplationis gratiam promovetur. Ter-
io.* Ratio 1. ſumitur ex S. Thoma, qui 2. 2.
. 180. *a.* 4. ſtatuit, *quod contemplatio eſt finis
otius humanæ vitæ*, ſcilicet, beatitudo nunc
mperfecta, & perfecta in futura. Ergo illam
cceptare competit. 2. Meditatio laborioſe
er diſcurſum quærit veritatem, quando per
implicem intuitum haberi nequit: ergo quan-
lo eam Deus per hunc offert, fruſtra per illam
nquiritur. 3. In via meditationis incedendum
ſt aſpirando ad contemplationem: (§. 252.)
rgo a ratione alienum eſt, tunc meditationi
nhærere, cum ſponſus nobis per contempla-
ionem occurrit.

§. 260.

Regulæ pro tranſitu ad contemplationem.

Ne autem præpropere nimis a via medita-
ionis recedamus, *regulæ* ſequentes obſervan-
læ erunt.

Prima. Specialis vocatio.

Primo. Diſcerniculum fundamentale pro
tranſitu rite faciendo a meditatione ad con-
templationem ſumendum eſt a ſpeciali Dei *vo-
catione*, & inſpiratione. Conſtat enim ex §. 249.
hanc vocationem requiri, quæ ſi deſit, nonniſi
temere quis ad contemplationem conaretur,
& ſola oratione vocali, aut mentali contentus
eſſe deberet; ſi tamen hæc vocatio adſit, etiam
nonniſi temere quis ſe a contemplando excu-
ſaret. Uti docent Bloſius *in epiſ. ſub fin. farrag.*
Alva-

Alvarez *l.* 3. *de contempl.* *p.* 3. *c.* 13. Joannes Jeſu Maria *Th. myſt.* *c.* 3.

§. 261.

Secunda. Vocationi huic obediendum eſt.

Secundo. Quando conſtat de hac vocatio ſpeciali, illi *obtemperandum* eſt, & per via contemplationis illi ut ſpecialiſſimæ gratiæ co operandum. Cum enim per ſe loquendo vi orationis per contemplationem multo ſit perfe ctior, quam per meditationem, & Deus pe illam ſpiritum promovere velit, non humilita ſed puſillanimitas, & pigritia foret, vocatio divinæ non ſine magno lucro ceſſante, & dam no forſan emergente, repugnare. Quare S Joannes a Cruce *in præm. aſcenſ. ad mont. Carm* conqueritur: „ Aliqui Confeſſores, & Patre „ ſpirituales, eoquod inſcii ſint, & inexperti via „ hujus, offendiculo, & damno potius, quam „ auxilio ſolent eſſe hujusmodi animabus ".

§. 262.

Tertia. Regula pro cognoſcenda hac vocatione.

Tertio. Ad cognoſcendam porro hanc ſpe cialem vocationem, opus eſt *diſcretione ſpiri tuum*, de qua alibi ſermo erit. Pro nunc ſuffi ciat regula ab Alvarez *l.* 5. *de contempl.* *p.* 3 *c.* 13. tradita: „ Tunc poteſt quis ad hoc ge „ nus orationis accedere, cum ſpiritualis Ma „ giſter, poſt ſufficientem notitiam profectu „ ejus ita faciendum eſſe cenſet: cum in „ ternis inſpirationibus, & ſatisfactione qua „ dam mentis ad illud provocatur: cum multo „ tempore aridus in meditatione fuit, & Deum „ ſimpliciter aſpiciens, ac amori inhærens

„ ma

magis proficit, & robuſtior ad proterendum ſæculum, & ad deſpicientiam ſui ipſius, & ad omnem virtutem invenitur ".

§. 263.

Quarto. Niſi anima in- & exteriori mortificatione, ac profectu in probationibus Dei purificata fuerit, pro peccatis ſatisfecerit, eorum reliquias deleverit, paſſiones ſubjugaverit, peccare ſaltem deliberate deſierit, & in virtutibus, maxime humilitate, multum profecerit, vix inſpiratio divina, rapiens ad contemplationem, ſupponi poteſt, niſi in caſu raro, & extraordinario. Patet hoc ex dictis (§. 258.) *Quarta. Alterum ſignum.*

§. 264.

Quinto. Contemplatio ſuppoſita etiam vocatione, & proportionata diſpoſitione poteſt adhuc eſſe vel *imperfecta* ſolum, & inchoata, vel *perfecta*: item vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*. Nam contemplatio in toto ſuo genere non differt logice a meditatione, ſed tantum moraliter, ſcilicet ſecundum id, quod notabiliter prævalet, & permanenter: quippe meditatio ſæpe aliquid de contemplatione imperfecta participare poteſt, & contemplationi etiam perfectæ meditatio aliqua immiſceri, imo ſæpe cum illa alternare debet. (§. 254.) *Quinta. Contemplatio habet ſuam latitudinem.*

Schol. 1. Michael Molinos præter propoſitiones damnatas (§. 48. *Sch.*) relatas, etiam ſequentes docuit: ſcil. prop. 21. *In oratione manendum eſt in fide obſcura, & univerſali, cum quiete, & oblivione omnis alterius cogitationis particularis, & diſtinctæ attributorum Dei, & Trinitatis, atque ſtandum in* *Referuntur errores Quietiſtarum.*

in præſentia Dei, ad eum adorandum, amandum, atque ſerviendum; verum ſine productione ullorum actuum: Deus namque id genus rebus non delectatur. Item prop. 22. *Non eſt hæc cognitio fidei actus quispiam productus a creatura, ſed cognitio quædam illi a Deo data, quam creatura non novit ſe habere, neque adeo poſtea ſcit ſe habuiſſe: idemque dicendum de amore.* Item prop. 23. *Qui ſemper eſt in primo* (gradu lectionis) *nunquam tranſit ad ſecundum* (meditationis) *qui ſemper eſt in ſecundo, nunquam ad tertium pertingit, quæ eſt contemplatio noſtra acquiſita, ubi conſiſtendum eſt tota vita, dummodo Deus non trahat animam, nihil tale expectantem, ad contemplationem infuſam: & hac ceſſante redeundum eſt animæ ad gradum tertium, & in eo conſiſtendum non amplius revertendo ad ſecundum, aut primum.* Similes errores damnavit Innocentius XII. in Archiepiſcopo Cameracenſi, viro alias magno, & ſuos errores ſancte revocante. Ajebat enim in prop. 15. *Meditatio conſtat diſcurſibus activis, qui à ſe invicem facile diſtinguuntur . . . Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum, & reflexivorum eſt propria exercitatio amoris intereſſati.* Et in prop. 16. *Datur ſtatus contemplationis adeo ſublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita, ut quoties anima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.*

Solvuntur objectiones. Schol. 2. Objiciunt hi & alii contemplativi. I. Illud Cant. 1. v. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui,* quod oſculum contemplationis omni animæ competit. Et 1. Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate;* quod videre proprium eſt contemplationi, ad quam ſufficit fides per ſimplicem intuitum. *Reſp.* Anima, quando jam valde ſancta erat, modo ad illud oſculum oris aſpiravit, ſi forte ad illud Deus illam dignaretur admittere. Deinde lyvidere, nullus interpretum ad contemplationem reſtringit, nam ſi videre in ænigmate ſoli nudæ fidei com-

ompetit, cum econtra contemplatio non ſit actus olius fidei, ſed ei aliquam claritatem ſuperaddat. I. S. Dionyſius *Myſt. Th. c.* 1. Timotheum hortatur, ut ſe ad contemplationem excitet: & Hugo Victorin. *l.* 3. *de anim. c.* 48. ac Richardus Victoinus *l.* 5. *de contempl. c.* 5. omnem animam hortantur, ut ſatagat, jugi contemplationi vacare. tem Author *ſcal. clauſt. c.* 10. meditationem ſine ontemplatione parum aut nihil prodeſſe ait. Et . Thomas *opuſc.* 63. ſtultum putat, Deum ſemper er meditationem quaerere, cum eum juſtus intra e per contemplationem reperire poſſit. *Reſp.* Auhoritas horum Myſticorum nil aliud probat, quam uod pro caſu ſpecialis vocationis, & diſpoſitionis nima valde perfecta ſe ad contemplationem excitare poſſit, uti vult S. Dionyſius, & uterque Victorinus. (§. 259.) Author ſcalæ idem ſentit. (*Ibid*) Et Author opuſculi 63. qui non eſt S. Thomas, ſolum probat, aſpirandum eſſe ad contemplationem, ita ut non ſemper meditatione teneanur, dum Deum per contemplationem præſentem enere poſſumus. III. Quando fidei ſuperadditur lonum intellectus, aut aliud ad contemplationem equiſitum, quilibet contemplari poteſt: ſed omni uſto hæc dona dantur, ergo quivis pro libitu contemplari poteſt. Maxime cum ſimplici aſſenſu, & intuitu primis principiis aſſentiri valeamus. *Reſp.* Hoc utique fieri poteſt, ſi ſpecialis vocatio, inſtinctus, & gratia excitans ſupernaturalis accedat, quæ tamen ad cognitionem primorum principiorum, modum humanum non excedentem, non requiritur. IV. Poſſumus ſaltem auſpicari contemplationem imperfectam meditationi permixtam; ergo etiam ad perfectam procedere; tum quia anima juſti ſtatim ad eam tranſit: tum quia non eſt ratio, cur ad contemplationem potius, quam meditationem requiratur ſpecialis vocatio, & diſpoſitio, quam contemplatio melius, quam meditatio inducere poteſt. *Reſp.* Nihil convenientius eſt, quam a minori ad majorem perfectionem aſcendere,

re, & quod dona S. Spiritus prius in meditationem, poſtea in contemplationem influant: neque anima juſti niſi poſt plenam purgationem ad contemplationem poſt mortem in cœlo admittitur, ac purgatio in vita melius fit per meditationem, tum quia juſtum eſt, ut magis in purgando ſe laboret qui plus ſordeſcit: tum quia ſenſibus nimium immerſus connaturalius ſenſibiliter, quam ſpiritualiter ad Deum adducitur.

Adhortatio ad contemplationis diſpoſitionem.

Corollar. Optimus modus aſpirandi ad contemplationem eſt, ferventer aſpirare ad perfectionem: qui enim in omnibus perfecte operari ſtudet, ante omnia Deum ſine modo amare contendet, & ut eum ſic amet, magis, magisque illuminari, & inflammari rogabit, quod ut fiat, ſtudioſe orationi vocali & mentali, aſpirationibus, & jugi Dei præſentiæ vacabit; neque ad hoc curioſitate, ſed affectu non ſterili, ſed cum effectu, quantum cum divina gratia poteſt, feretur: hinc in omnem mortificationem intentus peccata etiam minima ſaltem deliberata vitabit, vitia eradicabit, diſtractiones fugiet, omnia creata contemnet, ipſas cœleſtes delicias guloſe non appetet, ſed humili corde ad divinum beneplacitum ſe totum reſignabit, quæ optima eſt ad contemplationem diſpoſitio, qua vel donabitur, vel ſi ea non ornetur, non ideo in perfectione ſua deficiet, cum enim in dono contemplationis perfectio non conſiſtat, Deus hoc illi denegare, ejusque defectum per amorem in humilitate ſecurius cuſtoditum ſupplere poterit: ut enim S. Gregorius *l.* 6. *Mor. c.* 17. ad illud: *ingredieris in abundantia ſepulchrum*, obſervat, multis quidem prodeſt contemplatio, ſed non aliis, quibus ſatius eſt, quod amoris impetus humilitatis pondere fulciatur, veluti anchora, quam in divini amoris littore charitas aſtringat. Et S. Thereſia *in via perf. c.* 17. monet: „ In humilitate, mor-
„ tificatione, abdicatione, aliisque virtutibus
„ ſemper eſt ſecuritas: nihil timendum, nec peri-

„ culum

„ culum eſt, non perveniendi ad perfectionem,
„ æque, ac multum contemplativi . . . ſecura
„ ſitis, faciendo quod in vobis eſt, & præparan-
„ do vos ad contemplationem cum perfectione
„ prædicta, ſi Dominus dare nolit, (puto autem,
„ non denegaturum, ſi vera eſt abnegatio, & hu-
„ militas) reſervatum vobis hoc delicium, ut
„ confertim obtinendum in cœlo ".

§. 265.

A generaliſſima contemplationis diviſione in ordinariam, & extraordinariam ad magis ſpecialem progredimur, & quia utraque vel eſt cherubica, ſeu intellectiva, vel ſeraphica, ſeu affectiva (§. 240.) a *Cherubica*, ſeu *intellectiva* incipimus, quæ eſt contemplatio, in qua licet duo actus partiales intellectus, & voluntatis reperiantur, eminet tamen magis, quod intellectuale eſt. *Contemplatio Cherubica quid.*

Schol. Duo hi termini *Cherubica*, & *Seraphica* etymologiam ſuam accipiunt a duobus primis primæ Hierarchiæ cœleſtium ſpirituum choris. Seraphini ſunt, in quibus eminet magis, & excellit ardor amoris, quam lux ſcientiæ, quamvis utraque gaudeant perfectione. Cherubini vocantur, veluti plenitudo ſcientiæ, ubi magis ſplendet lux intellectualis, quam ardor amoris, licet hoc, & illa polleant. Pari ratione in contemplatione, quæ fide conſtat viva, & charitate incenſa modo hic, modo ille actus magis emicat, & tunc, qui eſt ſupereminens, tribuit denominationem. Si ſupereminet lux intellectualis fidei vivæ, dicitur contemplatio *Cherubica*, ſeu intellectiva: ſi vero ſupereminet, quod eſt magis affectuoſum, & accenſum charitatis, dicitur contemplatio *ſeraphica*, ſeu affectiva. *Explicatur.*

§. 266.

Contemplatio Cherubica quomodo fiat.

Contemplatio *Cherubica* pro neceſſario fundamento habet fidem, ſeu habitum infuſum ci ea res divinas, & revelatas, cui in docti Theologia per fidem elevata, per ſuas explicationes aliquod lumen affundere poteſt. Hi per tria dona Spiritus S. ſcilicet intellectus ſapientiæ, & ſcientiæ (§. 242. *Sch.*) contemplatio addit novam lucem intellectualem, claram, & calorificam, quæ lumini fidei unita, elevat, & exaltat eximie intellectum, ut veritates divinas revelatas novo modo, nova luce, nova vivacitate, & novo in omnibus incremento cognoſcat. Lux hæc contemplationis eſt clara, certa, fortis, pacifica, delectans, pura, & principium cognitionum, quæ vitam, & mores ad meliora excitant: eſt practica, intellectum ſic illuminans, ut voluntatem ſimul calefaciat, emolliat, liquefaciat, & recreet, animam teneritudine afficiat, & intentionem rectificet, ut ſolum Deum in omnibus ſuis deſideriis, verbis, & operibus requirat. Et quemadmodum radio ſolis meridiano conclave aliquod tenebricoſum ingreſſo, ubi aliquis infirmus triſtis jacet, conclave ſubito inclareſcit, aer purificatur, & infirmus lætitia perfunditur: ita in hujusmodi contemplativo hac luce contemplationis ejus ignorantiæ illuminantur, affectus purificantur, intentio rectificatur, cor pacificatur, mens illuſtratur, & antea nec cognita, nec intellecta, divina pariter, & humana cum novis ſuis excellentiis aperiuntur. Ita contemplationem cherubicam deſcribit P. Godinez

linez *in prax. Th. myſt. l.* 5. *c.* 1. quam eodem ere modo exhibet uterque Victorinus, Hugo 2. de anim. c. 20. *Cum cœperit mens per puam intelligentiam ſemetipſam excedere, & illam ncorporeæ lucis claritatem tota intrare, & in his, uæ intrinſecus videt, quemdam intimæ ſuavitatis aporem trahere, & ex eo intelligentiam ſuam conlire, & in ſapientiam vertere; in tantum in hoc nentis exceſſu pax illa, quæ exuperat omnem ſenum, invenitur, atque obtinetur, ut fiat ſilentium n cœlo. Apoc.* 8. *v.* 1. *Nihil ſenſualitas, nihil git imaginatio, ſed omnis inferior vis animæ prorio interim viduatur officio.* Et Richardus l. 4. le contempl. c. 12. *Si fidei noſtræ arcana, quæ el ipſi per revelationem didicimus, vel à Theologis Viris accepimus, aſſueſcimus in contemplationem dducere, tunc eveniet, ſi Deus det, in eorum adnirationem animum noſtrum ſuſpendere, & paſcere, umiliare, & in divinorum deſiderium acriter inlammare.* Exempla Sanctorum in hac contemlatione excellentium in S. Thereſia, & S. Joane a Cruce ex eorum libris habemus.

Schol. Contemplatio cherubica circa myſterium SS. Trinitatis, Incarnationis, Euchariſtiæ &c. verſari poteſt, cujus praxin circa hæc ſingula nunc explicabimus.

§. 267.

Praxis contemplationis SS. Trinitatis.

Contemplatio *SS. Trinitatis* pro fundamento habet fidem, quæ nos docet, Deum in eſſentia unum, eſſe trinum in perſonis realiter diſtinctis, quæ ſunt, Pater, Filius, & Spiritus S. Pater ingenitus eſt principium fœcunda generatione producens unigenitum ſuum Fi-

 lium,

lium, Patri conſubſtantialem, & omnino æqualem. Pater, & Filius, licet duæ ſint perſonæ realiter diſtinctæ, in ratione tamen ſpirandi Spiritum S. ſunt unum principium, quandoquidem una, eademque voluntate, uno, eodemque actu eum producunt. Ad hæc Spiritus, etſi non generet ut Pater, nec ſpiret producendo ut Pater; & Filius, intelligendo, & amando notionaliter, ſed eſſentialiter; tamen bonus, ſapiens, ac ſanctus eſt ut Pater, & Filius, illisque conſubſtantialis in omnibus, & unus, ac idem Deus. Hæc omnia probat Theologia, & unitatem eſſentiæ in tribus perſonis explicat aliqualiter per tres potentias, intellectum, voluntatem, & memoriam in una anima, & ſic de reliquis, uti in (*Comp. Th. c.* 2.) videre licet, adeoque obſcuræ fidei aliquam lucernam affert. Denique in animabus contemplativis, dum myſterium SS. Trinitatis ſub fidei umbra non ſine adminiculo lucernæ Theologiæ vident, tunc illis aliquoties ſupervenit quædam de hoc myſterio lux clara, calorifica, ſplendens, pacifica, & jucunda, ſupremum hoc arcanum multa cum vivacitate repræſentans: inſuper in eo, veluti in ſpeculo divino intuentur plurimas novas veritates, plura divina ſecreta, complura myſteria, plurimas perfectiones, atque iſto ſimplici intuitu anima ſuſpenditur, admiratur, delectatur, inflammatur, interius immutatur, elevatur, & perficitur. Teſtatur hoc de ſeipſa S. Thereſia *vit. c.* 39. & P. Godinez *l.* 5. *c.* 3. refert, noviſſe ſe quosdam Theologos, qui aliquoties hac gratia contemplationis circa hoc myſterium donabantur, di-

cebant-

ebantque lucem, quam circa id in libris repe-iebant, eſſe tenuem, cum econtra lux con-emplationis eſſet clara, & calorifica, intelle-tum ſublimiter illuminans, & ſuaviter calefa-iens voluntatem.

Schol. Quando hic, & in conſequentibus dicitur, quod Theologia tum dogmatica, tum ſcholaſtica aliquid ad contemplationem prodeſſe poſſit, non eſt ſenſus, quaſi vero illa ad hanc omnino requireretur, cum etiam ſine notitia Theologiæ in pluribus animabus contemplativis ejus defectum lux contemplationis abundantiſſime ſuppleat; ſed ſolum ſenſus eſt, quod in illis, qui Theologiam callent, bonus illius uſus fidem aliqualiter illuſtrare, & hoc modo ad contemplationem ſuo modo diſponere valeat. *An Theologia requiratur.*

§. 268.

Praxis contemplationis myſterii SS. Incarnationis.

Contemplatio myſterii *SS. Incarnationis* iterum *primo* pro fundamento habet fidem, qua docemur, Filium Dei factum eſſe hominem in viſceribus SS. Mariæ Virginis, unitis inter ſe hypoſtatice natura divina, & humana in perſona divina, ſupplente perſonalitatem, & ſubſiſtentiam humanam: adeoque in Chriſto D. N. licet ſint duæ integræ naturæ, non tamen ſunt duæ perſonæ, nec duo filii. Eadem fides docet nos, Chriſti actiones fuiſſe Theandricas, id eſt, Dei-hominis, paſſum ut hominem, ut Deum reſurrexiſſe. *Secundo.* Has veritates confirmat, variisque exemplis aliquo modo explicat, & illuſtrat Theologia, uti in (*Comp. Th. c.* 5.) viſum eſt. *Tertio.* His duobus fundamentis accedit meditatio affectiva, & continua de tanto myſterio, de qua actum fuit (§. 105. 110.) *Quarto.* His veritatibus fide

creditis, & per meditationem cum congruis affectibus expenſis a Deo ſubinde lux contemplationis affunditur ardens, & accenſa in intellectu, cujus vis ad voluntatem tranſit, quæ has veritates novo, admirabili, & delectabi modo repræſentat, & cognitionem adeo vivam celerem, acutam, claram, & delicatam in anima cauſat, ut ita hic Deus-homo cor ad ſe trahat, atque ſuſpendat, ex cujus contemplatione tenero, & blando amore inflammatur anima affectibus redundat, deſiderat, ardet, amat, tacet, audit, odoratur modo divino. Tunc fides vivificatur, ſpes erigitur, charitas flammeſcit, omnesque virtutes morales novam excellentiam recipiunt. Aliquoties Chriſtus Jeſus, ut infans, nunc ut prædicans, nunc ut crucifixus, vel alio modo repræſentatur, ut in nobis virtutum moralium affectus, ſcilicet compunctionis, patientiæ, humilitatis, obedientiæ, doloris, timoris, confuſionis, ex infantia, vita, paſſione, & morte Chriſti, ejusque imitatione excitentur.

Errores Pſeudo-illuminatorum.

Schol. Jam alibi (§. 170. *Schol.*) errores Beguardorum, & Pſeudo-illuminatorum, cum illis Michaelis de Molinos circa meditationem humanitatis Chriſti refutavimus. Sed quia ibi præcipue probabatur, hanc conſiderationem non eſſe rejiciendam, ſaltem quæ fit per viam meditationis, & quando anima nequit contemplari, reſtat hic oſtendere, quod etiam a contemplativis, & in ipſo actu contemplationis, ordinarie loquendo, humanitas Chriſti ab objecto contemplando non ſit excludenda. Et quia contemplatio quantumvis perfecta ſive ordinaria, ſive extraordinaria, in nullo melius & utilius dignoſcitur, quam ſi circa nos modo ſibi pro-

proprio ad cognitionem, amorem, admirationem, & reliquos hujusmodi affectus ſuos excitet, & moveat, demonſtrandum eſt, an, & quomodo contemplatio hæc illos in nobis producat. Proinde ſit

§. 269.

Expedit humanitatem Christi contemplari.

Expedit contemplativis, ut ad modo proprio cognoſcendum Deum per contemplationem, ab *humanitate Chriſti* contemplanda non abſtineant. Probatur *primo* ex S. Scriptura, quæ omnibus, nulla facta exceptione de contemplativis, Chriſtum, etiam ut hominem, nobis conſiderandum proponit. Luc. 9. v. 35. *Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite.* Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Plura vide (§. 107. *ſeq.*) *Secundo* patet ex PP. S. Dionyſius *c.* 2. *de div. nom.* agit de Jeſu, quem ut Deum, & ut hominem contemplatur; & hanc contemplationem ſe a divino Hierotheo didiciſſe fatetur, patiente divina, dicens: *quod eſt omnis Theologiæ manifeſtativum, Jeſus.* Caſſianus *coll.* 1. *c.* 15. cum Abbate Moyſe inter alias multas pro materia contemplandi veritates collocat præcipue Incarnationis myſteria Richardus Victorin. *l.* 1. *de contempl. c.* 3. & *l.* 4. *c.* 22. non ſolum Deum, ſed & omnes alias veritates revelatas cenſet poſſe eſſe promiſcue, objectum tam meditationis, quam contemplationis, quæ duo orandi genera ſolum in modo differunt: & *c.* 18. myſteria Incarnationis ſigillatim collocat ſimul cum SS. Trinitate pro materia perfectiſſimi gradus contemplationis. S. Bernardus *ſerm.* 3. *de Aſcenſ.* ad hoc veniſſe

Chriſtum docet, ut omnium noſtrum intelle-ctum illuminet, *& ſemper cogitemus* (ſive me-ditando, ſive contemplando) *& nunquam cogi-tare ſufficiamus, quia mirabilia fecit.* S. Bo-naventura *in ſtim. amor. p.* 2. *c.* 3. ait: *Quicun-que ad contemplationis quietem, & dulcedinem, niſi per Chriſti lateris oſtium voluerit introire, furem ſe reputet, & latronem.* S. Thereſiæ, & V. Bloſii mentem explicavimus: (§. 107.) & Alvarus Pelagius refutans Beguardos *in planct. Eccl. l.* 2. ait: „ Quod dicunt iſti maledicti, quod „ caderent a perfectione ſuæ contemplationis, „ ſi de carne Chriſti, aut paſſione ejus aliquid „ cogitarent, inſapum eſt manifeſte, & diabo-„ licæ arrogantiæ: quia videndo corpus Chri-„ ſti vident Deum per fidem, & divinitatem „ ejus, quæ conjuncta eſt carni Chriſti ... „ Et quæ major, & purior contemplatio, quam „ cogitare Deum paſſum in carne, ad cujus „ memoriam eſt illud Sacramentum principa-„ liter inſtitutum? .. Nihil enim ſic hominem „ ad Deum trahit, & ad Deum allicit, ſicut „ Deum hominem contemplando ". *Tertia* Ratio eſt ex S. Thoma 2. 2. *q.* 180. *a.* 4. ubi ſtatuitur, quod licet Deitas ſit primarium con-templationis objectum, *ſed quia per divinos effe-ctus in Dei contemplationem manuducimur, ſecun-dum illud Rom.* 1. *v.* 20. *inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: inde eſt, quod etiam contemplatio divinorum effectuum ſe-cundario ad vitam contemplativam pertinet, prout ſcilicet ex hoc manuducitur homo in Dei cognitio-nem.* Sed inter divinos effectus diviniſſimus eſt Incarnatio: ergo, licet ſecundario, ad con-tem-

emplationem pertinet. Deinde etiam Angeli, & Beati in patria, uti notat S. Thomas, Quodl. 3. a. 10. *Sic per prius contemplantur divinitatem Chriſti, quam ejus humanitatem, in utraque tamen contemplanda delectationem inveniunt.* Ergo etiam contemplativi in via, utpote qui adhuc imperfectiores ſunt, quam contemplativi in patria.

§. 270.

Contemplatio humanitatis Chriſti ad alios affectus, & amorem excitandum utilis eſt.

Contemplatio *humanitatis Chriſti* præterea ad excitandum in nobis amorem Dei, & alios affectus virtutum, contemplationi proprios, utilis eſt. Probant hoc *primo* textus S. Scripturæ (§. 269.) & pro meditatione humanitatis Chriſti (§. 107. *ſeq.*) allati. Redit *ſecundo* probatio ex Patribus, & Myſticis (*l. c.*) allata, quibus accedit S. Bonaventura *c.* 50. *medit. chriſt. vit.* dicens: *Vidiſti, quomodo tria ſunt genera contemplationis, ſcilicet humanitatis Chriſti, cœleſtis curiæ, ac Majeſtatis divinæ. Scire autem debes, quod in qualibet horum duo ſunt mentis exceſſus, intellectualis, & affectualis. Tertio.* Confirmant hoc rationes (§. 269. & 105. x 10.) allatæ.

Solvuntur objectiones.

Schol. Contra dicta, præter objectiones (§. 107. *Sch.*) ſolutas, dicunt nonnulli I. Contemplatio conſiſtit in ſimpliciſſimo intuitu Dei, ut Dei: ergo humanitas Chriſti ad eam non ſpectat, ſed ſolum ad meditationem, diſponentem ad contemplationem. *Reſp.* Contemplatio Dei, ut Dei, primaria, & principalis eſt, per quam objectum ejus ſecundarium, ſcilicet humanitas Chriſti, non excluditur. II. S. Bonaventura *in medit. vit. Chriſti c.* 50. ait: *Pro incipientibus, & imperfectis eſt, contemplatio humanitatis Chriſti.* Et *c.* 51. concludit: *Illa*

rectius, & proprius meditatio, quam contemplatio nominari debet. Id quod confirmat ex S. Bernardo *ſerm.* 62. *in Cant.* ubi vult, intrare ad interiora verbi, alta contemplando, eſſe ſolius animæ perfectæ, cum econtra imperfecti meditatione non in vulnera Chriſti, ut purificentur, intrare debeant. *Reſp.* S. Bonaventura ſolum vult, humanitatem Chriſti per meditationem conſiderandam ad perfectos æque, ac imperfectos ſpectare; cum econtra contemplatio ad ſolos perfectos ſpectet. Quo modo etiam S. Bernardus intelligendus eſt. III. Perfecta contemplatio abſtrahit ab omni ſenſibili, quia 2. *Cor.* 3. *v.* 18. dicitur: *Nos revelata facie* (non velata) *gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur.* Et S. Dionyſius *c.* 1. *de myſt. Th.* Timotheum hortatur: *Prætermitte & ſenſus, & mentis actiones, eaque omnia, quæ ſub ſenſum cadunt, & animo cernuntur.* Et ſimilia habet Thaulerus *l.* 35. *inſtit.* Et S. Joannes à Cruce *in aſcenſ. mont. l.* 2. *c.* 32. Ergo humanitas Chriſti, utpote ſenſibilis, non eſt objectum contemplationis. *Reſp.* Contemplatio etiam circa res ſenſibiles eſſe poteſt, & S. Apoſtolus in loco citato ſolum Chriſtum in ſeipſo ab Apoſtolis, & per fidem ab omnibus viſum, Moyſi eum figurate videnti oppoſuit, & docet, quod in eo veluti ſpeculo gloriam Deitatis ſpeculemur. S. Dionyſius vero, & reliqui citati humanitatem Chriſti ab objecto contemplationis plane non excludunt, ſed potius includunt, uti patet ex (§. 269.)

§. 271.

Praxis contemplandi SS. Euchariſtiam.

Tertio. Contemplatio myſterii *SS. Euchariſtiæ* iterum *primo* pro fundamento ſupponit fidem, qua credimus, quod pronuntiatis a legitimo Miniſtro verbis conſecrationis, ſubſtantia panis, & vini tranſubſtantietur in corpus, & ſanguinem Chriſti, ſolis ſpeciebus panis, & vini remanen-

manentibus. Hæc, & alia SS. Euchariſtiæ myſteria *ſecundo* explicat, confirmat, & defendit Theologia in iis, qui eam didicerunt, uti liquet. (*ex Comp. Th, c.* 14. *de SS. Euch.*) His *tertio* ſubinde Deus in contemplativis accendit lucem contemplationis, quæ repræſentat modum, ac rationem, qua corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus exiſtit, velut Rex in throno ſuo, cortina interjecta; velut ſol formoſus, nubibus accidentium coopertus; velut fons Paradiſi, frondibus ſpecierum ſacramentalium occultatus, ex quo quatuor flumina gratiæ, miſericordiæ, charitatis, & pietatis emanant, pro irriganda, lætificanda, & fœcundanda Eccleſia, cordibusque fidelium, qui ex eo bibunt. Quævis contemplatio in hunc modum repræſentativa ſolet interdum eſſe tantæ virtutis, ut animam rapiat, & ſuavi quadam admiratione ſuſpendat, ad conſpectum harum divini amoris adinventionum. Tunc anima tripudiat, ac veluti redundans ardore igneo cujusdam grati amoris tota quanta liqueſcit, & in affectus gratitudinis diſſolvitur. Quanta tunc facilitate credit, de quo antea quodammodo dubitabat? quanta cum certitudine amplectitur id, quod non capiebat? quanta cum claritate intelligit veritates, humano diſcurſui impervias? fides tam altas in ea radices agit, ut millies mori pro quolibet articulo revelato eligeret: & quantumvis homines, & Angeli contra id, quod tunc credit, exurgerent, ne minimo quidem apice a veritatibus, quas iſta firmitate credit, dimoveri poſſet. In hac intellectus perfectione voluntas non eſt otioſa, ſed ardet amore, ac

cum

cum veneratione, & timore adorat. Tenet ſua magnitudine illa majeſtas, quam adorat, amat, colit, reveretur, admiratur, laudat, gratitudine proſequitur, & ſumma cum pietate magnificat. Tunc anima ſeſe humiliat, & velut attonita magnitudine doni hujus, quo Deus ſemetipſum dat incarnatum, & ſub Sacramento in cibum animarum, tam intra, quam extra ſe verbis inops reperitur, affectibus, & operibus, quibus ſufficiat, beneficio adeo ingenti referre gratias: proindeque in ſapienti quodam ſilentio perſiſtit, venerando tacens, cum decenter nequeat loquens gratias agere. His, aliisque ſecretis, & quibus explicandis imparem me profiteor, tenetur anima affectibus in iſta ſpecie contemplationis. Ita Godinez in *Prax. Theol. myſt. l. 5. c. 5.*

§. 272.

Praxis contemplationis attributorum Dei.

Quarto. Contemplatio *attributorum Dei* denuo pro fundamento fidem habet, qua *primo* omnipotentiam, juſtitiam, miſericordiam, aliasque perfectiones per fidem revelatas credimus. *Secundo.* Easdem per effectus creatos, tanquam increatæ cauſæ dotes, cognoſcimus. Sic omnipotentia detegitur in creatione cœli, & terræ, Angelorum, & hominum, totque adeo venuſtarum creaturarum cœleſtium, & elementarium, quarum conſideratio in ingentem admirationem rapit. Juſtitia innoteſcit in æterno bonorum præmio, & iniquorum ſupplicio: unde gignitur pœnæ timor, & ſpes præmii. Miſericordia quaſi occupata invenitur in ſubveniendo tot, & tantis creaturarum miſeriis.

Boni-

Bonitas manifeſtatur in adeo infinitis modis, ſeſe communicandi creaturis. Harum conſiderationum quælibet, ſi mediocritatem non ſuperat, erit meditatio. Si vero *tertio* animam cum exceſſu elevat, unionem afferet cum avulſione a creatura, & amore Creatoris: &, ſi ad ſublimiorem aſcendit gradum in cognitione fidei, & vivacitate amoris, poterit evadere contemplatio. Sic v. g. ſuppoſita fide immenſitatis Dei, qua Deus eſt in omni loco intime præſens, ut cauſa univerſalis, eſſentiam cujusvis creaturæ conſervans, interdum contemplativi tam clara, pura, & ſublimi luce donantur, ut iſtam immenſitatem conſiderando, Deum in omnibus temporibus, locis, perſonis, & occupationibus præſentiſſimum inveniant: cor item tam bene diſpoſitum habent, ut ad leviſſimam cogitationem, veſtigium, ſignum, aut relationem Creatoris ſubito anima in eum jaculatoriis precibus anxietatibus, ſuſpenſione, affectu, aliisque actibus in- vel externis, etiam ſuſpiriis ſubſultet. Sic a conſpectu pulchri floris ad dilecti pulchritudinem cogitatio ſalit, & creaturæ omnes illi ſcala ſunt, ut ſubito ad cœleſtia aſcendat. Porro hic orationis modus multis in ſe deliciis, teneritudine, devotione, compoſitione facili ad interiorem Dei præſentiam, cum orationibus jaculatoriis, ſuſpiriis, & lachrymis abundat. Interior vero unio tales contemplativos facit exterius modeſtos, honeſtos, compoſitos, tacitos ſine affectione, & hyprocriſi, ſed cum ſinceritate, & veritate. Ex hac oratione haurit anima ingens robur, ad virtutes morales rite exercendas, illas præcipue, quæ

quæ cum ſuo ſtatu, inſtituto, & obligatione magis connexæ fuerint, ſine quibus contemplatio vel amiſſioni, vel ſuſpicioni obnoxia eſt: magis enim virtuoſus ſanctior eſt, quam magis contemplativus, niſi fuerit ſimul virtutibus exemplisque illuſtrior. Ita Godinez *c.* 6.

De viſionibus ſymbolicis, & locutionibus in- & externis remiſſive.

Schol. Multis, variisque modis animabus contemplativis ſeſe Deus communicat, inter quos etiam ſubinde ſymbolicis viſionibus, ſubinde locutionibus externis, vel internis cum iisdem agit. Verum cum has diſcernere ad officium Magiſtri ſpiritualis potiſſimum ſpectet, eas tomo ſecundo reſervamus, ubi commodius ſuo loco explicabuntur, & nunc ad orationem ſilentii, & quietis progredimur.

§. 273.

Oratio ſilentii, & quietis quid.

Quinta ſpecies contemplationis cherubicæ eſt *oratio ſilentii, & quietis*, qua mens abſorpta, imbuta, & immerſa eſt in prima veritate, ſummaque bonitate, cum quadam ſimplici, & attenta objecti apprehenſione, quin ultra diſcurrat, aut aliam veritatem attingat, niſi quam habet præſentem: & contemplando ſpeciali modo fruitur veritate, quam meditando inquirebat.

Explicatur.

Schol. I. Non agitur hic de oratione ſilentii vocalis, qualis eſt, ſi quis oret oratione puræ meditationis, aut puræ contemplationis, ſed de oratione ſilentii mentalis; ſicuti enim vocaliter loqui, & ſilere poſſumus, ita & mentaliter; nam meditari, id eſt, per diſcurſus procedere, & ſic laborando Deum quærere, & ſe ad eum amandum &c. movere, & per modum diſcipuli ſua dubia quaſi proponere, & ab eo inſtructionem petere, ejusque doctrinam operatione laborioſa, & diſcurſiva quaſi calamo extrare,

rare,

rare, eſt potius loqui, quam ſilere: econtra contemplari, id eſt a diſcurſibus labore proprio factis abſtinere, ſimplicique intuitu, & quaſi auditu a Deo, per ſe ſpeciali gratia animam docente, inſtrui, ea tacente, & ad Deum ſolum attendente, ut docentem audiat, vel ſaltem ejus inſtructionem expectet, quaſi typis in ſua mente impreſſam, nulla fere operatione, nullo labore, ſed quietiſſime uno veluti legentis intuitu, quod ſibi ſciendum, nitidis characteribus, vel imaginibus affabre depictis, & deauratis donari, eſt potius ſilere, quam loqui. Ita quidem fit in omni contemplatione relate ad meditationem: verum intra genus contemplationis occurrit etiam aliqua ſpecies, ſeu gradus, qui dicitur contemplatio, ſeu oratio ſilentii, relate ad reliquos contemplandi modos: ſubinde enim, imo frequentius non eſt adeo totale ſilentium contemplationis, ut anima penitus taceat, & ſolum Deum loquentem audiat, ſed alia quædam v. g. preces, laudes, colloquia, ſi non modo diſcurſivo, ſaltem ſimplici, hoc ſilentium interrumpentia interponit; ſicuti etiam inquietudo aliqua accidere poteſt, vel involuntarie, vel ex negligentia voluntaria ob externas ſenſuum, vel internas phantasmatum diſtractiones: ſubinde vero, & aliquamdiu totale eſt ſilentium, & anima omnino tacet, & unice Deum loquentem audit; ſtupet enim, & velut attonita, nec verbis quidem mentalibus uti poteſt, ſed tacitis veluti ſignis attendit, ad modum, quo diſcipulus attenderet, non jam mortali Magiſtro, ſed Apoſtolo gentium e cœlo deſcendenti, ut ſe in ſecreto cubiculi edoceret: in quo ſilentio ſubinde etiam revelationes, locutiones, viſiones, extaſes, raptus interveniunt.

Schol. 2. Oratio ſilentii variis nominibus a Myſticis exprimitur. Dicitur 1. *Oratio quietis*, quia dum anima ſola cum Deo ſolo eſt, merito in ipſo quieſcere dicitur, ceſſante omni motus inquietudine, ad alia extra Deum, vel ipſum etiam Deum obtinen- *Varia nomina orationis ſilentii.*

nendum : quod tamen de quiete imperfecta in patriam intelligendum eſt. Dicitur 2. *Otium* *ma;* eſt enim ſancte otiari a reliquis, dum in ſolo Deo figitur. Dicitur 3. *Oratio in calig* eſt enim in caligine verſari, quando anima quam ſolari lumine oculus, perſtringitur, dum prout poteſt, intueri nititur. Dicitur 4. *Som* *mors*, & *ſepulchrum* animæ: quia eſt ſuſpenſio, quædam ſpecies ſomni, mortis, & ſepulchri, privationem, quam inducit, fruendi quovis ali extra Deum.

§. 274.

Datur oratio ſilentii, & quietis.

Datur in aliquo vero ſenſu in contemplati ne divina aliquis orandi modus, qui mer dicitur *oratio ſilentii*, & *quietis*. Probatur *pri* *mo* ex S. Scriptura Pſ. 64. v. 1. *Te decet hy* *mus* (Hebr. cum S. Hieronymo) *Tibi ſilenti* *laus Deus in Sion*. Id eſt, juxta Bellarminum „ Tibi Deus primum convenit tacita admirati „ magnitudinis tuæ: deinde conſtituto cor „ in hoc ſilentio debetur tibi laus in Sion Item Thren. 3. v. 26. *Bonum eſt præſtolari cu* *ſilentio ſalutare Dei*. Et v. 28. *Sedebit ſolitari* *& tacebit, quia levavit ſuper ſe*. Eodem mod ſilentium hoc quietum occurrit. Iſ. 58. v. 11. *Et requiem tibi dabit Dominus, & implebit ſple* *doribus animam tuam*. Deut. 33. v. 12. *Am* *diſſimus Dominus habitabit confidenter in eo: qu* *in thalamo tota die morabitur, & inter humer* *illius requieſcet*. Et Matth. 11. v. 29. *Diſcite* *me . . . & invenietis requiem animabus veſtri*. Accedunt textus hanc orationem ſilentii ſo aliis nominibus inſinuantes; nam hæc eſt illa caligo, de qua dicitur Exod. 20. v. 21. *Moyſe* *autem acceſſit ad caliginem, in qua erat Deus*.

Quo

quo enim propior eſt anima per contemplatio-em Deo, eo magis in videndo caligat, & in udiendo ſilet. Hæc eſt illud otium Pſ. 45. . 11. *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.* Hæc eſt ille ſomnus Cant. 2. v. 7. *Adjuro vos . . ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam.* t c. 5. v. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* quod S. Bernardus *ſerm.* 52. *in Cant.* & Cornelius a Lapide cum S. Gregorio &c. de oratione uietis explicant. Hæc eſt illa mors, ad Col. 3. . 3. *Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita um Chriſto in Deo.* Hæc eſt illud ſepulchrum ob. 3. v. 22. *Gaudentque vehementer, cum invenerint ſepulchrum.* Quod de contemplatione explicat S. Gregorius *l.* 5. *mor.* *c.* 5. Probatur ecundo ex PP. S. Dionyſius *l. de Th. myſt.* *c.* 1. n ſummo quodam myſticæ apice modum agnoſcit, quo anima a SS. Trinitate edocetur, *præfulgente ſilentii, obſcura docentis, caligine.* Cujus rationem dat *c.* 3. *Quo enim ad ſuperiora contendimus, eo magis verba aſpectu rerum, quæ ſub mentem cadunt, contrahuntur: quemadmodum etiam hoc tempore in caliginem, quæ mentem ſuperat, introeuntes, non brevem orationem, ed ſilentium, & intelligentiæ privationem reperiemus.* S. Auguſtinus l. 9. Conf. c. 10. *Si cui ileat tumultus carnis, ſileant phantaſiæ terræ, & aquarum, & aeris, ſileant & poli, & ſibi anima ſileat, & tranſeat ſe, non ſe cogitando . . . i jam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum, ui fecit ea, & loquatur ipſe ſolus.* S. Gregorius . 30. *mor.* *c.* 11. ita contemplativos hortatur: *Quoddam ſibi cum Domino intra ſe ſecretum quærunt, ubi cum illo, exteriori ceſſante ſtrepitu, per*

interna deſideria ſilenter loquuntur . . . *Cœl quippe Eccleſia vocatur electorum, quæ ad æte ſublimia, dum per ſublevationem contemplatio intendit, ſurgentes ab intimis cogitationum tum tus premit, atque intra ſe Deo quoddam ſilenti facit.* Hugo Victorin. *l.* 2. *de anima c.* 20. ai *Cum cœperit mens per puram intelligentiam ſem ipſam excedere, & illam incorporeæ lucis clari tem tota intrare* . . . *purior animæ pars in ill intimæ quietis ſecretum, & ſummæ tranquillita arcanum felici jucunditate introducitur.* S. Th mas *Quodlib.* 4. *a.* 23. *ad* 16. per amplexu Rachelis quietem contemplationis perfecto figuratam agnovit. S. Bonaventura *in* 5. *itin æltern. d.* 6. cum S. Dionyſio contemplationem caligine affert. Et *opuſc. de* 7. *grad. contempl.* oratione quietis ait: *Quies eſt totius animæ ra quædam, & ſuavis tranquillitas, per infuſ nobis ex frequentia orationis dulcedinem concret* Eandem orationem ſilentii & quietis admittu S. Laurentius Juſtin. *l. de inter. conflict. c.* 1 Thaulerus *inſt. ſpir. c.* 12. Gerſon *Myſt. The conſid.* 42. Bloſius *in ſpec. ſpir. c.* 11. S. Joann a Cruce *l.* 2. *in aſc. ad mont. c.* 12. S. Theres *in vit. c.* 14. & alibi. *Tertio.* Ratio eſt 1. qu hoc proprium eſt affectuum, & objectorum, u quando captum noſtrum excedunt, nec in-ne externis verbis exprimi queant, ſed animu in videndo, & audiendo defixum teneant, qu in ſilentio per indicia ſupplere contendit, quo verbis effari nequit. Ergo in aliquibus con templationum divinarum articulis, Deo anima bus ſanctis loquente, & ſe videndum præben te, illæ in audiendo, & videndo defixæ ſilen-

tat

r obſtupeſcent, maxime quia admiratio, ve-
it maxime proprius contemplationis effectus, uporem, & impotentiam effandi affert: id uod potiſſimum fit, quando magnitudo obje-
i, ſcilicet rerum divinarum, oculos mentis ɛrſtringit, & ardor amoris ita efferveſcit, ut ne verbis melius, quam loquendo ſe demonſtet. 2. Quo magis Deus cognoſcitur, eo ágis ineffabilis verbis oris, & mentis videtur: uia nec ſufficit affirmare perfectiones de Deo, iſi negentur imperfectiones; nec ſufficit nega-
: imperfectiones, niſi affirmentur perfectiones, ec utrumque ſufficit, niſi fiat cum exceſſu inuito. Quomodo vero hoc præſtabit miſera, : finita, etiam in modo cognoſcendi creatuı? certe nullo aptiori modo, quam ubi tanta aligine obruta ad ſilentium confugit, & in oc ſolo quietem invenit, quæ eſt ipſiſſima orao ſilentii, & quietis.

chol. V. Ludovicus a Ponte in vita Balthaſaris Alvarez *c.* 41. refert, eum juſſum fuiſſe a tunc temporis Præpoſito Generali ſocietatis rationem reddere ſui ſpiritus, & ſuæ orationis, quæ erat oratio ſilentii, & quietis; unde opus illi fuit ſolvere difficultates, quæ ſibi opponebantur, quas etiam diſſolvit, quæ erant ſequentes. I. In oratione ſilentii anima nec meditatur, nec ratiocinatur, ſed tempus amittitur, utilius in exercendis virtutum actibus collocandum. *Reſp.* Hoc animæ otium eſt operum opus maximum; quamvis enim ibi ceſſent diſcurſus intellectus circa particularia myſteria, non tamen ceſſant actus voluntatis in conſpectu Dei, quem fidei oculis aſpicit: unde oritur admiratio, gratiarum actio, gaudium de divinis perfectionibus, amor, reſignatio, aliique affectus, quos unctio S. Spiritus ſuggerit. II. Videtur eſſe error

Solvuntur objectiones.

 Pſeu-

Pſeudo-illuminatorum, quod quis omiſſa medi-
tatione expectet, donec Deus in oratione ſilentii lo-
quatur, & aliquid inſpiret, aut revelet, quod ſit
quodammodo tentare Deum. *Reſp.* Oratio ſile
non invenitur in tyronibus, niſi ſpeciali Dei v
tione ad eam præveniantur, vel in iis, qui lo
tempore ſe in meditationibus exercuerunt, qu
ſi Deus ad hanc orationem vocet, illi ſe hoc tem-
pore non in deſiderandis, vel expectandis revela-
tionibus, ſed in agnoſcenda ejus divina præſentia
& in exercendis in ejus conſpectu prædictis af-
fectibus exerceant, quo modo Deum non tentant
ſed vocanti obediunt: cum econtra Pſeudo-illu-
minati ex arrogantia, ſine vocatione, ſine diſpo-
ſitione, ſine morum reformatione, ſine ſolidarum
virtutum exercitio huic quieti ſe intrudere teme
attentent. III. Non conſtat quandonam hæc v
ex vocatione divina, non vero ex tacita ſuperbia
& amore dulcedinis ſpiritualis, & proprio, tene
tur. *Reſp.* Ex fructibus hoc colligi poteſt, ſi n-
mirum cor divino amore exardeſcat, ejus volun-
tati in proſperis æque ac adverſis ſe pleniſſime con-
formet, & Chriſto exemplari omnis perfectionis,
maxime in ſui ipſius contemptu, & univerſali
propriæ voluntatis abnegatione, & fideliſſima vo-
luntatis divinæ executione ſe aſſimilare ſtudeat.
IV. Oratio ſilentii cultores ſuos ad vanam gloriam,
aliorum contemptum, & inobedientiam erga ſu-
periores, aliam viam præſcribentes, inducit. Ita
a charitatis operibus erga proximum per bona con-
ſilia, & alia, retrahit, & propriæ ſanitati cor-
poris, ad ſatisfaciendum ſuis obligationibus neceſſa-
riæ, non parum officit. *Reſp.* Hæc omnia non
ex oratione ſilentii, ſed ex imbecillitate, indiſpo-
ſitione, & imperfectione ipſius orantis proveniunt,
cum econtra oratio ſilentii ad profundiſſimam hu-
militatem, obedientiam exactiſſimam, opera cha-
ritatis præſtantiſſima extimulet, nec ſanitati cor-
poris noceat, ſi prudenter, & diſcrete uſurpetur.
V. Oratio ſilentii hominem ita ad ſe trahit, ut

 videa-

videatur omnis devotionem Sanctos, & antiquam receptas orationes, ipſumque officium Canonicum, evaneſcere, & petitio pro publicis, & privatis neceſſitatibus negligi. *Reſp.* Hæc devotio per orationem ſilentii magis accenditur: quia ad hanc quietem diſponit, in qua expreſſe nil petendo plus petitur, & obtinetur; quia Deus vota talis animæ, liberationem ab ejusmodi neceſſitatibus optantis, optime cognoſcit, quæ etiam extra hoc tempus ſilentii Deo ſæpius expreſſe proponit. VI. Hic orandi modus a communi retrahit, & diſturbium in communitatibus facit. *Reſp.* Hic modus potius favet communi; ſi enim Deus ſpecialiter ad eum non impellat, a communi inchoandum eſt, a quo alter hic modus oritur: nam mediante meditatione quies contemplationis obtinetur. Nec hic modus diviſionem in communitate facit, quia eſt paucorum perfectorum, qui viam communem, non admodum ſemper perfectam, vocante Deo ſupergrediuntur.

§. 275.

In dicta oratione *ſilentii*, & quietis non ſu-penditur anima ab omni *actu intelligendi*, vel *amandi*. Probatur *primo* ex textibus S. Scripturæ (§. 274.) allatis, in quibus non commendatur ſilentium quaſi ſtatuæ, ſed ſilentium nimæ, ut melius videat, & audiat. Pſ. 44. *Audi filia, & vide.* Nec promittitur requies uaſi lapidis, ſed quaſi diſcipuli, non pure paſve…e habentis, ſed vivaciter a Magiſtro divino mbuti, & in eo quieſcentis. Matth. 11. v. 29. *Diſcite a me . . . & invenietis requiem.* Item on ingreditur anima in *caliginem*, ut prorſus on videat, ſed ut cognoſcat, ſe *intueri* lumen naſſequibiles: nec *vacat* otio, ut otietur, ſed *egotietur*: nec tota *dormit*, ſed corde *vigilat*;

In oratione ſilentii non ſuſpenditur omnis actus intelligendi, & amandi.

Pſeudo-illuminatorum, quod quis ... tione expectet, donec Deus in ora... quatur, & aliquid inſpiret, aut ... quodammodo tentare Deum. ... non invenitur in tyronibus, ... tione ad eam præveniantur ... tempore ſe in meditatio... ſi Deus ad hanc oratio... pore non in deſideran... tionibus, ſed in agn... & in exercendis in... ctibus exerceant, ... ſed vocanti ob... minati ex arro... ſitione, ſine ... virtutum ex... attentent. ... ex vocati... & amor... tur. ... mina... tati ... fo...

...nis devotio erg... ...ones, ipſumque offici... petitio, pro publicis, & ... Reſp. Hæc devotio per ... quia ad hanc ... accenditur: ... magis ... quia expreſſe nil petendo plus ... quia Deus vota talis ani- ... neceſſitatibus op- ... quæ etiam extra hoc ... expreſſe proponit. ... retrahit, & di- ... Reſp. Hic mo- ... Deus ſpeciali- ... includendum ... Nec ... quia ... Deo.

...ur; ut in coda... ...proximi ... In oti... ...ſtare debet, ſed aut inquiſitio... ...tatis ... Itaque a ſtudio cogi... ...tatis nemo prohibetur, quod ad lauda... ...net otium. S. Gregorius l. 5. mor. c. 26. *...nc ergo verum eſt, quod de Deo cognoſcimus, cum plene nos aliquid de illo cognoſcere non poſſe ſentimus.* S. Bernardus explicans ſomnum myſticum animæ, & quomodo illi verbum divinum, & illa verbo loquatur. *ſerm.* 45. *in Cant.* ait: *Locutio verbi, infuſio doni, reſponſio animæ, cum gratiarum actione admiratio.* Probatur *tertio* ex ratione 1. Quia omnis oratio, maxime mentalis, & conſequenter etiam omnis contem-

conſiſtit in actu intellectus, & vo-
2. & 48.) ergo etiam oratio ſi-
2. Contemplatio in genere
ſimplicem intuitum veritatis cum
voluntatis, adeoque in actu
tis conſiſtit: (§. 238.)
io ſilentii, & quietis;
re otioſum, & ſom-
milis.

tis valde magni- *Error Quietiſtarum.*
lant, & ut obſi-
licet, remove-
m ſolo ſim-
nſtituere;
nis actus
rius virtutis
ratio ſilentii, &
ima manebit prorſus
æ Deus in illa operari vo-
perfectio vitæ interioris. Ita
etiſtæ docebant, quando *errore* 42.
„ Quod in ſtatu unionis nullus volun-
actus ſit exercendus". Et Recentiores
Michaele Molinos præter plures alias propo-
ſitiones damnatas de annihilatione ſui per omni-
modam inactionem, & indifferentiam paſſivam do-
cent *prop.* 21. (item 18. 20. 22.) „ In oratione
„ manendum eſt in fide obſcura, & univerſali,
„ cum quiete, & oblivione omnis alterius cogita-
„ tionis particularis, & diſtinctæ attributorum
„ Dei, & Trinitatis: atque ſtandum in præſentia
„ Dei, ad eum adorandum, amandum, eique ſer-
„ viendum; verum ſine productione ullorum
„ actuum: Deus autem id genus rebus non dele-
„ ctatur". Contra quos breviter agit Annatus
in *ſua Theol. poſit. l.* 7.

Solvuntur objectiones.

Schol. 2. Argumenta Quietiſtarum ſunt I. quia ſ. Scriptura oratio hæc dicitur ſpecialiter ſilenti, quietis, caliginis, otii, ſomni, mortui, ſepul. quæ nonniſi de contemplatione, in qua omn. actus animæ intelligentis, & amantis ceſſat, exp cari poſſunt. Verum *reſponſio* ad hanc objecti nem patet ex ipſo hoc §. 275. II. S. Dionyſi *Th. myſt.* c. 1. hortatur Timotheum, ut præte mittat *& ſenſus, & mentis actiones.* Et Taulen *inſt. ſpir.* c. 12. ait: „ Nec intus, nec foris quid „ quam hic operari permittitur ". Item S. Joanne a Cruce *l.* 2. *aſcenſ. ad mont.* c. 12. „ Hic, ut di „ cimus, potentiæ non operantur, ſed quieſcunt" Et S. Thereſia *in Caſtello manſ.* 4. c. 3. „ Hic et „ non curemus nihil cogitare, contingit tamen „ brevi licet moræ ". Et S. Saleſius *l.* 6. *de amor Dei* c. 11. „ Non volo eſſe aliud, quam ſtatua " *Reſp.* S. Dionyſius, & reliqui non aliam operatio nem quam diſcurſivam, & imaginariam, & circ objecta creata excludunt, quando Deus ad quie tem intellectualem vocat. III. Elevatio mentis in Deum per modum colloquii, in quo ſolus Deus loquitur, docet, & illuminat, poteſt fieri abſq a actu intelligendi, & amandi. *Reſp.* Poteſt quidem hoc aliquo modo, poſtea explicando, fieri, quia anima pro ſuo nutu, & modo ſibi connaturali ope retur; at nequit fieri, quin variis aliis modis actus intelligendi, & amandi exerceantur: tum quia de bet anima Deo loquenti attendere, quod ad actum intellectus ſpectat: tum quia ipſa locutio, illum natio, & inſpiratio Dei conſiſtit in actibus prævii noſtris vitalibus indeliberatis intelligendi, & aman di: tum quia auditio, aſſenſus, cooperatio, ad miratio, amor &c. ſunt actus vitales intellectus, & voluntatis, & a Deo intenti in locutione ſua, nec defuturi, niſi ex culpa noſtra, vel ex impoſ ſibilitate quidquam humano modo agendi, vel re cipiendi.

§. 276

§. 276.

Ut autem vera, & *ſancta oratio ſilentii*, & uietis *a falſa*, ficta, & periculoſa *diſcernatur* equentes *regulæ* obſervandæ ſunt. *Primo*. Dum)eus animæ in oratione ſilentii loquitur, ipſa altem eum *audire* debet, ſi non etiam anima lli colloquatur. Nam Deus loquitur animæ, uppoſito lumine ſupernaturali, per noſtros actus ntelligendi indeliberatos, qui divinam nobis ndicant voluntatem per inſpirationes ſuaſivas, el per judicia magis expreſſa: quia vero hi unt actus vitales, certe ſine nobis ſaltem in-eliberate fieri non poſſunt, id quod etiam eſt, os indeliberate verba divina audire, & ea in obis fieri ſine nobis, ſcilicet ex propria libera leterminatione nobis nondum cooperantibus.)uod ſi vero mox deliberate pergamus atten-ere, & ad divina verba melius percipienda, actu implenda ex imperio voluntatis omni-us obſtaculis remotis, divinis verbis aſſentia-nur, eaque exequi decernamus, tunc coope-amur, & arrectis quaſi auribus deliberate au-limus, & implemus illud. Pſ. 44. *Audi filia, & inclina aurem tuam.* Unde patet, quo modo livina locutio ex actibus indeliberatis a Deo nfuſis incipiat, qui non poſſunt non ſentiri, el audiri, ſaltem indeliberate ab anima, quæ ccedente devotione, vel præ admiratione ſi-et, vel in amorem, aliosque effectus erumpit. *Regulæ pro cognoſcenda vera oratione ſilentii. Prima. Anima Deum audire debet.*

§. 277.

Secundo. Anima Deo *loqui*, &, quando Deum ibi per inſpirationes &c. loquentem audit, vel is *Secunda. Anima Deo lo-*

quenti reſpondere debet. is ſe in oratione ſilentii clarius videndum, aut cognoſcendum manifeſtat, ſaltem per affectus amoris, & alios, quaſi intellectualibus verbis *Deo reſpondere* devote debet. Uti enim expli cat P. Suarez *de orat. c.* 13, „ Locutio hom „ nis ad Deum eſt, quando aliquid ab ipſo de„ ſiderat, vel deſiderium ſuum illi exprimit, „ quæ quidem locutio etiam Dei eſt, & ab ip„ ſo incipit, vel movente affectum, vel diri„ gente intellectum: tamen non vocatur locu„ tio Dei, quia per illam non tam movet ad „ intelligendum, quam ad operandum: voca„ tur autem locutio hominis, quatenus coope„ rando gratiæ Dei, ſuum affectum Deo expri„ mit . . . de qua locutione fieri poteſt, ut „ ceſſet in altiſſima contemplatione, ubi anima „ ſimplici quodam actu, & quaſi intuitu Deo „ præſentatur, eumque ſibi præſentem facit, „ & per intimum affectum ita illi unitur, & „ quaſi in eo abſorbetur, ut nihil aliud eloqui „ valeat. Atque hac ratione dici poteſt, tunc „ fieri ſilentium internum, & ſpirituale in ani„ ma: ſicque intelligendi ſunt myſtici Docto„ res, aut ſpirituales viri, cum de oratione „ ſilentii, ſeu in ſilentio loquuntur “. Id quod ex S. Bernardo, ſeu Authore *l. de amor. Dei c.* 4. confirmat.

§. 278.

Tertia. Sine dicta attentione, & reſponſione non datur

Tertio. Quod ſi igitur omnis actus intelligendi, & amandi, ſeu Deo loquenti attendendi, (§. 276.) & illi per amorem, & alios affectus reſpondendi (§. 277.) ceſſat, nec incipere, nec perſeverare poteſt oratio mentalis, & mul-

multo minus contemplatio, ac oratio ſilentii, *oratio ſilentii.* ſaltem ſi ceſſatio deliberate fiat: quia licet cum ceſſatione indeliberata, & involuntaria, oratio, licet minus perfecta, adhuc perſeverare poſſit; voluntaria tamen, & deliberata eſt culpabilis, & ſic elevationem mentis ad Deum, & orationem tollit, adeoque oratio ſilentii cum ea ſubſiſtere non poteſt.

§. 279.

Quarto. Quando proinde Deus ad orationem ſilentii modo præfato explicatam *vocat*, illi omnino *obſequendum* eſt, uti de contemplatione (§. 259.) dictum fuit: quemadmodum Bloſius monet: *c. 11. ſpec. ſpirit.* „ Si Dominus ſingulare quippiam in te operari voluerit, non eum impedias, ſed voluntatem ejus decenter ſequere, continens jugiter teipſum in ſancta humilitate, tuique nihili penſione". *Quarto, Deo ad orationem ſilentii vocanti obediendum eſt.*

§. 280.

Quinto. Cavendum tamen quam maxime, ne quis non *diſpoſitus*, & non *vocatus* in orationem ſilentii, & quietis ſe intrudat, alias enim in errores Quietiſtarum incidere poterit; & cum Deus non promiſerit hanc gratiam gratis datam, in eam ſe intrudere, tentatio Dei foret. Proinde *l. c.* bene monet Bloſius: „ Tu ergo & Deo magis, ac magis placere conaberis, & nihilominus ſemper contentus eſis ea gratia, quam tibi largiri dignatur Dominus". *Quinto, Nemo ſe tamen in eam intrudere debet.*

Corollar. Ad orationem ſilentii, ſicut etiam ad omnem meditationem, & contemplationem multum diſponit ſilentii oris exacta obſervatio, nam teſte Lu- *Adhortatio ad cuſtodiam*

linguæ, & aurium. Ludovico à Ponte *tr.* 4. *dux. ſpir. c.* 16. §. 2. „ Si„ lentium, & oratio mira quadam, mutuaque fa„ miliaritate ſeſe invicem juvant: quia ſilentium di„ ſponit ad orandum, & oratio nos allicit ad ta„ cendum “. Nihil enim cor magis ad terram diſſipat, quam loquacitas, uti ipſa experientia probat. *Si quis putat ſe Religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt Religio.* Ait S. Jacobus *c.* 1. *v.* 26. Et S. Gregorius *l.* 7. *mor. c.* 18. ad illud: *Et in ventum verba profertis,* mentem humanam aquæ comparat, quæ circumcluſa furſum conſurgit, relaxata vero inutiliter diffunditur: *quot enim ſupervacuis verbis a ſilentii ſui cenſura diſſipatur, quaſi tot rivis extra ſe ducitur: unde & redire interius ad ſui cognitionem non ſufficit, quia per multiloquium exterius ſparſa vim intimæ conſiderationis amittit.* Non ſolum autem in lingua, ſed & in auribus cautiſſimus eſſe debet, qui ad orationem quietis ſe diſponere cupit: qui enim ab audiendis vanis ſe non cohibet, ab iis loquendis ſe vix continebit, & qui vana libenter audit exterius, ad percipienda divina interius vix aptus erit. *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire,* monet Sapiens *Eccli.* 28. *v.* 28. Et Abbas Cyzinus in Prat. ſpir. vit. PP. l. 10. c. 18. *Qui ſine diſtractione eſſe appetit, ſolitarius maneat. Qui continere vult linguam, aures obſtruat, ne multa audiat.* Et Hugo Victorin. *l.* 2. *de clauſ. anim. c.* 20. monet Religioſos, ut a rumoribus mundanis audiendis abſtineant, dicens: „ Gaudent „ multi Clauſtralium, cum de Regibus fabulantur, „ dum caſus militum narrant, dum pro illis loquun„ tur, a quibus non agnoſcuntur, multorum par„ tes defendunt, pro multis iraſcuntur, pro multis „ litigant, ignorant tamen, quod negant, aut af„ firmant “. Pro quo remedium paulo ante *loc. cit.* præſcribit: „ Hi ſunt rumores Clauſtralium, ad „ quos non pertinent bella Principum ſæcularium, „ ſed pugnæ tentationum. Delectare igitur cha„ riſſime his rumoribus, non exterioribus “.

§. 281.

§. 281.

Contemplatio ſeraphica quid.

A contemplatione cherubica pergimus ad contemplationem *ſeraphicam*, ſeu *affectivam*, quæ eſt contemplatio, in qua inter duos actus intellectus, & voluntatis, eminet, quod magis affectuoſum, ardens, & charitate magis accenſum eſt.

Explicatur.

Schol. Eſt igitur contemplatio ſeraphica perfectio voluntatis, & charitatis, omniumque virtutum moralium, quæ ſunt ancillæ charitatis, & in voluntate reſident: unde dum contemplatio ſeraphica ad ſublimem gradum aſcendit, omnes etiam virtutes, quæ ſunt in voluntate, perficiuntur, & intenduntur. Hinc falluntur, qui putant, charitatem, ſine incremento, intenſione, & perfectione virtutum moralium perfici poſſe: imo ipſi charitati Theologicæ contemplatio ſeraphica novas excellentias addit: nam 1. in ea amor divinus novo, & valde intenſo ardore ſuccenditur. 2. Novo ſplendore, & decore in ſe derivato venuſtatur, & cum nova hac gratia in flammam quandam luminoſam, calorificam, & ſplendidam convertitur, qua res divinæ illi alio modo, quam antea deteguntur. 3. Similis maſſæ molli redditur; in quam multiformes, ac mirabiles amoris modi imprimi poſſunt: unde anima agit cum Deo idiomate illo amatorio, quo cum ipſo ardentiſſimi ſeraphim communicare ſolent; colloquitur linguis igneis tam incenſorum, quam antea ſibi incognitorum affectuum, quos Dei amatores tantum capiunt, & quo divinum hoc amoris incendium excreſcit amplius, eo magis deſiderium terrenorum deficit, & quanto magis cor Creatori adhæret, tanto amplius a creaturis avellitur, ingens contra corporalia oblectamenta tædium ſuccedit, dulcedo voluptatum terrenarum amareſcit, honores contemnuntur, omnia creata faſtidiuntur, & tunc ſolummodo anima conſolationem reperit, dum ſe morituram,

ram, Deum viſuram, eoque ſecure ſe fruiturum cogitat. De quibus affectibus in ſequentibus ſermo recurret.

§. 282.

Contemplatio ſeraphica exercitium virtutum moralium ſecum habere debet.

Illuſio proinde eſt, ſi quis putet ſe in altiſſima contemplatione ſeraphica conſtitutum, cum tamen *virtutum* moralium exercitio vacare negligat. Probatur *primo* ex S. Scriptura: dum enim Salvator noſter *Matth.* 5. Evangelicæ perfectionis ſub nomine beatitudinum, & contemplationis certe non immemor, ſemina ſparſit exercitium virtutum moralium Evangelicarum potiſſimum commendavit. Ergo non ſufficit contemplari etiam per affectus ſeraphicos, niſi ſedula virtutum exercitatio accedat; quia ſoli qui paupertate, & humilitate voluntaria exercentur; qui mites ſunt, lugent, eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam, miſericordiam exercent, munditiei cordis ſtudent, pacem ſervant, & fortiter patiuntur, beati pronuntiantur. Hinc etiam Apoſtolus *Gal.* 5. fructus Spiritus S. in anima perfecta, & contemplativa recenſens, virtutes magna ex parte morales, & quidem actu exercitas, enumerat, quæ ſunt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Quare etiam in cauſa canonizationis de exercitio virtutum moralium ſervorum Dei rigoroſum examen inſtituitur, ut in opere de Beat. & Can. SS. Benedicti XIV. *l.* 3. videre licet. *Secundo* patet ex PP. S. Auguſtinus in *Pſ.* 83. ait: *Ab his virtutibus* (cardinalibus) *imus in illam virtutem. Et quæ erit illa virtus, niſi ſolius contemplationis Dei?* quod non

ſolum

um de contemplatione patriæ, ſed etiam viæ
elligi poteſt. S. Baſilius *in reg. fuſio. c.* 7.
o vitam ſolitariam minus idoneam cenſet,
ia periculum eſt, ut ſolitarius *ſibi veluti plane*
perfectionem adepto blandiatur . . . Ex quo
id ſequetur, ut cum animi habitum, quem habet
virtutem, illum aſſidue apud ſe compreſſum te-
erit, ac velut introcluſum, neque quibus rebus
lituatur, intelligat, neque progreſſionem ullam,
am in virtutibus faciat, videat. Et S. Clima-
s gr. 27. Non ſine diſcrimine veſtibus involutus
tat, neque divina myſteria, & arcana Theologiæ
pit vitiis obnoxius. Et Caſſianus collat. 9. c. 1.
am ſicut ad orationis perfectionem omnium tendit
uctura virtutum, ita etiam niſi hujus culmine
c omnia fuerint colligata, atque compacta, nullo
odo firma poterunt, vel ſtabilia perdurare. Ter-
. Ratio eſt: perfectio chriſtiana intenditur,
exercetur per contemplationem, maxime
raphicam, quæ charitate, utpote vinculo
erfectionis potiſſimum inflammata eſt, & hæc
aritas non ſolum affectiva, ſed etiam effecti-
a eſſe debet: ergo ſicuti charitas affectiva op-
me exercetur in contemplatione ſeraphica,
a etiam effectiva per actus virtutum moralium
erceri debet. (§. 16.)

Schol. Quietiſtæ docent, contemplationem ſolius fi- *Error*
dei, in qua per ſolum actum abſtractiſſimum Deum, *Quietiſta-*
ut Deum, contemplamur, includere omnia, & in *rum.*
ea multo perfectius virtutes paſſive recipi, quam
ſi quis affectibus in oratione, vel exercitio ſingu-
larum virtutum extra orationem ſe perficere labo-
raret. Qui error ex dictis refutatur, & abſurda,
quæ ex eo ſequuntur, in decurſu, & præcedentibus
indicata fuerunt.

§. 283.

§. 283.

Contemplatio ignea deſcribitur.

Contemplatio ſeraphica in varios gra dividitur. (§. 240.) Horum *primus* eſt conte*platio ignea*, quam S. Bonaventura *tr. de* 7. *contempl. gr.* 1. ita deſcribit: *Ignis eſt vehem divini caloris, vel amoris fervor ex camino ſup ſplendentis Hieruſalem flabellatus. Hujus ign calor contemplativi, ſive ſancti activi viri anim cum ſe ad orandum Deum effuderit in conſpectu De ſubito eam valde pellucido ſplendore irradiat, qua plurimum ignit, & ardentes motus, affectionesq accendit. Deus adeſt, & pavet illa, ille immiſſu ignem auget, ut magis caleat, illa ortas affection nutrit, ut eo amplius magis reddatur incendium, quo abundantius ſubminiſtratur materia accendend.* Fundatur hæc deſcriptio, ſicut & ipſa contemplatio ignea, in S. Scriptura Cant. 8. v. 6. *Lampades ejus lampades ignis*, vel juxta Hebræum, *tanquam prunæ*, vel *carbones igni*. Et Luc. 24. v. 32. *Nonne cor noſtrum arden erat in nobis?* Et S. Dionyſius *de cœl. Hier. c.* 15. articulatim indicat naturam, & proprietates ignis, ut exinde concludat, merito in ſacris litteris, & ab Interpretibus, & Theologis commendari ſymbolum ignis, ad ſignificandam Dei, Angelorum, & maxime Seraphinorum naturam, & proprietates divini amoris, quo in Deum, in ſe, & alios ardent.

Effectus contemplationis igneæ.

Schol. Contemplatio ignea a ſimilitudine ignis, & per ſuos effectus a P. Godinez *Prax. Th. myſt. l.* 6. *c.* 2. bene explicatur. Sicut enim ignis elementaris diverſas quaſi particulas habet, alias denſas, intenſas, & caloriferas, qua interiora ligni penetrant: alias vero ſubtiles, agiles, pellucidas, quæ

quæ in flammas abeunt. Ita ignis contemplativus alios habet actus unitivos cum Deo valde intenſos, caloriferos, & verſus interiora animæ cum ſumma affectionum contractione, & omnium potentiarum vitalium recollectione tendentes: & ſicuti accenſa pruna, quanto magis ab igne penetratur, tanto magis reſolvitur, & paulatim in minutum cinerem convertitur, quo ipſa tegitur, & longius conſervatur. Ita hic ignis divini amoris, quo magis ſe ad interiora animæ reducit, eo magis ipſa cinere propriæ cognitionis obtegitur, per quam humilitatem hic charitatis ignis melius conſervatur. Item ſicuti paſtilli odoriferi in prunas injecti in ſuaveolentes exhalationes converſi copioſe aſcendunt, ita dum anima divini amoris affectibus accenſis abundat, virtutum moralium affectus ceu vapores cum incendiis amoris exhalantur: tunc anima amat, adorat: amat, & ſe humiliat, amat, & ſe reſignat, & obedire appetit: amat, & labores ſufferendos deſiderat: amat, & peccata præterita deplorat: atque ex hoc amore raptus, Extaſes, & alii miri effectus ſubinde conſequuntur, de quibus in tom. 2. ſermo erit. Denique hic amor accomodatur virtutum moralium exercitio, quæ unicujuscunque ſtatui magis ſunt propriæ: quippe illa contemplatio ſemper bona eſt, quæ ſe obligationibus ad quas quisque tenetur, accomodat, & attemperat.

§. 284.

Secundus gradus contemplationis ſeraphicæ eſt *contemplatio flammea*, quæ ex S. Dionyſio *l. de cœl. Hier. c.* 15. deſcribi poteſt; contemplatio in qua *ignis* divini amoris eſt *ſenſibilis*, *lucidus*, *illuminativus*, *circumvelatis ſplendoribus clarus*, *ſurſum ferens*, *acute means*, *excelſus*, *neglectus non eſſe putatur*, *attritu autem, ſicut quadam vindicta*, *connaturaliter*, & *proprie* *relu-* *Contemplatio flammea deſcribitur.*

relucet. Indicatur hæc contemplatio flamm Pſ. 38. v. 4. *In meditatione mea exardeſcet* igni. Et Pſ. 72. v. 21. *Inflammatum eſt cor meum.* Et Cant. 8. v. 6. ubi de divina dilectione non ſolum dicitur: *Lampades ejus lampades ignis;* ſed etiam additur: *atque flammarum,* vel juxta LXX *Alæ ejus, alæ ignis, flammæ ejus.* Quod S. Ambroſius *l. de Iſaac c.* 8. ita exponit: *Bona charitas, habens alas ignis ardentis, quæ volitat per pectora, & corda ſanctorum, & exurit, quidquid materiale, & terrenum eſt, quidquid vero ſincerum eſt, probat, & quod contigerit, ſuo igne meliorat ... Sumamus igitur has alas, quæ ſicut flammæ ad ſuperiora dirigunt: exuat unusquisque animam ſuam involucris ſordidioribus, & quaſi aurum igni approbet deterſum luto.* Ex quibus cum Ludovico a Ponte contemplatio flammea brevius definiri poteſt. *l.* 10. *in Cant. exhort.* 10. §. 3. Eſt contemplatio in qua amor divinus per intentionem terrena relinquit, & omnia opera ad gloriam Dei elevat, & quæ ſurſum ſunt ſolum quærit, & ſapit.

Effectus contemplationis flammeæ.

Schol. Contemplationem flammeam iterum a ſimilitudine ignis, & flammæ explicat per effectus P. Godinez *l. c. c.* 3. Quemadmodum enim ignis elementaris habet quasdam partes ſubtiles, diaphanas, tenues, & pellucidas, quæ in pulchram, & ſplendidam flammam abeunt, & magna agilitate ſurſus verſus cœlum moventur, ita actus amoris contemplativi flammei vitales, ſubtiles, & agiles cum anxietatibus amatoriis cor ſurſum verſus Deum rapiunt, eum videre, & ſoluto corporis nexu animam intimius cum eo uniri vehementer deſiderant. Affectus hi ſubinde in valde ſollicitas anxietates abeunt, quæ cor tenere affligunt, & animam ſuaviter

viter torquent, eo quod videat, non poſſe ſe tam cito a corpore liberari, ut dilecto ſuo vivacius uniatur, quæ in parte intellectuali per ſimplicem cognitionem vivæ, & luminoſæ fidei præſentiſſimum habet: quæ cognitio flammam quandam amatoriam in voluntate excitat, & vivis amoris flammis omnia animæ interiora ſuccendit, & inflammat: quæ flamma etiam nonnunquam effectibus externis in corpore, uti vulneratione cordis in S. Thereſia, vel crepante latere, uti in S. Philippo Nerio &c. de quibus in tom. 2. ſe manifeſtat: qui tamen effectus in altiſſima contemplatione, & unione cum Deo partem ſuperiorem animæ relinquunt, quam ingens talis perſonæ verecundia, modeſtia, circumſpectio, humilitas, & propriæ miſeriæ, ac debilitatis cautiſſima ſuſpicio conſequitur.

§. 285.

Effectus contemplationis utriusque eſt humilitas.

Ex effectibus contemplationis igneæ (§. 283. *Schol.*) & flammeæ, (§. 284. *Schol.*) relatis apparet, utramque in profunda *humilitate* fundari, eamque ambas comitari, & conſequi, id quod hic paulo fuſius demonſtrandum eſt. Definitur autem *humilitas* ex doctrina S. Thomæ q. 161. *cum q.* 141. *&* 160. Virtus, quæ temperat, & refrænat animum, ne immoderate tendat in excelſa, ſed potius teneat ſe in infimis ſecundum ſubjectionem hominis ad Deum. Hoc modo humilitas diſtinguitur a temperantia, & modeſtia, quæ ſolum cohibent appetitum ad excelſa in gradu moderato ſecundum rectam rationem; cum econtra humilitas appetitum ad excelſa cohibeat in gradu magis ad infima deſcendente, & quidem ſpectata hominis ſubjectione ad Deum, non plus ſibi attribuendo, quam ſibi competat ſecundum gra-

 dum,

dum, quem a Deo ſortitus eſt, propter que etiam aliis humiliando ſe ſubjicit: uti S.Th mas *l. c.* exponit.

Diviſio humilitatis.

Schol. Inter alias humilitatis diviſiones celebris illa in humilitatem intellectus, & voluntatis, cognitionis, & affectionis a S. Bernardo *ſerm. in Cant. ad med.* deſumpta ubi docet: *Eſt hum tas, quam nobis veritas parit, & non habet calore & eſt humilitas, quam charitas format, & infla mat: atque hæc quidem in affectu, illa in cogitati conſiſtit.* Quæ diviſio eſt in partes integrales, q omnis humilitas ex utroque actu integratur, ſecundum rationem partis prævalentis modo di tur humilitas cognitionis, vel etiam contempla va, quæ fundatur in cognitione Dei; modo a ctionis, ſed affectiva, quæ fundatur in cogniti ne ſui.

§. 286.

Humilitas ad contemplationem requiritur.

Quo altior autem fuerit contemplatio, ta to profundior debet eſſe *humilitas.* Ita doc *primo* S. Scriptura Eccli. 3. v. 20. *Quanto ma nus es, humilia te in omnibus, & coram Deo i venies gratiam. Quoniam magna potentia Dei ſ lius, & ab humilibus honoratur.* Plura hu exempla nobis eadem S. Scriptura exhibe Contemplabatur Abraham in colloquio famili quidem, ſed humillimo cum Deo: Gen. 1 v. 27. *Quia ſemel cœpi, loquar ad Domin meum, cum ſim pulvis, & cinis.* Contemplab tur, & humiliabat ſe David, cum dixit Pſ. 30 v. 23. *Ego autem dixi in exceſſu mentis me projectus ſum a facie oculorum tuorum.* Pſ. 115 *Ego autem humiliatus ſum nimis. Ego dixi i exceſſu meo, omnis homo* (conſequenter & ego) *mendax.* Contemplabatur Salomon, & ſe hu milia-

iliabat Prov. 30. v. 2. dicens: *Stultiſſimus ſum rorum, & ſapientia hominum non eſt mecum.* ontemplabantur Moyſes, Prophetæ, & Apooli, ſed humiliabant ſe cum illo, de quo *'hren.* 3. *v.* 28. dicitur: *Sedebit ſolitarius, & cebit, quia levavit ſuper ſe. Ponet in pulvere os um, ſi forte ſit ſpes.* Contemplabatur denique iper omnes B. V. Maria in facto Dominicæ ıcarnationis, *Luc.* 1. & tamen infra omnes ſe umiliabat *v.* 38. dicens: *Ecce ancilla Domini.* atet ſecundo ex PP. S. Climacus *ſcal. gr.* 25. it: *Absque prædictionibus quidem, & illuſtraonibus, ſignisque & prodigiis ſalute plurimi poti ſunt: ſine humilitate autem nemo unquam cæleem thalamum ingredietur. Illorum enim hæc fida uſtos: hanc vero illa in his, qui leviores ſunt, æpe necaverunt.* S. Dorotheus *ſerm.* 2. docet: *Inima noſtra, quanto plures fructus attulerit, anto magis humiliatur: nam viri ſancti, quanto ropius ad Deum accedunt, tanto ſe iniquiores agoſcunt.* Item S. P. Benedictus *Reg. c.* 7. ait, er humilitatem, velut ſcalam Jacob, aſcenendum, & deſcendendum eſſe, *exaltatione eſcendere, & humilitate aſcendere.* Et S. Berıardus *tr. de grad. humil.* conſiderans in ſumnitate hujus ſcalæ Dominum clamantem, ut aborantes ad ſe veniant, & reficiantur, exıonit *humilitatem,* per quam aſcendere oportet: ıuam etiam commendat *ſerm.* 13. & 45. *in Cant.* Et S. Anſelmus *hom.* 4. *in Matth. poſt med.* ait: *Omnes Sancti, cum in Dei virtute proficiunt, uanto magis divinitatis interna conſpiciunt, tanto nagis ſe nihil eſſe cognoſcunt: quia quamvis homo d intelligenda ſublimia levatur, ex contemplatione*

tamen Majeſtatis Dei, infirmitatem ſuæ conditio[illegible] intelligit, & quaſi ſtatum non habet, qui ſe a[illegible] Dei oculos pulverem, & cinerem videt. S. Ther[illegible] *c.* 38. *vit. poſt med.* ait: „ Res eſt admod[illegible] „ frequens, cum aliquo favore vult me Do[illegible] „ nus recreare, annihilare me primum in m[illegible] „ ipſa: id vero fit, ni fallor, ut clarius vide[illegible] „ quam longe ſim a promerendo talia". *Te[illegible] tio.* Ratio eſt, quia cum contemplatio ſit d[illegible] num Dei, ratio etiam reddenda de eo creſc[illegible] unde, infert S. Gregorius hom. 9. in Evan[illegible] *Tanto ergo eſſe humilior, atque ad ſerviendum D[illegible] promptior quisque debet ex munere, quanto ſe [illegible] ligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.* Qu[illegible] re etiam Deus hujusmodi contemplativis ſæ[illegible] derelictiones immittit, ut eos in humilita[illegible] contineat.

§. 287.

Media humilitatis acquirendæ. Primum. Humilitas intellectus ſeu cognitio ſui.

Porro *media* pro obtinenda, & rite exercen[illegible] da *humilitate* magis utilia ſequentia ſunt. *Pri[illegible] mum* eſt humilitas intellectus, ſeu cognitionis, ſive *cognitio ſui*, non ſui ſolius, ſed ſimul Dei vel ſui relative ad Deum. Hanc præſcrib[illegible] *primo* S. Scriptura, Gal. 6. v. 3. *Si quis exi[illegible] mat, ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeduc[illegible]* Vult inſuper ut cognoſcamus noſtrum nihilum Pſ. 38. v. 6. *Subſtantia mea tanquam nihilum a[illegible] te te.* Noſtram paupertatem Thren. 3. v. 1. *Ego vir videns paupertatem meam.* Agnoſcamus nos nihil ex nobis habere. 1. Cor. 4. v. 7. *Quid habes, quod non accepiſti? Secundo.* Accedunt PP. S. Climacus in ſcal. gr. 25. *Qui ſeipſum ex intimo animi ſenſu novit & affectu, jam in ter-*

ra

ſeminavit: nam niſi ita ſeminemus, fieri non oteſt, *ut floreat humilitas.* S. Bernardus rm. 42. *in Cant. ſub med.* ait: *Si temetipſum* itus *ad lumen veritatis, & ſine diſſimulatione* ſpicias, *& ſine palpitatione dijudices, non dubi-* o, *quin humilieris, & tu in oculis tuis, factus* ilior *tibi ex hac vera cognitone tui.* Et S. Bo- aventura *proc.* 6. *Relig. c.* 18. Hoc ex *ratio-* e probat, dicens: *Duo ſunt, quæ admonent nos,* t *ſimus humiles. Quod ſumus non enim habemus* liquid *ex nobis, nec ex noſtris meritis, ex ideo* on *oportet extolli, quia alienæ poteſtatis, & bo-* itatis *eſt, quidquid boni ſumus, & habemus: &* deo *ille ſolus extollendus eſt, cujus gratia ſumus* d, *quod ſumus. Quod non ſumus ſimiliter monet* nos *humiliari: quia vana, & inanis eſt gloria,* xtolli *de eo, quod non eſt.* Et denique ex hiſtoria cœci nati concludit: *Ex luto viſum recivit, qui ex conditione propriæ fragilitatis ſeipſum humiliatus agnoſcit.* Atque ex hac ſui vera cognitione illud Sanctorum axioma fluxit, qua putabant, & dicebant, ſe nihil boni habere, ſe eſſe peccatores, & quidem maximos, uti S. Paulus ajebat 1. Tim. 1. v. 15. *Quorum primus ego ſum.* Plura de hac cognitione ſui dabunt Bloſius *in ſpec. ſpir. c.* 8. *in inſtit. ſpir. c.* 2. Rodericus *in exerc. perf. p.* 2. *tr.* 3. *c.* 6. Pinamonti *in ſpec. non fallac.* &c.

Quomodo Sancti ſe maximos peccatores dicere poſſint.

Schol. Quæritur, quomodo in veritate Sancti affirmare potuerint, ſe nihil boni habere, eſſe peccatores, & peccatorum maximos. Ad hanc quæſtionem reſpondet Abbas Joſeph apud Caſſianum *Collat.* 17. *c.* 23. licere, imo perfectionis eſſe, uti ex humilitate mendacio, ad tegendam continentiam in ci-

bo; quam ſententiam multorum in Syria ſolitariorum fuiſſe probat Thomaſſinus *tr. de verit. & mal. p.* 1. *c.* 10. qui eam etiam cum Gazæo *in comm. ad Caſſ.* pluribus refutat, quia mendacium eſt intrinſece malum, nec ob ullam cauſam licitum prout oſtenſum fuit. (*Comp. Th. t.* 2. §. 821.) Reſponderi poteſt cum P. Reguera *Theol. myſt. t.* 1 *p.* 895. *n.* 651. Ejusmodi expreſſiones verificari in ſenſu comparativo, & moraliter, quia in ordine ad mores, & ad placendum Deo anima ſancta maxime ſub lumine contemplationis, ſic ſe ex una parte Dei beneficiis, ex alia vero ſua ingratitudine, defectibus, & peccatis gravatam videt, ut ad id ſolummodo attendens, quo ſe multipliciter fœdatam, & quod periculum animæ ejus creare poteſt agnoſcit, vix curet, & attendat, quid mali alii faciant, quos facile excuſat, prout poteſt, dum cum Deo maximo ſuo Benefactore ſeipſam turpiſſime deficientem comparat. Unde Sancti in ſenſu morali veriſſime dicere poſſunt, ſe nihil boni habere, nimirum ex parte ſuæ cooperationis, ſine qua nulla eſt bonitas moralis, & quam vix ullam, aut moraliter nullam in ſe agnoſcunt. Item eſſe peccatores, nimirum in defectibus ſaltem quotidianis, quos vident ut incredibiliter deformes comparative ad obligationem ſuam erga Deum: eſſe denique maximos peccatores, ſcilicet comparative ad id, quod debuiſſent facere, ob quod defectus proprios omnibus alienis ſceleribus turpiores reputant. Vide *Ludov. a Ponte tr.* 4. *duc. ſpir. c.* 3. §. 3. Alvarez *t.* 2. *l.* 4. *p.* 4. *t.* 5. Rodericium *Exerc. perf. p.* 2. *tr.* 3. *c.* 3. 4.

§. 288.

Secundum remedium humilitas affectus.

Secundum remedium eſt *humilitas voluntatis*, vel affectus: „ qua quis ex intima cognitione „ Majeſtatis Dei, & reverentia erga eum, at- „ que ex veriſſima notitia vilitatis, & nihilita- „ tis ſuæ ſeipſum vilipendit, deſpici vult, & „ in

in extremo loco infraque pedes omnium ſe conſtituit . . . Quæ humilitas affectionis naſcitur ex humilitate cognitionis, ſive ex cognitione ſui “. Ita Alvarez de Paz *t.* 2. *l.* 4. . 1. *c.* 1. Patet *primo* ex S. Scriptura. Matth. 11. . 29. *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis* ›rde. Luc. 14. v. 10. *Recumbe in noviſſimo loco.* . Petri 5. v. 6. *Humiliamini igitur ſub potenti* ıanu *Dei.* Pro Patribus ſufficiat *ſecundo* S. Bo- ıaventura *l. de perf. vitæ c.* 2. docens: *Qui* ult *defectus proprios cordis oculo contemplari,* ecesse *eſt, vere humiliari ſub potenti manu Dei.* deo *te famulum Chriſti admoneo, ut cognitione* uorum *defectuum adepta, valde humilies ſpiritum* uum, *& tibi ipſi vileſcas.* Et *proc.* 5. *Relig.* . 8. monet, *ut ſemper & intus, & apud ſe, &* xtra *coram hominibus, in omnibus humiliet ſe &* eprimat, *in ſua exiſtimatione intrinſecus, in ver-* is, *in geſtibus, & in omni facto ſuo noviſſimum* ocum *eligat, ſicut fuerit opportunum.* Quos pectant etiam illi tres gradus humilitatis, quos proc. 6. *c.* 22. aſſignat. 1. Quod homo juxta cognitionem vilitatis ſuæ ſe ſpernat. 2. Quod patienter ferat, imo deſideret, ſperni ab aliis, & honores refugiat. 3. Quod etiam in magnis honoribus, virtutibus, & donis in nullo ſe extollat, ſed Deo totum tribuat. Rationem primi dat S. D. *Ne mentiatur, ſe ſibi eſſe majorem, quacunque dignitate fulgeat, & non elevet ſe ſupra ſe.* Secundi: *Quia veritatem amat, & ſe privato amore non diligit contra veritatem, ideo deſiderat ab aliis reputari talis, qualem ſe reputat, vilem ſcilicet, & vitioſum, & ignobilem, & qualem in veritate cognoſcit, in quantum credit agnoſcendi*

ſcendi non obeſſe. Tertii: *Quia hæc eſt humilita perfectorum, qui quanto majores ſunt, tanto ma- gis ſe humiliant in omnibus, in ſenſu, in affect. in verbo, in actione, in habitu.*

§. 289.

Tertium eſt, quod reliqua dona ſine humilitate non proſint imo obſint.

Tertium medium eſt, animo alte infige quod ſine humilitate mentis, & cordis, ſiv incipienti, ſive proficienti, ſive perfecto rel qua *dona nil proſint*, imo potius in ruinam c dant. Nam Luc. 14. v. 10. *Omnis, qui ſe e altat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exalta tur.* Quippe *Deus ſuperbis reſiſtit, humilib autem dat gratiam.* Jac. 4. v. 6. Uti in Pha ſæo, & Publicano *Luc.* 18. apparet. Id qu confirmat S. Iſidorus *l.* 2. *Synom. c.* 5. dicen *De excelſo gravior caſus eſt, de alto major ru eſt . . . Humilitas autem caſum neſcit, humilit caſum non novit, humilitas ruinam nunquam i currit, nunquam lapſum paſſa eſt humilitas.* S. Thomas a Villanova *conc. de S. Mart. p med.* ait: „ Tolle humilitatis fundamentu „ & omnis virtutum fabrica ſubito ruit". R tionem dat S. Thomas Aquin. 2. 2. *q.* 181. *a ad* 1. Quia ſicut fides eſt aliquid primum virtutibus directe, ita humilitas eſt aliqu primum per modum removentis prohibens, *quantum ſcilicet expellit ſuperbiam, cui Deus re ſtit, & præbet hominem ſubditum, & patulu ad ſuſcipiendum influxum gratiæ.*

§. 290.

Quartum humilitas in- & externa.

Quartum medium eſt, ut humilitas intern cum *externa* conjungatur, quia nec extern ſine

ine interna, nec interna ſine externa per ſui igna ſufficit. Pro priori parte habetur textus Eccli. 19. v. 23. *Eſt, qui nequiter humiliat ſe, & nteriora ejus plena ſunt dolo.* Et ex PP. S. Amroſius *ep.* 2. *ad Conſtant. in med.* ait: *Multi abent humilitatis ſpeciem, ſed virtutem non haent: multi eam foris prætendunt, & intus imugnant.* Rationem dat S. Auguſtinus *l. de SS.* Virg. *c.* 43. dicens: *Non debet ſimulare humiliatem, ſed exhibere; nam ſimulatio humilitatis najor ſuperbia eſt.* Pro altera parte habetur extus *Joan.* 13. *v.* 15. Quando Chriſtus in otione pedum humiliationem externam nos locuit, dicens: *Exemplum dedi vobis, ut quemdmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Ubi S. Auguſtinus *tr.* 58. *in Joan.* ait: *Didicimus ratres humilitatem ab excelſo: faciamus invicem umiles, quod humiliter fecit excelſus. Magna eſt æc commendatio humilitatis, & faciant hoc ſibi nvicem fratres etiam opere ipſo viſibili.* Rationem dat S. Bernardus *ep.* 87. *verſ. fin.* quia *humiliatio via eſt ad humilitatem, ſicut patientia ad acem, ſicut lectio ad ſcientiam. Si virtutem apetis humilitatis, viam non refugias humiliationis: am ſi non pateris humiliari, non poteris ad humiitatem pervenire.*

§. 291.

Quinto. Hæc eadem externa humilitatis igna cum *diſcretione*, habita ratione ſimplicitatis columbæ ſimul cum prudentia Evangelica ſerpentis exhibenda ſunt: id quod ſub apparenti contradictione, divina tamen concordia, duplici illo textu Chriſti docemur, tum Matth. 5. v. 16. *Quintum diſcretio in externis humilitatis operibus adhibenda.*

v. 16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, u*
videant opera veſtra bona, & glorificent Patr
veſtrum, qui in cælis eſt. Tum c. 6. v. 1. *Att*
dite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram homini
ut videamini ab eis. Quos textus bene concili
S. Gregorius *hom.* 10. *in Evang.* dicens: *Hæ*
autem dico, non ut proximi opera noſtra bona n
videant, cum ſcriptum ſit: videant opera veſt
&c. ſed ut per hoc, quod agimus, laudes exteri
non quæramus. Sic autem ſit opus in publico,
quatenus intentio maneat in occulto, ut & de bon
opere proximis præbeamus exemplum, & tam
per intentionem, qua Deo ſoli placere quærimus,
ſemper optemus ſecretum.

Quomodo hæc diſcretio ſervanda. *Schol.* Igitur diſcretione, & ſpeciali ſpiritus mot opus eſt, ſi qui ſe ex humilitate amentes, & ſi milia ſimulare velint: ſicuti etiam nonniſi ex re dundantia internæ humilitatis expedit, ſeipſum maximum peccatorem, aliisque probroſis tituli vocare. Item refugiendæ quidem ſunt prælatio nes, humanæ laudes, locus honoratior, ſed ſine pertinacia, imo cum animi demiſſione, cedendum eſt, ſi vel obedientia, vel muneris gradus, vel ædificatio proximi ad utilitatem animarum aliud exigunt; utpote de quibus S. Auguſtinus monuit Eudoxium ep. 81. *Nec elatione avida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis.* Et S. Bernardus *ep.* 87. non probavit in Ogerio, quod Prælaturæ a ſe abjecerit, non tam obtenta, quam extorta li centia, & præferendo quietem propriam alienæ utilitati. Denique optimum eſt, de ſe nec in lau dem, nec in vituperium loqui, ne humilitatis pal lio vana gloria cooperiatur: ſed æquo animo ferre humiliationes a Deo, vel hominibus, verbis, aut factis illatas, quia uti docet S. Saleſius *p.* 3. *introd. c.* 2. „ Vera humilitas non affectat eſſe talis, & „ parcit humilibus verbis; quia non ſolum ſtudet

„ vir-

„ virtutes reliquas abſcondere, verum etiam, & „ præſertim deſiderat ſemetipſam celare".

§. 292.

Sexto. Licet ad humilitatem interius, & xterius cum majori, & majori perfectione obinendam conatus, & intentio ſemper dirigena ſit, in executione tamen per partes & *gra-atim*, non vero uno quaſi impetu, & per ſalum procedendum eſt. Hoc enim in ſcala Jaob juxta S. P. Bendictum figuratum eſt. Ideoue magnus hic occidentis Patriarcha *Reg.* . 7. duodecim gradus deſignat, quos S. Thonas 2. 2. *q.* 151. acceptat, & exponit. S. Anelmus *l. de ſimilit. c.* 109. paulo aliter ſeptem radus aſſignat. S. Bernardus *tr. de grad. hu-nil.* duodecim gradibus humilitatis, per quos ſcenditur, duodecim alios gradus ſuperbiæ, er quos deſcenditur, opponit. S. Bonavenura (§. 288.) ad tres gradus reducit. Et nagis practice Roderizius *in exerc. perf. tr.* 3. . 28. in octo partes hanc materiam diſtribuit, t examini particulari adaptari poſſit.

Sextum. Humilitas gradatim obtinenda.

§. 293.

Septimo. Vera humilitas pro agnoſcendis ninutiſſimis etiam propriis *defectibus*, & excuienda complacentia ex donis acceptis, ſemper culos apertos habet, ita tamen ut *dona accepta noſcere, & recognoſcere* non prohibeat. Exemplum hujus nobis dedit S. Paulus 1. *Cor.* 2. *v.* 12. ubi ait, ſe cum cæteris Apoſtolis ſpiritum Dei recepiſſe, *ut ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis.* Imo non potuiſſet ille 2. *Cor.* 11.

Septimum. Cognitio propriorum defectuum & donorum Dei.

&

& 12. urgente charitate tam præclara ſibi a Deo collata dona prædicare, niſi ea cognoſceret. Videri etiam poteſt S. Thereſia c. 10. vitæ S. Saleſius 3. p. in trod. c. 5. Et S. Thomas 2. 2. q. 161. a. 3. ad 1. ait: *Illi, qui dona Dei participant, cognoſcunt, ea ſe habere.* Cujus ratio eſt, tum quia homo ſine hac cognitione Deo gratias referre non poſſet: tum quia alias humilitas in puſillanimitatem degeneraret, nisi homo cognoſceret, quod, quo minus in ſe confidit, eo potentior per liberalitatem Dei evadat: tum quia alias rationem pro acceptis donis reddendam humiliter non expaveſceret. Verum in hoc caute agendum, ne quis ſub prætextu gratitudinis in donis Dei ſibi magis quam Deo complaceat, & inanis gloriæ auram captet, contra quam agit Caſſianus *l.* 11 *Inſtit.* & Climacus *gr.* 21. Quare nonniſi parce & coacte quaſi ad charitatem accedendam, & ſpem erigendam, & gratias agendas ad dona Dei reſpiciendum eſt, frequentius vero, & libentius ad proprios defectus pro humilitate conſervanda, & vitanda inani gloria: unde ipſe S. Apoſtolus 2. *Cor.* 12. *v.* 6. dicebat: *Parco autem* &c. ex quo colligit S. Gregorius l. 18. Mor. c. 7. *Habebat ergo de ſe dicendum aliquid, qui parcit dicere.*

§. 294.

Octavum. Contemnere ſe & amare contemni.

Octavo. Summa denique humilitatis, ad quam aſpirandum eſt, ſtatuenda eſt in vere ſe *contemnendo*, & *contemptus* ab aliis illatos non ſolum tolerando, ſed etiam deſiderando, imo & de illis gaudendo, in conſideratione vero

dono-

orum ſibi a Deo conceſſorum, & honorum on extollendo; ita ut quis velut experimen-er convincatur ad habendum ſe pro nihilo, ro, nihilo haberi velit. Hoc nimirum eſt l gaudium de quo Chriſtus *Matth.* 5. *v.* 11. *Beati, cum maledixerint vobis* &c. *gaudete, xultate.* Prout defacto experti ſunt Apoſto-*Ắ.* 5. *v.* 41. *Qui ibant gaudentes a conſpectu ilii.* Et de quo M. Avila *p.* 2. *epiſt. pag.* 27. „ Non eſt, inquam, hæc ſentire, ſolum ſſe Deum omne bonum, & noſtrum eſſe nalum, ſed eſt ultra hoc alius ſenſus, quem go parum ſentire ſcio, & minus ſcio loqui le illo, quod ſentio ".

ollar. Contemplativi igitur humilitati maxime tudeant, eamque a Chriſto Jeſu diſcant, qui *Matth.* 11. *v.* 29. docet: *Diſcite a me, quia mitis um, & humilis corde.* Quippe *ſemetipſum exina-ivit, formam ſervi accipiens.* Ad Philipp. 2. v. 7. Et *humiliavit ſemetipſum, factus obediens usque ad nortem, mortem autem crucis.* v. 8. „ Si ergo ipſe „ Dominus, infert S. Bonaventura, *c.* 2. *de perf.* „ *vit.* & Magiſter noſter, ita vilis, & contempti-„ bilis reputatus eſt, & non eſt ſervus major Do-„ mino ſuo, & diſcipulus non eſt ſuper Magiſtrum; „ ſi ancilla Chriſti es, ſi diſcipula, vilis & con-„ temptibilis eſſe debes, & humilis . . . Reme-„ morari debes, quod Chriſtus humiliatus fuit „ usque ad vituperatiſſimum genus mortis, & in „ tantum factus eſt humilis, ut quaſi leproſus re-„ putaretur: imo in tantum fuit humiliatus, ut „ tempore ipſius nihil vilius eo reputaretur ". Poſt Chriſtum vero inter alios Sanctos contempla-tivi humilitatem a SS. V. Maria, & Sanctis ſui or-dinis addiſcant, de quibus *l. c.* S. Bonaventura ait: „ Sitis humiles, quia Patem habuiſtis humi-„ lem, ſcilicet B. Franciſcum: ſitis humiles, quia *Adhortatio ad humilitatem.*

„ Matrem

„ Matrem habuiſtis humilem, ſcilicet B. Co
„ humilitatis exemplar“. De B. V. Maria
hæc hortatur S. Thomas a Villanova *conc.*
Annunt. ſub fin. „ Æmulamini ergo Virgini
„ riæ ... humilitatem. Hæc enim, quæ in
„ lis Dei talis, & tanta erat, quo magis Ang
„ legatione exaltari ſe intellexit, eo in ſua
„ nione profundius ſe dejecit ... O felicem
„ cillam, cui ancillantur omnia! Beata fam
„ cui omnia famulantur! Hanc imitamini a
„ lam, o ancillæ Chriſti: huic famulæ *toto*
„ tis ardore famulamini, hæc ſit vobis vitæ
„ miliare, & quotidianum exemplar: hæc in
„ lis veſtris ſemper & ubique verſetur: hanc
„ norate, hanc diligite, hanc obſecrate, hanc
„ quimini“. Et ſic ad altiores contemplati
gradus per ſcalam humilitatis aſcendetis, q
jam-nunc iterum explicare pergimus. Unde ſi

§. 295.

Contemplatio conformativa & reſignativa deſcribitur.

Tertius gradus contemplationis ſeraphi
eſt *contemplatio conformativa*, & *reſignativa*,
qua anima abnegatis pleniſſime omni prop
judicio, & voluntate fideli traditione omnia ſ
placita, & cupiditates in voluntatem divina
reſignat, ſeque cum illa perfectiſſime conf
mat. Contemplationis hujus exemplum hab
mus in S. Paulo, quando in ſua converſione
altiſſimam contemplationem ex ſpeciali privi
gio evectus. Act. 9. v. 8. *Surrexit Saulus*
terra; apertisque oculis nihil videbat. Et *v.*
dicebat: *Domine, quid me vis facere?* Ubi S
Bernardus *ſerm.* 1. *de conv. S. Pauli* ait: *Feli*
cæcitas, qua male quondam illuminati in pravari
catione, tandem in converſione oculi ſalubriter ex
cæcantur ... Quam pauci inveniuntur in hac per
fecti

a obedientiæ forma, qui ſuam ita abjecerint vo-ntatem, ut ne ipſum quidem cor proprium ha-ant, ut non quid ipſi, ſed quid Dominus velit, nni hora requirant.

hol. Contemplationem reſignativam ita explicat per effectus ſuos P. Godinez *Prax. Th. myſt. l. 6. c. 4.* Sicuti vitriarius ex maſſa vitri bene per ignem præparata, & purificata, omni terreſtri opaca materia excluſa, modo fruſtrum in figuram Virginis, Martyris, aut alterius ſancti Confeſſoris ad libitum efformat. Ita Deus, quando invenit voluntatem ita mollem puram, teneram, ſine deſideriis, & affectibus ad res tranſitorias, adeo in intenſione puram, in abnegatione nudam, in humilitate ſolide fundatam, repente illi quandam Angelicam ſubtilitatem in intelligendo, & Seraphicum incendium in amando communicat, ita ut in anima hoc divino calore ſuccenſa exurgant deſideria Martyrii, patiendi pro dilecto, ſe plus & amplius pœnitentiis cruciandi; æſtimatio divinorum, & humanorum contemptus, ut guſtum dilecti ſui pura cum obedientia expleat. Tunc anima attentiſſima perſtat, exploratura, quid dilectus ſuus velit, quidque illi placeat: quod ſi Deus velit, ut tormenta perferat, illa ipſi ſapiunt, honores illi videntur opprobria: veſtes viles, & laceras, pretioſas telas reputat: jejunia, cilicia, flagella pro exigua pœnitentia habet. Quod ſi Deus illi demonſtraret, futuram eſſe ſuam voluntatem, ut in infernum iret, hoc ſuppoſito libentius in infernum, quam in cœlum pergeret. Quinimo tunc ſimplici intuitu tormenta damnatorum etiam cognatorum, & amicorum percurrendo non triſtatur, ſed potius lætatur, quod divina voluntas in omnibus adimpleatur. Verum de hoc ultimo affectu, ne limites ſanæ doctrinæ excedat, ſpeciales regulæ obſervandæ, quas nunc explicabimus.

Effectus ejus.

§. 296.

Regulæ pro affectu eundi in infernum pro contemplativis: qui &c. Primo eum ſubinde elicere poſſunt.

Primo igitur in contemplatione ſeraphic[a] conformativa, inſpirante ſingulariter Deo, ex[-] *traordinarii hujusmodi divini amoris affectus*, eun[-] di in infernum, gaudendi de tormentis damn[a-] torum, etiam cognatorum, eo quod divina vo[-] luntas ita adimpleatur, elici poſſunt: & expe[-] diunt. Probatur *primo* ex S. Scriptura ab ex[-] emplo Moyſis, qui *Exod.* 32. *v.* 32. in hun[c] affectum erupit: *Aut dimitte eis hanc noxa[m] aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcrip[-] ſti.* Item ab exemplo S. Pauli Rom. 9. v. 3. *Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fra[-] tribus meis.* Qui fuerunt affectus heroicæ cha[-] ritatis, præferentis amorem proximi propt[er] Deum in aliquo vero ſenſu tormentis infern[i] uti cum S. Chryſoſtomo, & aliis Cornelius [a] Lapide exponit. Idem patet ab exemplo ſen[is] Eleazari 2. *Mach.* 6. *v.* 23. dicentis, ne def[e-] ctum a fide ſimularet: *præmitti ſe velle in inf[er-] num.* Quia uti ait Ludovicus a Ponte *exhort.* [...] §. 2. „ Mille gehennas charitas pateretur, [ne] „ Deo ulla inferretur injuria, & pro jam a[b] „ illata“. *Secundo* patet ex PP. S. Chryſoſto[-] mus *hom.* 16. *Rom.* ait: *Qui igitur fit, & pr[e-] ceris S. Paule anathema eſſe, & alienationem qu[æ-] ras, ac divortium tantum, poſt quod inveniri ali[ud] non queat? Quoniam, inquit, etiam atque etia[m] vehementer illum amo.* Conveniunt alii PP. i[n] Moyſe & S. Paulo exceſſui charitatis præfat[os] affectus tribuentes: S. Auguſtinus *l.* 2. *quæ[st.] q.* 147. Caſſianus *collat.* 23. *c.* 6. S. Bernardu[s] *ſerm.* 12. *in Cant.* S. Thomas *in c.* 9. *Rom. lect.* [...]

S. B[...]

Bonaventura *in* 4. *de* 7. *itiner. ætern. d.* 5.
. *ſub fin.* Item S. Anſelmus *in ſimilit. c.* 191.
ıc affectum exprimit: *Si hinc peccati pudo-*
, *& illinc cernerem inferni horrorem, & ne-*
ırio uni illorum haberem immergi: prius me in
rnum mergerem, quam peccatum in me immitte-*
. *Mallem enim purus a peccato, & innocens*
ennam intrare, quam peccati ſorde pollutus cæ-*
ım regna tenere: cum conſtet, ſolos malos in*
rno torqueri, & ſolos bonos in æterna beatitu-*
e foveri.* Alios ejusmodi affectus in actis
. videre licet, quos etiam Alvarez *t.* 3. *de*
. *ſp. l.* 4. *p.* 3. *c.* 12. & Nierenbergius *in flam-*
· *div. amor.* §. 3. approbant. *Tertio.* Ratio
. Malum pœnæ eligi poteſt, & debet, ad
andum malum culpæ juxta S. Thomam 1. *p.*
48. *a.* 6. quia malum culpæ eſt malum ſim-
citer, cum repugnet Deo ſecundum ſe, &
ctæ rationi, malum vero pœnæ eſt ſecundum
id, quod per ſe non eſt contra rectam ratio-
m, eſtque ſolum incommodum ipſi homini.
go etiam pœna inferni eſt potius eligibilis,
ıam culpa peccati pro caſu, quo quis ad unum
his duobus teneretur; & conſequenter etiam
ena inferni majori cum perfectione eſſet eli-
bilis in caſu, quo quis, etſi non teneretur
: præcepto, agnoſceret tamen, majus eſſe
ei beneplacitum. Deinde quilibet homo, ut
rfecte ſit contritus, tenetur ſub gravi pecca-
ı gravia ita efficaciter averſari, ut ſaltem vir-
ıaliter velit potius ſuſtinere pœnas æternas
uam peccare: ergo etiam anima perfecta po-
eſt idipſum non ſolum virtualiter, ſed etiam
xpreſſe velle non tantum pro peccato vitando,

ſed etiam exequendo majori Dei beneplacito operando magis perfecte, quam teneatur.

Solvuntur objectiones.

Schol. Dicis I. Caſum eſſe de falſo ſuppoſito, q Deus decernat, animam innocentem detrudere infernum, quia videtur eſſe crudelitas, injuſti & deſperatio, adeoque etiam peccatum eſt ab ferno inſeparabile. Ergo dictus affectus a Deo ſpirari nequit. *Reſp.* Caſus quidem eſt abſol impoſſibilis, ſi ſpectetur cum omnibus circumſt tiis præſentis inferni, ideoque abſolute loquen infernus non eſt eligibilis, ſive ad peccatum tandum, ſive ob majus Dei beneplacitum. Ver hoc non obſtante ex hypotheſi conſiderari pot infernus, ut pure torquens, & procul ab om peccato, & cum potentia, Deo ſibi placend eumque amandi, ſub qua conditione eligi, & ceptari poteſt: in quo ſuppoſito affectus ille n eſſet inutilis, ſed ſerviret ad ponderandam gra tatem culpæ, odium peccati, & exprimend charitatem heroicam erga Deum. II. Affect gaudii reſpectu torturæ damnatorum, etiam co natorum, non cohæret cum præcepto, dilige proximum, ſicut ſeipſum, quia de ſua prop damnatione gaudere non licet. *Reſp.* Affect hic ſpectat ad volitum formale, in quo cum il juſtitiæ divinæ effectu, quatenus talis eſt, & c ejus voluntate conformari, & de divina glo exinde in Deum reſultante lætari debemus; ſic etiam Beati de pœnis damnatorum, etiam cog torum ſuorum lætantur. (*Vid. Comp. Theol. t.* §. 438.) III. Quod quis pro ſalute proximor vellet potius inferni pœnas, & privationem be titudinis, eſt contra charitatem ordinatam, juxt quam in ſpiritualibus magis homo debet dilige ſeipſum, quam proximum. *Reſp.* Hic affectu iterum ſolum tenet conditionate, puram pœnis inferni conſiderando: ſicuti igitur ex dictis h optare licet ob amorem perfectiſſimum majoris di vini beneplaciti, ſic etiam ob amorem proximi

pro-

ropter Deum. Nec ordo charitatis per hoc perurbatur, quia juxta S. Thomam 2. 2. *q.* 26. *a.* 4. n ⊙ homo tantum non debet *pati detrimentum eccando, ut proximum liberet a peccato.*

§. 297.

Secundo. Hujusmodi tamen *extraordinarii ectus* animabus *imperfectis non expediunt.* Protur *primo* ex iisdem S. Scripturæ textibus . 296.) allegatis, qui ab Interpretibus ſolumnmodo ut expreſſiones virorum valde perferum Moyſis, Pauli, & Eleazari approbanr. *Secundo.* Ita ſentiunt PP. S. Chryſoſtomus *m.* 16. *ad Rom.* ait: *Quoniam procul ab hoc nore Pauli abſumus, ne animi quidem cogitatione ec complecti poſſumus.* Rupertus *l.* 4. *c.* 30. *in xod.* inquit: *Divitias animi ejusmodi nos fridi, atque inopes ignoramus: & idcirco cum legius, illum anathema ſe eſſe optantem pro fratribus, um de libro Dei deleri ſe concedentem, aut dicta ſſimulamus, aut in ſenſum exilem graviſſime prota detorquemus.* Richardus Victorin. *l. de grad. iolent. charit.* hunc affectum ſolum in ſupremo radu charitatis violentæ, & veluti amentiæ, dmittit, cum quo etiam S. Bonaventura 4. *& iner æternit. d.* 5. *a.* 2. procedit. Et S. Anelmus, Alvarez, & Nierenbergius (§. 296. itati expreſſe de perfectis loquuntur. *Tertio.* atio petitur ex S. Thoma *Quodlib,* 1. *a.* 9. Juxa quem, & communem Theologorum, ut mor Dei, & odium peccati, aliique actus ſint ufficienter perfecti, ſufficit, quod ſint appreiative ſuper omnia (*Comp. Th. t.* 2. §. 596. & . 3. §. 1059. *n.* 4.) Sed ad hoc non requiritur,

Secundo. Affectus hi extraordinarii imperfectis non expediunt.

imo in animabus imperfectis ſæpe non expedit, ut ly *ſuper omnia*, velut exceſſus reſpectu pœnarum graviſſimarum, etiam æternarum, per formales comparationes exprimatur; tum quia ad hoc implicitus, & genericus affectus ſuper omnia ſufficit: tum quia ad ſingula in particulari deſcendere, eſſet ſe ſine neceſſitate majori difficultati implicare, ea quæ naturæ repugnant, minutius ſuperandi: tum quia ſic ſcrupulis ſine cauſa quis ſe involveret; cum enim ea quæ magis acerba ſunt, partem ſenſitivam magis moveant, aliquis adhuc imperfectus vix diſcernere poterit, an illa repugnantia, quam circa illa acerba experitur, a parte ſuperiori vel inferiori tantum procedat: tuam quia talis ſine neceſſitate in maximam tentationem ſe conjiceret, dum in ſui abnegatione adhuc imperfectus ſine urgente cauſa, cum ſummis periculis, tanquam eſſent præſentia, & urgent, congredi vellet. Ergo tales affectus, & ſimiles comparationes in animabus imperfectis non requiruntur, & ſæpe non expediunt.

Solvuntur objectiones.

Schol. Dicis I. Omnis pœnitens in uſu Sacramenti pœnitentiæ, ſaltem implicite, ita de peccatis ſuis dolere debet, ut mallet omnem pœnam ſuſtinere quam peccare: ergo etiam percurrendo ſingulas pœnas graviſſimas explicite eas malle, quam peccare, illi expediet, quia hoc modo tum ille, tum Confeſſarius de ſuo vero dolore magis certificabitur. *Reſp.* Cum omnes, & ſingulas pœnas explicite percurrere ſit moraliter impoſſibile, & variis incommodis ex dictis obnoxium, ſufficit in præfato affectu implicite includi, qui ad moralem ſeu conjecturalem certitudinem ſufficientis doloris ſolum requiritur. II. Sine hoc affectu explicito pro-

propoſitum, non peccandi, non foret ſatis efficax. *Reſp.* Non requiritur adeo firmum propoſitum & doloris, ut nullis imaginabilibus tentationibus conditionate eventuris cederet, quia talis dolor, & propoſitum vix in hac vita impleri poteſt; ſed ut ſit perfectum, & efficax, ſufficit, quod effective actu operetur, vel operari decernat, quando mere proponit, data opportunitate juxta ordinem divinæ providentiæ. III. Poteſt etiam imperfectus ita interius tentari, & urgeri, an peccare velit, ſi etiam per atrociſſima tormenta v. g. ignem &c. ad hoc adigeretur: in quo ſaltem caſu explicite proponere deberet, ea potius, & ipſum infernum ſe malle ſuſtinere, quam peccare. *Reſp.* In his caſibus extraordinariis non tenentur omnes, nec expedit, ſe reſolvere de præſenti, ſed vel ſine reſponſione has importunas interrogationes relinquere, vel ſe divinæ providentiæ committere, quæ vel tales tentationes fragilitati noſtræ non permittet, vel auxilio ſuo nos juvabit, ſub quo confidimus, nos ea mala in particulari contempturos. Sufficit ergo de præſenti, propoſitum eſſe generale, & remittere ſe ad reſolutionem in particulari faciendam pro ſingulis caſibus. Ad caſus vero ſolum per impoſſibile fictos optima reſponſio erit, non reſpondere, vel reſpondere, ſe firmiſſime ſibi animo fixum eſſe, pejus, & deteſtabilius eſſe peccare, quam æternum ardere, quod ſolum in illis circuitionibus hypotheticis ſignificatur. Ita Gerſon *tr.* 8. *in Magnificat ſub med.*

§. 298.

Tertio. Quod ſi igitur anima bene probata, *perfecta*, & in ſui abnegatione, zeloque omnia pro amore Dei patiendi, & perdendi, & pro ſalute animarum cuncta tolerandi, eximia fuerit, *ſinenda eſt*, ut, quando vel in contemplatione, vel alias ad præfatos amoris extraordi- *Tertio. Animæ perfectæ hos affectus elicere poſſunt.*

narios affectus movetur, in eos feratur. Patet hoc ex dictis (§. 296.)

Sicut & affectus extraordinarios timoris.

Schol. Eodem modo ejusmodi animæ ſinendæ ſunt, ſi ſubinde in affectus extraordinarios timoris filialis moveantur. Ita enim quandoque contingit, præcipue tempore probationis, & ariditatis, & ſupervenientibus nebulis & tenebris omnes interiores hominis ſinus operientibus, animæ perfectæ ingentibus timoris affectibus agitentur, quibus Pſalmi, & maxime liber Job abundant, inter quos ille memorandus. Job. 14. v. 13. *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus.*

§. 299.

Quarto. Impulſus divinus ad hos affectus requiritur.

Quarto. Ejusmodi animæ etiam *perfectæ* non ſemper, & ad nutum proprium ad hujusmodi extraordinarios affectus ferri permittendæ ſunt, ſed tunc ſolum, quando *ſpeciali divino impulſu* a Spiritu S. ad eos moventur. Nam eoipſo quod ſint extraordinarii, etiam extraordinarium impulſum requirunt. Id quod a damnatione propoſitionum Archiepiſcopi Cameracenſis, quas ipſe demum revocavit, confirmatur, dum putavit, deveniri poſſe ad ſtatum viæ, in quo non tranſeunter, ſed habitualiter hujusmodi affectus renuntiativi omnis proprii intereſſe jugiter exercentur: ſicuti prop. 1. inquit: *Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt charitas pura, & ſine admixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.* Et prop. 12. *Director tunc poteſt*

oteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquie-at jactura (ſcil. ſine conditione) *ſui proprii interesse, & juſtæ condemnationi, quam ſibi a Deo additam credit.* (*Vid. Comp. Th. t.* 2. §. 575.)

Schol. In ejusmodi affectibus extraordinariis, etiam in animabus perfectis, bene ſemper attendendum, ut ſecundum ſanam Theologiam ſenſum congruum, etſi modo hyperbolico ſignificatum, admittant. Unde P. Reguera *Theol. myſt. t.* 2. *p.* 135. *n.* 226. non omnino approbat illum affectum, qui vulgo S. Auguſtino, ſed ſine probato teſte, tribuitur: „ Si Auguſtinus eſſet Deus, & Deus Auguſtinus, „ mallet Auguſtinus deſinere, Deus eſſe, ut Deus „ eſſet Auguſtinus ". Nam hic exceſſus implicat, & nihil ſignificat. *Debentque eſſe conformes ſanæ Theologiæ.*

§. 300.

Quinto. Imperfecti ita inſtruantur, ut hos affectus extraordinarios perfectorum nec contemnat, nec facile niſi cum quadam ad ſuam virtutem proportione imitentur. Non enim eis omnino expediunt: (§. 297.) licet eis calcar addere poſſint, ad magis in virtute proficiendum, ut ſi non ærumnas, mortem, & inferni pœnas pro amore Dei, & proximi audeant deſiderare, ſaltem ſe ad hunc amorem plus minusve perfectum per tolerantiam adverſitatum ſibi occurrentium, & ex timore pœnarum ac ſpe præmiorum præparent: uti S. Chryſoſtomus *l.* 1. *de compunct. verſ. fin.* monet. *Quinto. Imperfecti hos affectus non contemnant nec facile imitentur.*

Schol. Omnes tamen quantumvis imperfecti frequenter excitandi ſunt, ut inter alios virtutum affectus potiſſimum in amore Dei ex toto corde, & ſuper omnia ſe exerceant: & licet non requiratur, ad ſingularia deſcendere, ut Deus ſuper omnia propter ſe affectu appretiativo ametur, opus tamen eſt, *Sed in amore Dei ſuper omnia ſe exerceant.*

 affe-

affectum ita eſſe efficacem, ut quantum eſt ex præſenti animi diſpoſitione, omnem alium amorem huic amori contrarium excludat: in quo continetur ille implicite habendus exceſſus ſuper omnia tum in amore Dei perfecto, tum in perfecta contritione; (§. 297. *cum Schol.*) quin etiam in contritione imperfecta habendus, ex quocunque motivo eliciatur, ut ſaltem firmum, & efficax propoſitum inferat, ſine quo ad juſtificationem in Sacramento pœnitentiæ non ſufficit. (*Comp. Th. t. 3.* §. 104 *cum Schol.*)

§. 301.

Sexto. In nonnullis caſibus ad ardua in particulari procedendum.

Sexto. Denique tam perfecti, quam imperfecti in nonnullis caſibus ad ejuſmodi *particularia*, etiam *ardua*, in ſuis propoſitis procedere tenentur, ea potius in particulari eligendo, quam peccatum admittendi: v. g. tempore perſecutionis Tyrannicæ contra fidem. Item tempore, quo alicui dira quæque objicerentur, niſi a caſtitate deficeret. Item, quando quis ab inimico in perſona ſua, & bonis corporis, fortunæ & famæ atrociter vexatur: item ratione ſtatus, uti in milite, ob iniquas leges duelli; vel in mercatore, ob illicita lucra. In his & ſimilibus animus in particulari præmuniendus eſt, alias merito timeri poterit, ne univerſalitas propoſiti, etiam attenta diſpoſitione implicita præſenti, non ſit efficax.

§. 302.

Nuditas contemplativa.

Quartus gradus contemplationis ſeraphicæ eſt *nuditas contemplativa*, quæ in eo conſiſtit, quod appetitus tum rationalis, tum ſenſitivus ita ſint avulſi, puri, & mundi ab omni creaturarum affectu, quin ament, deſiderent, petant,

nt, aut appetant quidquam pro tunc aliud, iam ſolum Deum. Juxta illud Luc. 14. v. 33. *uš non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non po-l meus eſſe diſcipulus.* Non enim cohærent nor proprius, & amor Dei: agglutinari ter-e, & volare in cœlum; repleri creaturis, & ipleri Creatore. Nuditatis hujus meminit Thereſia *in 3. manſ. ſui Caſtelli.* Et S. Joan-ːs a Cruce *in aſc. mont. l. 1. c. 4. & 5.*

hol. De hac nuditate notat P. Alvarez de Paz *t. 3. vit. ſpir. l. 5. p. 1.* „Quod in his, qui ſuis ſenſibus, „ & paſſionibus imperare conantur, ſolent affe-„ ctus, & adhæſiones ad aliqua minima reperiri, „ quas nondum omnino deponere, & ablegare „ conſtituunt". Et per exempla procedit: tum de his, qui ſub prætextu gloriæ Dei nullam boni nominis jacturam, & ſi nulla data occaſione, æquo animo ferunt: tum in illis, qui cum aliis boniſtam arcta familiaritate ſe devinciunt, ut de ſingularitate, qua eos extollunt, notari non vereantur: tum in iis, qui nimia curioſitate, & munditie recularum, quibus egent, v. g. Breviarii, & ſimilium, delectantur: tum denique in illis, qui ſuo ſenſu nimis abundant, & ſubinde bono zelo, ſed non ſecundum ſcientiam, adverſus parvos fratrum defectus implacabiliter concitantur. Et tandem concludit: „ Hæc & alia ſimilia abjicienda ſunt „ ei, qui cupit ad quietem contemplationis, & „ guſtum internæ contemplationis, & guſtum in-„ ternæ ſuavitatis parari". *Nuditas hæc etiam a minimis eſſe debet.*

§. 303.

Quintus gradus contemplationis ſeraphicæ ſt *ſolitudo affectiva*, quando anima deliciis ſpiitualibus aſſueta non illam ſentit, quam vellet, ſpecialem, dulcemque dilecti ſui præſentiam. *Solitudo affectiva.*

De

placida quadam ſuavitate. Fundantur hæ, præterquam in Pſalmis, & aliis S. Scriptur locis, Cant. 2. v. 16. *Dilectus meus mihi, & eg illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ.* Et c. 3. v. 4. *Inveni, qu diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* E c. 6. v. 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mi hi.* Item ejusmodi ſoliloquia & affectus ana gogicos notat S. Bernardus *ſerm.* 67. *in Cant* dicens: *Habet ſuas voces affectus, per quas ſ etiam, cum nolunt ... Ejusmodi certum eſt, no nutu prodire animi, ſed erumpere motu. Sic fla grans ac vehemens amor, præſertim divinus, cu ſe intra ſe cohibere non valet, non attendit, qu ordine, qua lege, quave ſerie, ſeu paucitate verbo rum ebulliat, dummodo ex hoc nullum ſui ſenti detrimentum. Interdum nec verba requirit, inte dum nec voces omnino ullas, ſolis ad hoc contentu ſuſpiriis.* Item his affectibus abundat in ſuis confeſſionibus S. Auguſtinus, & in ſuis ſolilo quiis, & meditationibus S. Anſelmus, vel e eo alius. S. Thereſia 16. *exclamat.* S. Joannes Cruce *in ſuo Cant.* Joannes a Jeſu Maria i *Th. myſt. append. ep.* 2. B. Catharina Januenſi *in ſuo Dialog.*

Quomodo gradus contemplationis connectantur.

Schol. 1. Notandum cum P. Godinez *Pr. Th. myſt. l.* 6. *c.* 7. quod contemplatio omnino differat a ſcientiis humanis, quæ nituntur primis principiis, ex quibus concluſiones eliciuntur: nam contemplatio nullo nititur principio, ex quo fixæ ejusmodi conſequentiæ fiant, neque poſt unum gradum contemplationis alter gradus certo ſuccedit, ita ut qui hanc, vel illam diligentiam adhibuerit, immediate a Deo donum devotionis, lachrymarum, dulcedinis ſpiritualis &c. accipiat: quin imo tota con-

templatio magis a contingentibus, & inopinatis eventibus, quam a neceſſariis conſequentiis dependet: adeoque nemo putet, quod aſcenſiones, quas in via contemplationis anima perfecta, diſponendo ſe, aliquoties obtinet, ſint quaſi gradus ſcalæ arte mechanica conſtructi: tum quia verſamur in materia morali, & ad ſummum ex his, quæ ut plurimum contingunt, prudentia quadam conjecturali regularum capaci. Tum quia verſamur in materia gratiæ ut plurimum gratis datæ, etiam meritis quibuscunque ex viribus gratiæ præmiſſis indebitæ. Tum quia hic maxime tenet illud Joan. 3. v. 8. *Spiritus, ubi vult, ſpirat.*

Schol. In ſoliloquiis ſolet anima ex pura teneritudine, & ſuavitate multum ſuſpendi; unde laborat magna remiſſione in operationibus ſenſuum externorum, ægre audit, videt, ac ſentit, & ad loquendum interim cum hominibus inepta eſt: & in præſentia dilecti ſui velut prope ſpeculum cryſtallinum eſſe ſolet, unde multi proſiliunt radii lucis, dulcedinis, claritatis, ardoris, fervoris, aliæque gratiæ quæ eam de novo ad tenera, & amatoria colloquia impellunt: v. g. Deus meus, vita mea, lætitia mea, pulchritudo Seraphinorum, qui fieri poteſt, ut Majeſtas tam amabilis tanto me amore proſequatur, cum ſim nequitia ſic abominabilis Domine, ac Pater animæ meæ, quid Angeli dicent, ſi videant, oculos te conjicere in ſterquilinium adeo horridum, quale ego ſum? Dilecte animæ meæ, nunquid tu ſapientia Patris non es, nec decipi, nec decipere potens? quomodo igitur ſine deceptione fieri poteſt, ut tua bonitas adeo amet nequitiam meam! Amem ego te, ac per me fiat, ut ſubito moriar. Honorem ego te, quantiscunque expenſis ignominiarum mearum. Jam, o Deus, aliud quidquam nolo, præter te: quidquid reliquum eſt, nauſeam mihi creat. Quod ſi ejusmodi affectuoſa colloquia valde ſint interiora, durant, & recreant multum: ſi tamen exterius prodeant

Effectus & affectus ſoliloquiorum.

gemi-

gemitibus, lachrymis, ſingultibus, aliisque af-
tivis actionibus, cito finiri ſolent. Hucusqu
Godinez *l. c.*

§. 305.

Nebula ſpiritualis. *Septimus* gradus contemplationis ſeraphi
eſt *nebula ſpiritualis*, qua contemplanti obte
tur omnis omnino creatura, ut melius Crea
detegatur. Eſt proinde lux quædam va
clara, pura, fortis, ac ſplendens, quæ ita
bis Creatorem diſcooperit, ut cooperiat pr
ſus quamlibet creaturam: id quod oritur
vehementi attentione, intenſione, ac vivaci
te fidei, qua Deum intime ſibi præſentem,
unitum anima habet: unde in voluntate arde
quædam flamma exurgit, quæ affectum
occupat, & in Creatorem rapit, ut interim nil
aliud velle, appetere, & deſiderare ſciat: ita
hæc lux animam circa divina illuminando, qu
ſi nebulam, & tenebras circa humana offund

Explicatur. *Schol.* In contemplatione cogimur interdum uti te
minis metaphoricis e rebus materialibus accepti
qualis eſt hic terminus *nebulæ*: ſicut enim, ſi qu
nubem, vel nebulam ingreditur, nihil videt, ni
quod juxta illum eſt: ita anima hac gratia don
creaturas non videt, dum juxta ſe Creatorem ha
bet, eique intime unitur. Spectat autem hæc con
templatio nebulæ ſeu caliginis ad orationem ſilen
tii, de qua alibi actum eſt (§. 273. *ſeq.*) cum ho
ſolum diſcrimine, quod ibi oratio ſilentii potiu
intellectuale, hic vero in contemplatione ſeraphi-
ca affectum potius attendat.

§. 306.

Libertas ſpiritus. *Octavus* gradus contemplationis ſeraphicæ
eſt *libertas ſpiritus*, quando Deus, ſaltem mira-
culo-

loſe, independenter omnino tam a ſenſibus
ternis, quam externis intellectui quandam
eciem, ſeu ideam ſpiritualem infundit, quæ
jecta Divina, & ſupernaturalia repræſentat,
orum amore voluntas accenditur, & exar-
ſcit. Vocatur autem hæc oratio ſeu contem-
atio libertas ſpiritus, quia pars ſuperior, ſci-
et intellectus, & voluntas in ea libera eſt,
independens, a ſenſibus tum in- tum ex-
rnis, quia principium, cujus ope intelligit,
on eſt acquiſitum mediis ſenſibus, ſed imme-
ate a Deo infuſum: ita ut ſpiritus per ali-
iam intuitionem, amoremque partis ſuperio-
s Deo uniatur, parte inferiore eum nullate-
ıs impediente. Ad quod facit Textus 2. Cor.
v. 13. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas:* id
t, juxta proprietatem græcæ vocis, ſponta-
ea, ingenua, libera, & clare illuminata vo-
ıntas. Eandem libertatem ſpiritus innuit Hu-
) Victorinus *l.* 2. *de anima c.* 20. dicens: *Nihil*
nſualitas, nihil agit imaginatio, ſed omnis infe-
or vis animæ proprio interim viduatur officio.
'urior autem animæ pars in illud intimæ quietis
cretum, & ſummæ tranquillitatis arcanum felici
ıcunditate introducitur. Licet autem libertas
piritus ſaltem ut proprietas, quatenus pars
ıperior per lumen fidei, & donum intellectus
egitur, in omni contemplatione reperiatur;
uatenus tamen ſpecialiſſime per lumen ulte-
ius gratiæ gratis datæ, per ſpecies immediate
Deo infuſas elevans regitur, hunc ſpecialem
radum contemplationis libertatis ſpiritus, de
uo hic agitur, conſtituit, quem præter Hugo-
em mox citatum etiam inſinuat Alvarez de

gemitibus, lachrymis, ſingultibus … tivis actionibus, cito finiri ſole… Godinez *l. c.*

§. 30…

Nebula ſpiritualis. *Septimus* gradus con… eſt *nebula ſpiritualis*, q… tur omnis omnino cr… detegatur. Eſt p… clara, pura, forti… bis Creatorem d… ſus quamlibet … vehementi at… te fidei, qu… unitum an… quædam … occupat, … aliud … hæc l… …magines, & aliæ peregr… ſi ne… …nquietent, nec inquietare …

Explicatur. Sch… …ntemplativum etiam ſpiritualiſſim… adoriri ſolent: Nec refert adjungi … …iones externas, videndi, audiendi, … …ui per ſenſus externos; ſicuti enim ſenſus … …vant, nec cooperantur ad iſtam orationem, … quantumcunque honeſte occupati non obſunt … ti. Qui ergo in iſta oratione verſatur, duas … videtur habere naturas in eodem ſuppoſito: qu… animam operatur ſupernaturaliter cum princ… infuſo; quoad corpus operatur naturaliter … principiis acquiſitis: pars ſuperior intellectu… voluntatis intelligit, amat, gaudet, unitur… fectibus ſecretiſſimis dilecto ſuo, quin ſenſus … impedimento ſint, vel juvamini: pars inferior … ſuum cum hominibus modeſte converſatur, q… nullum in anima interius impedimentum habe… Et in hoc conſiſtit libertas ſpiritus, quæ paucis … modum animabus conceditur.

Schol.

Contemplativi corporalibus recreationibus ſubinde indigent.

...ius hic notat prælaudatus P. Godinez
...di contemplativos, maxime ſi re-
...valde addicti & incluſi, indigere
... corporali, licita, honeſta, &
...a: uti in horto deambulare,
...ationem temporis una die
...cipare orationem men-
neceſſarias pœniten-
... lautitiam in cibo,
...udere aliqua de-
...nia ſæpe quaſ-
...na occupa-
...at, ſub-
...olatii per-
...ut anima me-
...tiæ alacrius pro-
...o corpus ſublevatur,
...ar, ſine qua in exteriori-
...tutum operibus, ſine quibus
...arne debiles, tepidæ, & remiſ-
..., ægre exerceri poterit. Certe ſi
...iqua communitate pro ſpirituali habi-
... infirmam ſuam valetudinem ſerius e cubi-
...urgat, maturius lectum petat, aliquibus ſola-
...iis & privilegiis particularibus gaudeat, communitati non levi ſcandalo eſſe ſolet; quare ut ad extremum hoc non deveniat, recreationibus corporalibus ſubinde moderate uti expedit, hoc enim ad conſervandam ſanitatem, ad interioris hominis levamen, & ad fovendam charitatem, unionemque fraternam conducit, & licet ſpiritualibus auſteris, melancolicis, & aſperi ingenii moleſtum videatur, ab omnibus tamen ſpiritualibus diſcretis, mitibus, & prudentibus approbatur, uti a S. Gregorio 3. p. *paſtor. in proœm.* S. Iſidoro *l.* 3. *ſent. c.* 15. S. Saleſio 3. *p. vitæ devot. c.* 23. S. Diadocho *c.* 45. *de perf.* & Alvarez de Paz *cit. l.* 5. *p.* 1. *c.* 11.

§. 307.

Contemplatio obſcura.

Nonus gradus contemplationis ſeraphic[a] eſt *contemplatio obſcura*, in qua anima contr[a]riis cogitationum, & affectuum fluctibus ag[i]tata, dum vehementer timet, quin & de pro[…]pria ſalvatione dubitat, altiſſimam interim ora[…]tionem obtinet, licet ipſa eam nullam eſſe re[…]putet. Hujus meminit S. Gregorius *hom.* 14 *in Ezech. poſt med.* dicens: *Eſt in contemplati[va] vitâ magna mentis contentio, cum ſeſe ad cæleſt[ia] erigit, cum in rebus ſpiritualibus animum tend[it,] cum transgredi nititur omne, quod corporaliter vi[]detur, cum ſeſe anguſtat, ut dilatet. Et aliquan[]do quidem vincit, & reluctantes tenebras ſuæ cæ[]citatis exuperat, unde incircumſcripto lumine qui[]dam furtim, & tenuiter attingat. Sed tamen a[d] ſemetipſum protinus verberata revertitur, atque a[b] hac luce, ad quam reſpirando tranſiit, ad ſuæ cæ[]citatis tenebras ſuſpirando, atque lamentando re[]dit.* Id quod per illam luctam Jacob cum An[]gelo per totam noctem exponit. *Gen.* 32. *Qui[a] videlicet anima, cum contemplari Deum nititur velut in quodam certaminis poſita, modo quaſi ex[ſu]perat: quia intelligendo, & ſentiendo, de incir[]cumſcripto lumine aliquid deguſtat; modo ſuccum[]bit, quia & deguſtando aliquid deficit.* Denique in effectu claudicationis ex contactu Angeli in femore figuram optandæ claudicationis inve[]nit, qua luctans anima in amore ſæculi areſa[]cta, ſoli amori Dei innititur: *Quia, cui deſiderium terrenum jam areſactum fuerit, in ſolo pede amo[]ris Dei tota virtute ſe ſuſtinet, & in ipſo ſtat, quia pedem amoris ſæculi ponere in terra conſu[e]verat, jam a terra ſuſpenſum portat.*

hol. 1. Quod de contemplatione obſcura hic dictum eſt illuſtrari poteſt, ex iis quæ de derelictione ſpirituali tractata ſunt, (§. 226. & *ſeqq.*) ſi tamen doctrina ibi tradita ſumatur de obſcuritate ſpiritus, non quæ ſit contemplatio ſolum inchoata, & ad purgandas animas nondum perfectas ordinata, ſed quæ animabus etiam perfectis ex Divina ordinatione ſubinde accidit, ut magis in humilitate ſolidentur, & a leviſſimis ſuis imperfectionibus emundentur. Differt autem Contemplatio hæc obſcura a nebuloſa, quod in hac obſcuritas ſpiritus ſit cum maxima quiete, utpote quæ eſt nimia potius illuminatio Dei ab inquieta aliarum rerum conſideratione avertens: cum econtra contemplatio obſcura ſit cum maxima inquietudine, utpote Dei ſolius directa cognitio, & quidem per fidem obſcuriſſimam, quæ reflexe nihil detegit, niſi quod conturbare poſſit: quia tamen reipſa ferventiſſimus amor non deeſt, & ex amore veluti incognita cum Deo unio, ideo in ipſa hac inquietudine, quies, & in ipſa debilitate fortitudo inexplicabili lucte reperitur. *Explicatur.*

Schol. 2. Proinde juxta P. Godinez *l. c. c.* 11. Præſentia, & unio, quam in contemplatione obſcura anima cum Deo habet, tam fortis eſt, quam laborioſa, tam obſcura, quam afflictiva, conſiſtitque in inſatiabili fame, & ardentiſſima ſiti Dei, quem quærit, nec tamen, ut ſibi videtur, invenit: qui cum intime tali animæ uniatur, illi tamen longiſſime a ſe abeſſe videtur. Senſatio ſpiritualis in hoc caſu vehementiſſima eſt, interna, & miſerabilibus querelis, licet ore non prolatis, ſociata: gemit anima, plorat, crepat interius, quin exterius quidquam expromat, & ſiquid in corpus redundet, totum illud disrumpitur, triſtatur, affligitur, & intenſiſſimos dolores ſentit, quorum remedium in ſolo interno levamine reperitur. Tota vis hujus orationis in duobus conſiſtit: unum eſt ingens Deo placendi deſiderium; alterum ingens timor, *Effectus contemplationis obſcuræ.*

 Deum

„ que ulla contradictione ligatus eſt anim
„ quando hoc unum oblivifci, & aliud med
„ tari non poteſt? quidquid agat, quidquid
„ cat, hoc ſemper mente revolvit, peren
„ que memoria retinet, hoc dormiens ſomni
„ hoc vigilans omni hora retractat. Non
„ languidum facit, quando omnem alium
„ fectum excludit, quando nihil praeter unu
„ vel propter unum diligit. „ Ita ſcilicet
nec pedem, nec manum inſtar febri citan
movere poſſit. Denique *defectum* adducit,
anima omne remedium deſperat, & quaſi m
ti proxima ad exitum vitae appropinqu
„ Quidquid enim agat, quidquid ſibi fiat,
„ ſiderium ardentis animae non ſatiat: ſi
„ & bibit, bibendo tamen ſitim ſuam non
„ tinguit, ſed quo amplius bibit, eo ampl
„ & ſitit. „ Et S. Thereſia *c.* 29. *vit.* ſub
ita ſcribit: „ Non contendit anima, ut dol
„ hac plaga abſentiae Domini; ſed tamen in
„ gitur ſagitta quaedam aliquoties in vividi
„ parte viſcerum & cordis, neſciente anim
„ quid habeat, & quid velit; ſcit ſolum
„ Deum velle, ac ſagittam videri ſecum i
„ ferre velut herbam amatoriam, ad odio h
„ bendum ſe ob iſtius Domini amorem, p
„ quo libenter vitam perderet. Ponderari
„ etiam dici nequit modus, quo Deus anim
„ accedit, & maxima, qua illam afficit poen
„ ita ut extra ſe corripiat ipſam: eſt vero p
„ na iſta ſic ſapida, ut nullae vitae human
„ delitiae guſtui majori ſint. Vellet anima,
„ ajebam, hoc lethali morbo ſemper mori.
In teſtimonium ſubdit viſionem, qua non ra

Sen

eraphinum jaculo aureo longo, & in cuſpide ammeo cor ſuum usque ad viſcera transverberantem vidit, quæ in extractione ſecum erre videbatur, ac totam ingenti Dei amore accenſam relinquebat. De eodem amore vulnerante agit S. Joannes a Cruce *in flam. viv. mor. cant.* 2. & S. Saleſius *l.* 6. *de amor. Dei.*

. 13. Nec opus eſt amorem vulnerantem & languorem amoris, ceu diverſos omnino gradus diſtinguere, cum ſolum ut diverſi gradus intenſionis amoris vulnerantis ſpectari poſſint.

Effectus amoris vulnerantis.

Schol. Ab hac plaga amoris, notante P. Godinez, *l. c. c.* 12. cauſatur interdum delitioſiſſimus animi defectus, ubi amor dolori eſt inſitus, cujus fructus ſunt tenera ſuſpiria, expreſſiones amatoriæ, incenſi affectus, cœleſtes jubili, pax, gaudium, tranquilla unio, & quidam amandi modus inexplicabilis. Anima delitiis ſaturata, & amore vulnerata, ſimilis eſt meridiano calore laſſo, ſub umbram arboris ſe projicienti: unicum ſibi ſuſpirium ſufficit, ut quieſcat: amat, laudat, gratias agit, magnificat, adorat, benedicit dilectum ſuum unico actu bis omnibus æquivalente, quod pro duratione hujus gratiæ magis vel minus durat, & ſiquid corpori communicatur, ſequuntur extaſes, viſiones, revelationes &c. Hinc etiam ſcaturiunt rivuli fraternæ charitatis, deſiderando benefacere proximis tanquam creaturis Dei. Hinc erumpit incenſum deſiderium converſionis gentilium, reductionis hæreticorum, ac peccatorum, tenera inimicorum dilectio, & ſtudium juvandi animas in purgatorio detentas, de quibus modo paulo fuſius agendum eſt.

§. 309.

Potiſſimus etiam effectus eſt

Itaque *amor proximi*, & quidem activus, in quantum propriæ cujuslibet vocationi convenit,

Amor proximi.

venit, eſt quidem potiſſimus contempl... effectus. *Primo* enim in S. Scriptura quo m... gis aliqui ſancti contemplativi laudantur, ... magis in bonum proximi activi reperiuntu... ubi videre eſt in Moyſe, Elia, David, Præc... ſore, D. N. Jeſu Chriſto, B. V. Maria, & Ap... ſtolis: quorum exempla dilectionis proximi, ... quidem activæ, paſſim S. Literæ exhibe... *Secundo* ſubſcribunt P. P. S. Dionyſius *c.* 3. ... *cod. Hier.* ait: *Uniuscujusque eorum, qui in hi... rarchia cooptati ſunt, in eo poſita perfectio e... ut pro ſua quisque virili parte ad Dei imitation... contendat: & id, quo nihil Divinius eſt, ut S. Scri... ptura loquitur* 1. *Cor.* 3. *v.* 9. *fiat adjutor, di... namque in ſe actionem, quantum poteſt, oſtend...* Scilicet proximum perficiendo S. Baſilius ... *conſt. monaſt. c.* 2. Licet ad vitam contempl... tivam hortetur, niſi activam vocatio requira... ſubdit tamen: *Quodſi utramque ſimul potes im... tari, utrinque omnino ſalutis fructum reportab...* S. Chryſoſtomus *hom.* 34. *ad pop. poſt init.* e... S. Paulo probat, quam expediat, non ſibi ſo... lum, ſed & proximo prodeſſe, quia *jejunare qu... dem, & humi cubare, & exercere virginitatem & temperanter agere ſolis hæc obeuntibus utilita... tem afferunt, quæ vero proximis a nobis exhiben... tur, ut eleemoſyna, doctrina, & charitas, hæ... & nobis ipſis, & proximis, ad quos a nobis tran... eunt, proſunt.* Et Caſſianus *l.* 10. *inſtit. c.* 22. laudat Monachos Ægyptios, quod non ſibi ſo... lum, ſed & proximis, quantum poterant, pro... deſſent: quod ex Abbate Joanne *collat.* 19. *c.* 9. confirmat. S. Auguſtinus *l.* 19. *de Civ. c.* 19. ait: *Nec ſic quisque debet eſſe otioſus, ut in eodem otio*

o utilitatem non cogitat proximi: nec ſic fru-oſus, ut contemplationem non requirat Dei. Iſidorus *l.* 2. *de Differ. c.* 29. concludit: *Dei vus juxta imitationem Chriſti nec actualem vitam ittit, & contemplativam agit; aliter enim ince-us offendit. Sicut enim per contemplationem iandus eſt Deus, ita per actualem vitam diligen-s eſt proximus.* Et S. Thereſia *in Fundat. c.* 5. lide probat, quod licet curandum ſit, cum eo converſari in contemplatione, quando vel bedientia, vel charitas aliud non exigit, in s tamen circumſtantiis ſoli contemplationi va-re, foret amor proprius, & amor Dei exige-t, otio præferre actionem. *Tertio.* Ratio t, quia in dilectione Dei & proximi principa-ter perfectio chriſtiana conſiſtit. *Matth.* 22. 38. Ergo amor Dei & contemplatio ad amo-em proximi excitare debet, & quidem effecti-um per opera charitatis, utpote per quæ con-emplatio, quæ in hac vita non poteſt eſſe con-inua, utiliter interrumpitur, imo, ſi propter Deum ſuſcipiantur, quodammodo continuatur, um quis quaſi Deum propter Deum relinquat, & ſic pro ejus amore ſe magis illi uniat.

Schol. Nullus proinde vere contemplativus ab omni opere charitatis erga proximum excuſari poteſt: nam quantumvis ſolitarius ferventibus ſaltem orationibus, & exemplis proximos juvare poterit; & quantumvis a ſœcularibus remotus, uti monachi, & moniales rigidiſſimæ obſervantiæ, poterit verbis & operibus pietatis cum domeſticis, ſuperioribus, æqualibus, & inferioribus, ſanis, & infirmis exerceri: id quod ad ſœculares etiam utriusque ſexus erga alios ſœculares domeſticos, & reliquos pro ratione ſtatus eorum extenditur: quia *Ab operibus charitatis nullus contemplativus excuſatur.*

omnia

omnis vera contemplatio ſicuti amorem Dei & proximi debet accendere, ita & zelum animarum inflammare, per quem ea, quæ ſunt contra honorem, & voluntatem Dei repellere ſtudet. Secundo Ultra hæc opera charitatis modo dicta proximis impendenda, quæ operantem non extrahunt a ratione vitæ pure contemplativæ, ſubinde contemplatio, vel vocatio illi adiuncta contemplativum ad opera charitatis externa corporalia, & ſpiritualia proximis impendenda excitat; imo ut hæc opera cum perfectione fiant, aliqua contemplatione animari debent: corporalia quidem, uti eleemoſynas largiri, captivos redimere, infirmis inſervire saltem imperfecta contemplatione indigent, elevando intentionem ad Deum, unde manent in vita pure activa: ſpiritualia vero, uti prædicare, docere, Sacramenta adminiſtrare, animas dirigere & gubernare &c. perfectiori egent contemplatione, ſi non omnino perfecta, quæ ſaltem per meditationem juvari debet, unde hujusmodi vita non pure activa, ſed mixta vocatur. Hinc bene notat Roſignolius *l. 5. de diſcipl. Chriſt. c. 14. & 15.* Et poſt alia inquit: „Sit igitur indubitatum, eos, „ qui ſine mortificatione, & contemplatione ſe „ dant actuoſæ vitæ ad ſalutem animarum (nihil „ dico de neceſſitate aut hominum, aut officiorum) „ non eſſe in eo perfectiſſimo ſtatu, quem ipſi putant, ſibique eos in re hac tamdiu lenocinari, „ ac fucum facere, quamdiu non elaboraverint „ pro viribus continua ſui victoria, & recta contemplandi ratione, eum tandem gradum attingere, cujus interim nomine ſeſe oblectant.„ *Tertio.* Cavenda tamen hic ſunt duo extrema vitioſa, quorum alterum eſt, amore contemplationis deſerere opera charitatis erga proximum ſive corporalia, ſive ſpiritualia, etiam dum obedientia, charitas, vocatio, & aptitudo illa exigunt. Alterum eſt, ex charitatis & animarum zelo ita ſe totum his operibus tradere, ut vix ulla cura de interno mortificationis, & orationis ſpiritu habendo,

ſovea-

fovendo, & retinendo remaneat: uti enim monet S. Auguſtinus l. 19. de Civ. c. 19. *Otium ſanctum quærit charitas veritatis, negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati; ſi autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem. Sed nec ſic omnimodo veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuavitas, & opprimat iſta neceſſitas.*

§. 310.

Amor proximi ad inimicos ſe extendere debet.

Ita vero amor proximi effectus contemplaonis eſſe debet, ut ſe etiam ad *inimicos*, & ontradictores extendat. Nam *Primo* in S. Scriura tam exempla, quam ſententiæ docent, uod magis contemplativi, & perfecti graviſſina ab inimicis, & contradictoribus ſuis paſſi uerint, & bona pro malis generoſe reddideint. Exempla habemus in Jacob, Joſeph, ob, Moyſe, David, & præcipue in ipſo Chrito Domino, & ſuis Apoſtolis. Sententiæ protant. Prov. 25. v. 21. *Si eſurierit inimicus tuus, iba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere: prunas nim congregabis ſuper caput ejus, & Dominus eddet tibi.* Matth. 5. v. 44. & Luc. 6. v. 27. Ego *autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, enefacite his, qui oderunt vos &c.* Rom. 12. v. 14. *Benefacite perſequentibus vos: benedicite, & nolite naledicere.* Et v. 21. *Noli vinci a malo, ſed vince n bono malum.* *Secundo.* Patres probant eſſe erfectorum, & conſequenter contemplativoum, perfecte diligere inimicos. S. Hieronynus in *c.* 5. *Matth.* ait: *Deum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta:* Id quod in David, Stephano, Paulo ad Chriſti exemplar probat. S.

Chry-

Chryſoſtomus *hom.* 18. *in Matth.* docet, ... ctionem inimicorum eſſe majus, quid in ... perfectionis: *Videlicet iſta facientem nulli pro... eſſe inimicum: imo, quod potius eſt, atque ... ctius, etiam illius, a quo læditur, amicum.* S. Au... guſtinus *in Ench. c.* 72. juxta illud: *Diligite i... micos veſtros,* ait: *Perfectorum ſunt iſta filiorum Dei, quo quidem ſe debet omnis fidelis extendere, & humanum animum ad hunc affectum, orando Deum, ſecumque agendo, luctandoque perducere.* S. Gregorius *hom.* 38. *in Evang. poſt med.* ... *Charitas vera eſt, cum & in Deo diligitur amicus, & propter Deum diligitur inimicus, ille enim pro... pter Deum diligit eos, quos diligit, qui jam ... eos diligere, a quibus non diligitur, ſcit: proba... enim charitas per ſolam odii adverſitatem ſolet.* Si... milia habet Caſſianus *collat.* 16. *c.* 26. 27. S. Bernardinus *t.* 2. *ſerm.* 50. S. Laurentius Juſti... *l. de Char. c.* 13. 14. Cloſius *Inſt. ſpir. c.* ...

Tertio. Ratio eſt: Contemplativi eſt inſiſte... perfectioni, & cum perfectione operari: Se... perfectio nunquam melius exercetur, quam ... ſpeciali dilectione inimicorum, & contradicto... rum propter Deum. Ergo a contemplativ... hæc dilectio ſpecialiter exercenda eſt.

Signa veræ dilectionis inimicorum.

Schol. Signa veræ, & perfectæ dilectionis inimico... rum ſunt ſequentia: 1. Orare pro inimicis Matth. 5. v. 44. *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* 2. Bene de inimicis loqui. Luc. 6. v. 28. *Benedicite maledicentibus vobis.* Et Rom. 12. v. 14. *Benedicite perſequentibus vobis; benedicite, & nolite maledicere.* 3. Inimicos ſalutare. Matth. 5. v. 47. *Si ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* 4. Inimicis benefacere. Matth. 5. v. 44. *Benefacite his, qui*

quæ oderunt vos. Luc. 6. v. 27. & 35. & v. 33. *Si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt, quæ vobis gratia, ſiquidem & peccatores hæc faciunt.* Et Rom. 12. v. 21. *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum.* 5. Mutuum dare etiam inimicis. Matth. 5. v. 42. *Volenti mutuari a te, ne avertaris.* Luc. 6. v. 34. *Si mutuum dederitis his, a quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.* 6. Gratis dare etiam inimicis. Matth. 5. v. 45. *Qui petit a te, da ei.* Luc. 6. v. 30. *Omni petenti te tribue: & qui aufert, quæ tua ſunt, ne repetas. Et prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* & v. 36. *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.*

§. 311.

Amor proximi ad animas in purgatorio excitandi debet.

Denique amor proximi contemplativum etiam ad orandum, & ſatisfaciendum pro animabus Purgatorii impellere debet. Sic monet primo S. Scriptura. Eccli. 7. v. 37. *Gratia dati in conſpectu omnis viventis, & mortuo non prohibeas gratiam.* Et 2. Mach. 12. v. 46. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur,* quod ſane contemplativis maxime convenit. Vide (*Comp. Th.* t. 1. §. 413.). *Secundo*, Hortantur ad hoc P. P. S. Dionyſius c. 7. *de Eccl. hierar.* de Antiſtite in exequiis fidelium dicit: *Petit illa compleri, indulgerique iis, qui pie vixerint, ſacra præmia: ſimulque ſemetipſum benigne conformans ad imitationem Dei, non ſecus illis, quam ſibi ipſi, dona poſcens, ac gratias.* Quod ab omni etiam contemplativo faciendum eſt. S. Chryſoſtomus *hom.* 21. *in Act. ſub fin.* docet: *Non fruſtra oblationes pro defunctis fiunt; non fruſtra preces, non fruſtra eleemoſynæ. Hæc*

omnia

omnia ſpiritus diſpoſuit, volens ut nos mutuo [illegible]*vemus.* S. Bernardus *ſerm.* 42. *de diverſ.* [illegible] *Surgam ergo in adjutorium illis, interpellabo* [illegible] *mitibus, implorabo ſuſpiriis, orationibus* [illegible] *dam, ſatisfaciam Sacrificio ſingulari. . . Pe*[illegible] *re ergo, quæcunque es anima fidelis, regionem* [illegible] *piationis, & vide, quid in ea fiat: & in* [illegible] *nis iſtis fac ſarcinam tuam, affectum compati*[illegible] Videri etiam poſſunt Gerſon *ſerm.* 1. *pro D*[illegible] Et Bloſius *l.* 2. *Enchir. parv. c.* 4. dicens: „P[illegible] „ ro plus, & ſuavis Dominus ipſas electon[illegible] „ ſuorum animas, quas poſt mortem carnis [illegible] „ huc purgare neceſſe eſt, in tantum dilig[illegible] „ earumque liberationem tam ardenter deſid[illegible] „ rat, ut ſi nos benigna charitate moti pro [illegible] „ larum liberatione fideliter precemur, & ad[illegible] „ randam ſancti Altaris hoſtiam, aut quælib[illegible] „ alia ſalutaria offeramus, peragamusve, h[illegible] „ non minus gratum habeat, quam ſi eúnde[illegible] „ Dominum noſtrum carcere concluſum con[illegible] „ lationibus relevare, atque adjutorio liber[illegible] „ ſtuderemus: Ipſe enim dixit: Matth. 2[illegible] „ 40. *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi f*[illegible] „ *ciſtis.* „ Accedunt plurimæ revelationes, [illegible] viſiones a Raynaudo *in heterod. ſpir. ſect.* [illegible] *punct.* 6. relatæ, S. Chriſtinæ, S. Lidwin[illegible] S. Lutgardis, S. Gertrudis &c. in quibus h[illegible] animæ contemplativæ adorandum, & ſatisf[illegible] ciendum pro defunctis impulſæ ſunt. *Terti*[illegible] Ratio eſt: de fide eſt, Sanctos omnes, aut ju[illegible] ſtos habere inter ſe bonorum operum ſpiritu[illegible] lium communionem: Sed animæ in Purgato[illegible] rio ſunt ſanctæ, & juſtæ, ergo cum vivis ju[illegible] ſtis hanc communionem habent: cumque ſin[illegible]

ſumma

ime indigentes, nihil huic veritati confor-
is, quam ut juſti vivi ad ſubveniendum illis
veantur, & quidem nullis hoc magis con-
iit, quam contemplativis, quorum tota in-
itio ad perfectionem per charitatem Dei, &
ximi dirigi debet, potiſſimum vero proxi-
rum maxime indigentium, a quorum ſub-
ntione nequeunt excuſari. Vide Manſi *tr.* 86.
blioth. mor. Bona *in Div. Pſalmod. c.* 13. Be-
dictum Papam XIII. *t.* 3. *oper. ſerm.* 19.

hol. Animæ in Purgatorio; per omnia bona opera juſtorum vivorum, in quantum ſunt ſatisfactoria ad ſatisfaciendum pro reatu pœnarum, juvari poſſunt, ex communi Theologorum cum S. Thoma *in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *a.* 3. *quæſtiun.* 1. Quia omnia opera vivorum bona aliquam afferunt moleſtiam, unde poſſint ſatisfacere, & ob unionem in charitate juſti vivi pro juſtis defunctis tanquam illorum fidejuſſores ſuis ſatisfactionibus eorum ſatisfactiones compenſare poſſunt. Quod tamen non de operibus quondam ſine applicatione pro defunctis exercitis, nec de operibus faciendis ex nunc applicatis, ſed de operibus actu exercitis intelligendum eſſe ex communi ſenſu Eccleſiæ monet Reguera. *Th. myſt. t.* 1. *pag.* 849. *n.* 421. Scilicet, quod tunc ſolum defunctis proſint, quando in ſui executione opere complentur. 2. Potiſſimum inter præcipua ſuffragia pro animabus Purgatorii eſt Sacrificium Altaris; uti probatum eſt: (*Comp. Th. t.* 3. §. 1021.) 3. Animæ Purgatorii etiam per indulgentias juvari poſſunt; (*Ib. t.* 3. §. 1086.) & per eleemoſinas. 4. Per jejunium, & omnia opera externa mortificatoria, quæ utique ſunt ſatisfactoria, & aliis juſtis applicari poſſunt. (*Ibid. t.* 3. §. 1074. *ſqq.*) 5. Per orationem tum publicam, tum privatam ſive prout eſt ſatisfactoria, vel impetratoria. 6. In genere melius eſt ſuffragari de- *Quomodo juvari poſſint.*

functis ex zelo charitatis, quam non, ex zel[illegible] ſtitiæ, quia illud Deo paterne punienti magis [illegible] cet, licet in caſu raro ex ſpeciali inſpiratione [illegible] ſit fieri, quod Deo magis placeat, optare to[illegible] rigorem juſtitiæ non quidem in animas aliorū ſed ad ſummum contra ſe, ut S. Catharina Janu ſis fecit, quæ ob hunc actum heroicum, non [illegible] nibus commendabilem, a pœnis Purgatorii li[illegible] rari meruit, cum ſolum de Purgatorio hujus, [illegible] vero alterius vitæ locuta fuerit. 7. Per ſe loqu[illegible] do etiam melius eſt, ex charitatis zelo præſ[illegible] animabus omnes ſuas ſatisfactiones illis applic[illegible] les cedere, quam ſibi reſervare, quia *eſt ſe offe* ad differendam propriam beatitudinem, ut illa [illegible] mæ purgantes quantocius fruantur, quod *eſt* [illegible] roicum, & cum lucro in bonis ſpiritualibus inco[illegible] penſabilibus meriti, gratiæ, & gloriæ non inco[illegible] patibile, utpote, quæ potius exinde augentur, [illegible] ob hunc actum heroicum compendioſior a Purg[illegible] torio exemptio liberaliter obtineri poterit, uti [illegible] tet ex S. Gertrude *l. 5. c. 11.* Hæc tamen ce[illegible] pleniſſima non omnibus indiſcriminatim, *ſed* p[illegible] fectioribus, & quidem pro ratione inſpiratio[illegible] divinæ, ſuadenda eſt, quia inconveniens videt[illegible] eſſe liberalem erga defunctos in ſatisfaciendo, [illegible] quis negligat plura facere, quibus pro propria [illegible] tisfactione indiget, unde nec Eccleſia omnes i[illegible] dulgentias defunctis applicare concedit. Qu[illegible] multo minus ex voto hæc ceſſio, vel ſuffragior[illegible] ſibi poſt mortem obventurorum, paſſim facie[illegible] eſt, tum quia non eſt ſemper de meliori *bono*, [illegible] ſuffragia illa, ob ventura, niſi donatio vivo f[illegible] eſſet, ejus diſpoſitioni non ſubſunt. Nec m[illegible] placet minuta aliqua ſatisfactionum diſtributio, [illegible] quaſi monetam optime notam numerare, & [illegible] Deo per rationes dati, & accepti mercaturam [illegible] cere: Prudens enim ſupplicantium reverentia [illegible] ctat, ut humiliter tenuiſſimorum operum noſ[illegible] rum ſatisfactiones ſimul cum meritis Chriſti q[illegible] tidie offeramus, illas vel omnes, vel pro *medi*[illegible]

vel aliter juxta uniuscujusque devotionem, a Di-
ectore approbatam, defunctis applicantes, &
uidem primo ſecundum obligationem, ſi quæ ad-
it; deinde ſecundum ordinem charitatis propin-
uis ſanguine, vel ſpiritu, vel animabus magis
ndigentibus; & ad vitandas ambiguitates ad id,
uod a me Deus juxta majus ſuum obſequium in
onum proprium, & defunctorum vult fieri.

§. 312.

Tertia unio animæ cum Deo conſiſtit in ex-
llentiori quodam gradu contemplationis, *Unio illapſus paſſivi.*
eſt unio contemplativa *illapſus paſſivi*, qui
tra illapſum ſubſtantialem, omni juſto com-
unem, addit experimentatem ſenſationem de
eo in animam illapſo, cum ſuſpenſione om-
um potentiarum ab actibus, qui diſtrahant
Deo, & modo, perfectius Deum intelligen-
, & amandi; eoquod creatura tantum vix
utu proprio conſentiens per actus a Deo ipſo
npreſſos eum intelligat, & diligat cum expe-
mentali, & quaſi palpabili, tam mentis, quam
ordis perceptione, quod anima ſe totam Deo
nbutam inveniat, & Deum ipſum veluti in
ii fundo profundiſſimo inveniat, in quo ipſa
elut annihilata diſparet, ſolumque ardenter
mat, eſſe in Deo ſuo. Ita Reguera *Th. myſt.*
1. *pag.* 911. *n.* 735. & *t.* 2. *pag.* 194. *n.* 538.

Schol. Omnes myſtici conveniunt, dari ſpecialem *Explicatur.*
unionem animæ cum Deo, quam illapſum paſſi-
vum, unionem myſticam, mortem myſticam, an-
nihilationem, ſponſalitium, oſculum, & caſtum
amplexum animæ vocant, uti ex dicendis pate-
bit. Verum explicare, qualis ſit hæc ſpecialis

unio, hoc opus, hic labor eſt, & eo quiden... cilior, quo magis abdita, ideoque antonoma... Theologia myſtica, vel ſummum myſticæ, ... unio appellatur, de qua nonniſi per paucos, & ... pertos teſtes conſtat, & qui de illa tanquam d... ineffabili loquuntur. Ut proinde in re adeo ſ... mi cum gratia divina, eo clariori, quo fieri ... tuit, ordine progrediamur, & errores, qui i... obviare poſſunt declinemus; obſervandum eſt; ... lapſum Dei in creaturas varium eſſe, Deum ... variis modis creaturis, uniri. Primus eſt per ... timam Dei inexiſtentiam in omni re creata, per ... ſentiam, præſentiam, & potentiam: (*Comp.* ... *t.* 1. §. 57.) De quo cum omnibus rebus creati... communis, hic ſermo non eſt. Secundus illa... eſt per gratiam in animam juſti, per miſſionem ... viſibilem, quæ fit in omni juſtificatione, (*Co...* *Th. t.* 1. §. 172.) adeoque nec de illo hic agi... Tertius eſt illapſus ſpecialis paſſivus in conte... platione, quo juxta P. Alvarez de Paz. *t.* 3. *de* ... *ſpir. l.* 5. *p.* 3. *c.* 5. „ Vires animæ omnes quaſi ... „ altum maris Divinitatis provehuntur, vel ... „ immerſæ ad ſummam quandam lucem & ardor... „ elevantur. „ De quo hic agimus, 2. Voca... hic illapſus *paſſivus*, quia juxta citatum P. Alvare... „ In eo anima non tam agit, quem recipit, ... „ progreditur, ſed abripitur.: & non expecta... „ conſenſu ejus (& tamen conſentit) in thalam... „ incredibilis ſuavitatis ducitur. „ Id *quod* ... dicendis clarius apparebit. 3. In hac unione ... lapſus paſſivi dicuntur ſuſpendi omnes poten... animæ, ſed non omnino, ſed ſolum quoad actu... qui a Deo diſtrahunt. 4. In eadem actus intel... gendi, & amandi a Deo imprimuntur, ita, ... creatura vix nutu proprio conſentiat, licet rei... conſentiat, & vere, & vitaliter ipſa intellig... & diligat, uti paulo inferius demonſtrabit... 5. In eodem hoc illapſu anima experimentali, ... quaſi palpabili mentis, & cordis perceptione ... totam Deo imbutam reperit, uti pariter ex dicen...

di...

lis patebit. 6. In eodem anima in Deo in ſui fun-
do profundiſſimo reperto velut annihilata diſparet,
quæ annihilatio, mors myſtica, ſponſalitium, oſcu-
lum, & caſtus amplexus etiam inferius explica-
bitur.

§. 313.

Datur gradus contemplationis *paſſivæ*, quæ *Datur contemplatio paſſiva.*
et ſit activa intelligendo, & amando, com-
parative tamen ad Deum, a quo recipit intel-
ligere, & amare, vix aliud facit, quam pati.
Inſinuatur hæc contemplatio paſſiva: *Primo*
S. Scriptura Rom. 8. v. 13. *Quicunque Spiri-
tu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* Quod S. Tho-
mas *lect.* 3. ita exponit: „Similiter autem ho-
mo ſpiritualis non quaſi ex motu propriæ vo-
luntatis principaliter, ſed ex inſtinctu Spiri-
tus S. inclinatur, ad aliquid agendum. „
Et hoc probat ex Iſa. 59. v. 19. *Cum venerit
quaſi fluvius violentus, quem Spiritus Domini co-
git.* Et *Luc.* 4. *v.* 1. de Chriſto, quod *ageba-
tur a Spiritu in deſertum.* Et demum ſubdit:
„ Non tamen per hoc excluditur, quin viri
„ ſpirituales per voluntatem, & liberum arbi-
„ trium operentur. „ *Secundo:* Hanc paſſivam
contemplationem indicat Caſſianus *coll.* 9. *c.* 30.
dicens ex S. Antonio: *Non eſt perfecta oratio,
in qua ſe Monachus, vel hoc ipſum, quod orat,
intelligit.* Eandem explicat Joannes a Jeſu Ma-
ria *Th. myſt. c.* 6. docens, in ea non prorſus
deficere potentiarum actus: „ Sed eſſe actus
„ adeo tranquillos, & ſuaves, ut cum aliis in-
„ citatis actibus, quos paulo ante eæ potentiæ
„ proferebant, comparati, eandem proportio-

„ nem habere videantur, quam elatus ſe
„ habet cum voce ſubmiſſa, qua ſi quis ut
„ juxta cœnobiticam diſciplinam ſilentium
„ citur obſervare. Quæ ſane reſponſio ca
„ facilius eſt: Præſens quippe tunc Deus,
„ animæ amandiſſime blandiens tam cœl
„ ſuavitate eam ad intelligendum, & am
„ dum permovet, ut ipſa non ſe agere,
„ ſuaviſſime duci, & quaſi erumpentes ul
„ a potentiis actus non tam producere, qu
„ pati videatur. Et hæc fortaſſe illa inſigni
„ Heroum paſſio, quem Hierotheus ſuſti
„ bat. „ Qui juxta S. Dionyſium de div. no
c. 3. *Iſta non docendo tantum, verum etiam di*
na patiendo aſſecutus: nec non eorum, ſi dicta
ſit, compaſſione, ad illam, quæ doceri nequit,
dem myſticam, atque unionem informatus. Plur
vide apud Philipp. a S. S. Trin. *diſc. proœ.*
Sandæum *l.* 2. *com.* 4. *Exer.* 3. *diſc.* 10. Did
cum a Jeſu *annot. ad S. Joan. a Cruce diſc.*
Tertio. Ratio eſt, in contemplatione paſſiva an
ma movetur a Deo modo plusquam regula
humano, ut intelligat ſimplici ſolum intuitu
imo ſimplici ſolum quaſi auditu: Item move
tur etiam irregulariter, ut amet non ſolum in
ſtar volentis, ſed etiam inſtar currentis, qui
& inſtar volantis, eo penetrando ardentiſſime
quo non pertingeret cognitio, quæ proinde
quaſi ſuffocatur, ut nihil reflexe cogitet, ſed
tantum amare videatur: ſed hoc eſt ſingulari-
ter, & reſpectu Dei principaliter moventis
pati, licet anima etiam agat: Ergo contem-
platio paſſiva datur.

Sch.

ol. Contemplationem paſſivam nonnulli myſtici ta explicant, ut in ea quidem requirant actus intellectus, & voluntatis animæ, non tamen, ut a uis potentiis phyſice fiant, ſed a ſolo Deo, anima ontemplativi mere paſſive phyſice ſe habente. Verum hæc opinio ex profeſſo inferius refutabiur: Nihilque huic noſtræ concluſioni obſtare amlius videtur, quam quod modo dictum eſt, voitionem poſſe eſſe intenſiorem, & perfectiorem prævia cognitione. Verum fere omnes admittunt, etiam in naturalibus poſſe quid naturaliter perfectius amari, quam ſit cognitio, quod S. Thomas r. 2. q. 27. a. 2. ad 2. ita probat: „Ad perfectionem cognitionis requiritur, quod homo cognoſcat ſingillatim, quidquid eſt in re, ſicut partes, & virtutes, & proprietates: ſed amor eſt in vi appetitiva, quæ reſpicit rem, ſecundum quod in ſe eſt: unde ad perfectionem amoris ſufficit, quod res, prout in ſe apprehenditur, ametur. Ob hoc ergo contingit, quod aliquid plus ametur, quam cognoſcatur, quia poteſt perfecte amari, etiamſi non perfecte cognoſcatur.“ Id quod in ſcientiis, probat, quas aliqui amant, licet nonniſi ſummarie cognoſcant. Et S. Bonaventura illud in ſpecie de contemplatione probat in 5. & 7. *itiner. æternit. d.* 5. docens: „Ex his igitur patet plane, quod actus dilectionis excellit, & præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu: in quantum autem eum excellit, in tantum eum excedit, attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectualis extendi non poteſt, quia ſuperintellectualis eſt, ſaltem in hac vita.“ Et Hugo Victorinus in *c.* 7. *de coel. Hier. col.* 4. ait: „Plus diligitur, quam intelligitur: & intrat dilectio, & appropinquat, ubi ſcientia foris eſt.“ Quorum omnium ratio eſt, quia cognitio ad amandum prærequiritur, non ut objectum motivum, ſed ut conditio applicans objectum motivum, quod eſt bonum objectivum. *Solvuntur objectiones.*

docet Auctor opuſc. de Th. myſt. q. fin. inter op... S. Bonaventuræ, cum quo ſentire videtur Ge... tr. elucid. Schol. myſt. Th. I. Quia Pſal. 33. v. 9. ... citur: Guſtate, & videte, quod S. Gregorius h... 36. in Evang. S. Baſilius, & S. Thomas in exp... hujus Pſ. de contemplatione explicant, in qua pri... eſt corde amare, quam mente videre. Reſp. ... dicto loco non excluditur omnis prævia cogniti... ſed tantum ſpecialis, quæ per guſtum Dei, & ... rum ſpiritualium, maxime per contemplatione... acuitur, & redditur experimentalis, id quod ... lum citati Patres intendunt. II. S. Joannes a C... ce in Ecloga cant. 18. ait: „ In via ſupernatur... „ bene poteſt Deus infundere amorem, eumq... „ augere, quin imprimat, augeatve intellige... „ tiam diſtinctam. „ Reſp. S. Myſta non omne... intelligentiam, ſed ſolum diſtinctam exclud... III. P. Alvarez t. 3. de vit. ſpir. l. 4. p. 3. c. 8. re... fert, ſe noviſſe aliquem pium, & doctum virum... qui amorem ſibi ineſſe ſæpe ſine ulla cognitio... teſtatus eſt. Reſp. Amor ſolum in eo adeo inte... ſus fuit, ut videretur, quaſi diſparuiſſe omni... cognitio.

§. 315.

In contemplatione paſſiva anima phyſice intelligit & amat.

Rurſus in contemplatione etiam paſſiv... anima per intellectionem cognoſcit, & per vo... litionem amat, ita, ut *phyſice* tales actus eli... ciat. Nam *primo* S. Scriptura ſemper conte... plationem per actus vitali, & activo mod... animæ proprios exponit. Pſ. 45. v. 11. *Va... cate, & videte &c.* Col. 3. v. 3. *Mortui eſtis... & vita veſtra &c.* Unde etiam Tridentinum *Seſſ.* 6. c. 10. cooperationem hominis in Juſti... ficatione, conſequenter etiam in promovenda illa per contemplationem, requirit, & quidem non ſolum cooperationem moralem, ſed etiam phyſi-

yſicam, ſine qua moralis eſſe vix poteſt; m docent *ſecundo* P. P. S. Gregorius *hom.* *in Ezech.* ait: *Contemplativa vita eſt, charitem quidem Dei, & proximi tota mente retinere, ab exteriore actione quieſcere, ſoli deſiderio eatoris inhærere.* Caſſianus *collat.* 9. *c.* 24. am in ſummo contemplationis gradu ait: *uod mens tanta proferat in illo breviſſimo temris puncto, quanta nec eloqui facile, nec percurre in ſemetipſam reverſa valeat.* Et S. Thomas 2. *q.* 179. *a.* 1. *ad* 3. ait: *Ipſum contemplari quidam motus intellectus. Tertio*: Ratio eſt, ia omnis contemplatio eſt oratio mentalis; leoque aſcenſus mentis ad Deum, quod etiam ontemplationi paſſivæ convenit. Ergo non fit ne cognitione & amore, phyſice elicitis.

Refertur ſententia. *chol.* Nonnulli Myſtici docent, requiri quidem in contemplatione paſſiva actus intellectus, & voluntatis, non tamen, quod a ſuis potentiis phyſice fiant, ſed defacto a ſolo Deo fieri, anima contemplativi mere paſſive phyſice ſe habente. Qui tamen ex modo dictis ſufficienter refutantur; quo etiam ſpectant, quæ (§. 275.) allata ſunt.

§. 316.

Mors myſtica. His ſuppoſitis gradus contemplationis paſſivæ modo afferendi & explicandi veniunt, quorum primus eſt *mors myſtica*, quæ fit per ſeparationem animæ a carne, non quidem effectu, ſe affectu, quatenus per vehementis amoris ictum reſecat, ſeparat, & abſumit, omnem carnis & proprii amoris affectum, ita ut ſolus amor Dei vivificus prævaleat. Hanc inſinuat

primo

primo S. Scriptura Cant. 8. v. 6. *Fortis ut mors dilectio.* Col. 3. v. 3. *Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo.* Philip. 1. v. 21. *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* *Secundo* accedunt P.P. S. Ambroſius *l. de bono mort. c.* 2. Mortis hujus myſticæ expreſſe meminit, eamque deſcribit. S. Gregorius *l.* ... *Mor. c.* 28. ait: *Qui Deum videt, eo ipſo moritur, quo vel intentione cordis, vel effectu operis ab hujus vitæ delectationibus tota mente ſeparatur.* S. Bernardus ſerm. 52. in Cant. *Eſt & mors quod non dubius dixerim, quoniam Apoſtolus quosdam in carne adhuc viventes commendando, ſic loquitur: Mortui eſtis &c. . . Talis, ut opinor exceſſus aut tantum, aut contemplatio dicitur.* Richardus de extermin. mali c. fin. *Vides certe quid agat, & intelligis, ut arbitror, quid valeat illa diviſio animæ, ſpiritus. . . Spiritus ab infimis dividitur, ut ad ſumma ſublimetur.* Et Joannes a Jeſu Maria *can.* 13. *ad Th. myſt.* „ Animam mori, propriam formam amittere, ſpi„ ritum viribus, actioneve deſtitui, a Deo „ ſine proprio ſcilicet concurſu, agi, & id ge„ nus alia amantibus frequentiſſima, ſi natu„ ram rerum ſpectemus, falſa, ſi affectum, „ vera dicemus. Philoſophus enim non accu„ ſatur mendacii, quod animam potius, ubi „ amat, quam ubi animat, eſſe protulerit: „ nec Paulus, quod ſe viventem non vivere, „ quaſi ejus vitam Chriſti præſens vita peri„ meret, affirmat. „ Accedit S. Saleſius *l.* 7. *div. am. c.* 9. Et Bona in Div. Pſalm. §. 2. *Tertio.* Ratio eſt, Contemplatio paſſiva ſupponit omnimoda mortificatione paſſionum ex unione

ſpeci-

ecialiſſima cum Deo per amorem, facile con-
mnit amare, quidquam extra Deum; &
uidpiam aliud cogitare, & eum plus & po-
ıs amare, quam cogitare deſiderat: Ergo
erito antonomaſtice mors myſtica appellatur.

§. 317.

Secundus gradus contemplationis paſſivæ *Annihilatio myſtica.*
t *Annihilatio myſtica*, per quam contemplati-
ıs agnoſcit, ſe comparative ad Deum eſſe ni-
il, imo minus, quam nihil per peccatum,
leoque etiam velut nihilum, & minus, quam
ihilum, contemni deſiderat, & quaſi nihi-
ım in ſe nihil etiam boni operari, ſed totum
Deo quaſi per creationem recipere æſtimat.
ınuit hanc annihilationem. *Primo* S. Scriptu-
ı Pſ. 72. v. 22. *Ego ad nihilum redactus ſum,*
& neſcivi. Et Pſ. 38. v. 6. *Subſtantia mea tan-*
uam nihilum ante te. Quod *ſecundo* ita exponit
. Auguſtinus: *Ante te, Domine, nihil ſubſtan-*
a mea, ante te, qui vides hoc: & ego cum hoc
ideo, ante te video, ante homines non video. Quid
nim dicam? Quibus verbis oſtendam, nihil eſſe,
uod ſum in comparatione ejus, quod eſt? Sed in-
us dicitur, intus utrumque ſentitur: ante te, Do-
ine, ubi oculi tui ſunt, non ubi oculi humani
unt. Quid ubi oculi tui ſunt? Subſtantia mea
anquam nihil. Et S. Bernardus *ſerm.* 4. *Adv.*
it: *Humilis corde* duplicem agnoſcit humilita-
em, *quarum altera cognitionis, altera affectionis,*
uæ hic dicitur cordis. Priore cognoſcimus, quod
ihil ſumus; de poſteriore ait: *Hanc ab illo di-*
cimus, qui exinanivit ſemetipſum. Et Harpius
l. 2.

l. 2. *Th. myſt. p.* 3. *c.* 33. „ Anima, quam w „ recipit glorioſam illam imaginem æterni ſp „ culi in ſua incomprehenſibili claritate, eode „ momento unitur eidem incomprehenſibili, „ glorioſo, claro, divino ſpeculo, & in eo a „ ſorbetur, dilatatur, & annihilatur. „ *Terti* Rationem dat Sandæus *lib.* 2. *comment.* 6. *E ercit.* 9. *Th. myſt.* dicens: „ Qui ita mutatu „ ut nihil præcedentium conſuetudinum, nihi „ imperfectionum, nihil deſideriorum carn „ lium retinere videatur, hoc modo annihila „ dicitur. . . Amore unitivo ita omnia abſu „ mente, ut ne cinis quidem ex ſtipula, qua „ combuſſit, remaneat: „ Sed hoc fit in con templatione paſſiva: Ergo in ea datur myſti ca annihilatio.

Referuntur errores.

Schol. 1. Michael Molinos perverſam annihilationem per plurimas propoſitiones propinavit, & inter alias *prop.* 12. docuit: „ Qui dedit liberum arbi „ trium Deo, non debet curare de ulla re, nec de „ inferno, nec de paradiſo, nec de habendo deſi „ derio ſuæ propriæ perfectionis, nec virtutu „ nec propriæ Sanctitatis, nec propriæ ſalutis, „ cujus etiam ſpe ſe purgare debet. „ Et *prop.* 13 „ Dum conſignatum fuerit liberum arbitrium Deo, „ illi debet relinqui cura, & cogitatio omnium re „ rum noſtrarum, & permitti, ut in nobis fa „ nobis ſuum Divinum faciat velle. „ Et Archi „ epiſcopus Cameracenſis *prop.* 6. docuit: „ In „ hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius „ ſalutem, ut ſalutem propriam. „ Verum perverſum hunc annihilationis abuſum in Molinos merito damnavit Innocentius XI. Et per nimium etiam, licet ex bona intentione, exceſſit Cameracenſis, fingendo ſtatum proprium & habitualem hujus eminentiſſimi amoris Dei, qui ſolum ſubi-

de

ſe pro ratione inſpirationum divinarum actualium conceditur, & iterum aufertur. Senſus tamen ſpiritualis, quem de ſe refert D. de Berniens Louvini in ſuo *interior. Chriſt. l.* 1. *t.* 11. licet videatur ſanum ſenſum prædictum admittere, maxime ſi conferatur cum ejus doctrina *t.* 8. *c.* 3. caute tamen legendus, niſi corrigatur, id quod etiam in noviſſima editione Germanica Coloniæ factum eſt.

Et dicta aliquorum Myſticorum corrigantur. Schol. 2. Ex dictis etiam explicari, & in congruo ſenſu exponi poterunt, quæ in nonnullis Myſticis de contemplatione paſſiva, morte, & annihilatione myſtica leguntur. Non tamen eſt, cur laboremus in explicatione omnium Authorum, qui ſub titulo myſticæ docent, quæ neſcimus, unde habeant, & quæ nec ſolida, imo forte perículoſa videntur. Quara P. Reguera *Th. myſt. t.* 2. *pag.* 186. *n.* 491. non omnino probat, quæ Petrus Pictavienſis Cappucinus Gallus in ſuo *die myſtico* de his rebus minutiſſime docet, qui forte cautius locutus fuiſſet, ſi abuſus in novis Pſeudoilluminatis damnatos vidiſſet. Multoque minus probat, quæ in Joſephi a S. Maria *aſcenſu animæ ad Deum* leguntur. Præterea Achilles Gagliardus in *comp. perf. Chriſt.* illam per tres ſtatus cum gradibus ſuis ad perfectionem dirigit. In 1. vi annihilationis per cognitionem, & affectionem proprii nihil ducit ad abnegationem, ſubtractionem, & conformitatem, non modo in ordine ad bona externa, ſed etiam interna conſolationum, immo & nimii minus puri deſiderii virtutum, & impedimentorum ad earum exercitium; item deſolationum ſupervenientium, & ſubtractionis actuum reflexorum, ſolis directis permanentibus. In 2. ſtatu ponit, poſſe a Deo ſubtrahi concurſum ad actus virtutum directos uno actu conformitatis relicto, & quidem non active, ſed paſſive, quatenus libere acceptat anima, quod Deus ſubtrahit, aut facit, quod eſt proprie *pati Divina.* In 3. ſtatu poſſe animam ulterius ad hoc devenire, ut abſtineat ab hac etiam paſſiva confor-

mita-

mitate; quatenus poteſt cedere omni libera v
litioni ſuæ; quam ceſſionem Deus acceptare v
omnem actum ſubtrahendo, vel ſi novos a
concedat, eos acceptat anima, non quia ſui,
quia Dei ſunt. Primus horum ſtatuum facile in
ligitur: Secundus & tertius explicationem pe
inſinuant; quia in hoc pure pati, ſcilicet rela
agere nutu proprio volentis; notatur accepta
libera: & in eodem ipſo non agere, ſcilicet co
parative; notatur, agere animam, quando De
vult, non proprio, ſed Dei nutu. Eodem mo
explicandæ nonnullæ fortiores expreſſiones S. S
leſii *l. 9. de amor. Dei c.* 16. ubi gradus amoris
mittit, qui nec eſt acquieſcere, nec acceptu
quo adveniente expectatio in conſenſum verti

§. 318.

Illapſus paſſivus. Tertius gradus contemplationis paſſivæ e
Illapſus paſſivus, qui ultra illapſum ſubſtan
lem omni juſto communem addit experimen
lem ſpiritualem ſenſationem de Deo in anim
illapſo. (§. 312.) Hic inſinuatur *primo* a S
Scriptura Cant. 1. v. 1. *Oſculetur me oſcu
oris ſui.* Et c. 2. v. 6. *Læva ejus ſub capite me
& dextera illius amplexabitur me.* Ubi divinu
oſculum ab anima contemplativa deſideratur
experimentalem quaſi contactum, quo ſuavi
tur Deum ſponſum ſuum præſentem; & amp
xus tenerrimus expertam ſponſi correſponde
tiam ſignificat. Rurſus Pſ. 62. v. 9. *Adhæ
anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.* E
Pſ. 72. v. 28. *Mihi adhærere Deo bonum eſt.* E
Joannis 14. v. 21. *Qui diligit me, diligetur a Pa
tre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo e
meipſum.* Et 1. Cor. 2. v. 17. *Qui adhæret Do
mino, unus Spiritus eſt.* Per quam adhæſionem

manifeſtationem, ac unionem communiter
erpretes, S. Thomas in *Pſ.* 33. Toletus *in*
4. *Joan.* Cornelius a Lapide in *c.* 17. *Act.*
18. Eſtius *in* 1. *Cor.* 2. Et S. Saleſius *l.* 7.
mor. Dei c. 1. Specialem hujus vitæ ac ex-
imentalem unionem animæ cum Deo, ſeu
pſum paſſivum intelligunt. *Secundo.* Su-
gantur P. P. S. Dionyſius *c.* 1. *myſt. Th.* Ti-
theum monet: *Te ad ejus, qui omnem eſſen-
n, omnemque ſcientiam ſuperat, conjunctionem
unitatem pro virili parte clam excita.* Quod
rderius de illapſu explicat. S. Auguſtinus,
10. *Conf. c.* 40. de hoc illapſu aliquando in ſe
perto ait: *Aliquando intromittis me in affectum
ltum inuſitatum introrſus ad neſcio quam dulce-
iem, quæ ſi perficiatur in me, neſcio, quid erit,
od vita iſta non erit.* S. Cyrillus *l.* 10. *in Joan.*
3. ait: *Dilucide docet, non ſolum cognitione iſta
mmuni amicis ſe ſuis manifeſtaturum, ſed excel-
tiori quodam fulgoris modo.* S. Bernardus
m. 3. *in Cant.* inquit: *Tum demum audemus
rſitan ad ipſum os gloriæ caput attollere, pavens
tremens dico, non ſolum ſpeculandum, ſed etiam
culandum, quia ſpiritus ante faciem noſtram Chri-
s Dominus, cui adhærentes in oſculo, unus
iritus ipſius dignatione efficimur.* S. Bonaven-
ura 6. *itiner. ætern.* ait: *Eſt æternorum experi-
entalis prægustatio & notitia. Niſi enim eſſet
nobis æternorum quædam experimentalis prægu-
atio, non diceret Pſalmiſta: Guſtate, & videte.*
t addit: *Et iſta notitia experimentalis perfectiſ-
morum eſt.* Accedunt S. Laurentius Juſt. *l. de
iſt. connub. c.* 12. S. Catharina Senenſis *Dial.*
79. B. Angela de Fulginio *vit. c.* 28. S. The-

reſia vit. c. 18. & in Caſtell. manſ. 5. S. Joan. a Cruce l. 2. aſc. ad mont. c. 5. Thaulerus de Spir. c. 12. Gerſon Th. myſt. p. 8. & in Magnif. tr. 9. Bloſius in ſpec. ſpir. c. 11. & ſpir. c. 12. &c. Tertio. Ratio eſt: quia De pro ſummo ſuo in juſtas & perfectas animas amore, ſe eis communicare contendit modo unitivo, qui earum diſpoſitioni conveniat, cum amor, & amicitia ad unionem amantis cum amato, quantum fieri poteſt, tendat: Sed ratione diſpoſitionis animarum decet, ut Deus ſe illis frequenter, vel ſaltem aliquoties per unionem illapſus paſſivi communicet, uti ex modo allatis locis S. Scripturæ & P. P. & ex præcedentibus §. §. patet: Ergo etiam per eam ſe communicat.

Experimentalis ſenſatio illapſus in intellectu & voluntate reſidet.

Schol. 1. Experimentalis ſpiritualis ſenſatio unionis contemplativæ illapſus reſidet ex parte in parte contemplativi cognoſcitiva uti ex citatis textibus S. Scripturæ patet, ubi inter alia dicitur: Læva ejus ſub capite meo. Et manifeſtabo ei, meipſum. Et S. Cyrillus citatus eam per fulgorem; S. Bernardus per faciem; S. Bonaventura per notitiam exprimit, quæ omnia ad partem cognoſcitivam ſpectant. Unde etiam Bloſius in ſpec. ſpir. c. 11. de ea ait: „Magna res, magna prorſus res eſt, tempore hujus exilii Deo per myſticam nudamque „ unionem in divino lumine copulari. „ Et Therefia de ea ſcribit: vit. c. 18. ſub fin. „ Quia „ non poteſt comprehendere, quod intelligit, eſt „ non intelligere intelligendo. „ Partim hæc experimentalis ſpiritualis ſenſatio illapſus in parte contemplantis affectiva reſidet: id quod ex aliis verbis S. Scripturæ: Oſculetur me: amplexabitur me: diligam eum: qui adhæret Deo: Ex verbis S. Dionyſii: Scilicet, conjunctionem, unitatem: S. Au-

gui

ſtini: *intromittis me in affectum:* S. Cyrilli: *excellentiori fulgoris modo:* S. Bernardi: *adhærentes Oſculo:* S. Bonaventuræ: *æternorum prægusta*, clare colligitur: quibus ſubſcribit Bloſius *l. c.* dicens: „ In vi autem amativa ſentit æſtum quendam quieti amoris, ſive contactum Spiritus S. „ et S. Thereſia *l. c.* ait: „ Voluntas, ut par eſt credere, bene tunc detinetur amando, ſed quin capiat, quomodo amet. „ Et ratio utriusque eſt, quia anima contemplativa debet uniri Deo per illapſum, quantum ex dono Dei fieri poteſt: ſed tum per cognitionem, tum per amorem experimentalem illi uniri poteſt: Ergo per utramque partem in illapſu illi uniri debet.

Schol. 2. Unio illapſus paſſivi merito vocatur *ſponſalitium*, *oſculum*, & caſtus *amplexus*, quæ ſponſis congruant, nec eſt, cur abſtineamus a metaphoricis his alluſionibus amatoriis, quibus Sancti, myſtici, & S. Scriptura ipſa utitur, quia dum homines ſumus, humano modo, qui amorem Dei magis exprimat, loqui debemus, cavendum tamen, ut quantum fieri poteſt, verba & conceptus a fœce humanæ corruptionis depuremus, quia uti monet S. Thereſia in *Caſt. an. manſ.* 4. „ In præſenti „ nihil unquam eſt non ſpirituale, atque totum „ hoc corporeum procul longe eſt, & delitiæ ſpi„ rituales a Domino conceſſæ, guſtusque proprii „ ſponſorum inter homines diſcrepant mirum in „ modum: hic enim totum eſt amor cum amore, „ operationesque defœcatiſſimæ, atque ita delica„ tæ nimium, & ſuaves, ut dici ſolum queat, „ ſcire Dominum quam bene, facere illas ſentiri. „ In quo autem hoc ſponſalitium conſiſtat inferius, quando de matrimonio ſpirituali agetur, convenientius explicabitur. *Illapſus vocatur caſtum ſponſalitium.*

Schol. 3. De unione contemplativa illapſus ulterius notandum. 1. Quod in ea eſſentialiter, & neceſſario perfectio chriſtiana non conſiſtat, quia ſine *Obſervanda de illapſu.*

illa hæc ſubſiſtere poteſt, utpote quæ in ſola
ritate Dei ſuper omnia poſita eſt, (§. 16.)
eſſentialiter, in reliquis vero ſolum in tan
quantum ad eam conducunt: Et ideo 2. Unio c
templativa illapſus per ſe convenientiſſima eſt
ni juſto, ut perfectus evadat, ſiquidem addit u
nem charitatis contemplativæ cum experientia
gis accenſam, quatenus altiori modo intellige
& amandi ſibi a Deo conceſſo anima ſe intime
imbibitam, & Deum ſibi imbibitum ſpiritua
ſentit: quod fieri poteſt, vel ſiſtendo in ſenſati
ſpirituali, quæ eſt unio contemplativa pure ſ
tualis, & a corporali tempore ariditatum ſepa
poteſt: vel exundat etiam ad ſenſationem corpo
lem, quæ eſt unio contemplativa ſpiritualis ſi
& corporalis, & tempore conſolationum habe
uti alibi de devotione (§. 67. *Sch.* 4.) notatum fu
3. Hæc unio contemplativa illapſus non eſt utc
que contemplatio, tum quia contemplatio pot
eſſe de aliis, quam de unione Dei cum anima v.
de myſteriis Divinitatis, (§. 267. *ſqq.*) & hum
litatis Chriſti &c. (§. 268.) tum quia contemp
tio etiam de Dei unione poteſt eſſe talis, per m
dum ſimplicis intuitus quaſi ſpeculative, quin
experimentalis, ſaltem eo modo ſpecialiter ſen
bili, qui peculiariter contemplatio unionis
mereatur. Nec eſt utcunque illapſus, quia hic
in genere dari poteſt in quolibet juſto per fide
& in contemplativo ſine illapſu experimentali,
ſpecialiter ſenſibili, vi cujus dicitur unio myſt
ſpecialis. 4. Unio contemplativa illapſus pote
eſſe vel ordinaria, vel extraordinaria, uti al
(§. 241.) de contemplatione dictum fuit: nam po-
teſt fieri experimentalis vi doni ſapientiæ, vel u-
terius ultra fidem, & charitatem, aut alias virtu-
tes, & ſpecialiter ſenſibilis, ſed modo ordinariam
providentiam non ſuperante: vel poteſt fieri ex-
perimentalis, vi alicujus gratiæ gratis datæ ſuper-
venientis, modo ordinariam providentiam exce-
dente, v. g. accedente extaſi, raptu, viſioneque.

qua

ſæ diſtinctio innui videtur Cant. 5. v. 1. *Comedite amici, & bibite*, en unionem illapſus ordinariam, & *inebriamini chariſſimi*: En extraordinariam. 5. Unio contemplativa illapſus proprie loquendo dicitur, quando eſt actu, improprie autem dicitur talis habitu, ſicuti contemplatio in genere non eſt niſi actu, & ſolum improprie dicitur contemplatio habitualis, vel potius ſtatus contemplationis; Quippe unio illapſus proprie fit per cognitionem, & amorem actualem; (§. 318 *Sch.* 1.) & quia hi actus extra patriam non fiunt, niſi tranſeunter, ideo hæc myſtica unio ſolum eſt tranſeunter actualis: improprie autem, ſicuti verificatur de juſto, eſſe habitualiter unitum communi unione Chriſto, ratione habituum gratiæ, fidei, & charitatis; ita verificatur de contemplativo, eſſe habitualiter unitum Chriſto unione ſpeciali, ratione horum habituum, donorum, & ſublimium illuſtrationum; imo ſi talis anima his Sanctis inſpirationibus frequenter correſpondeat, vel ſaltem ad Correſpondendum ſemper parata ſit, ſuo modo etiam actu permanenter in hac unione eſſe dici poteſt. 6. Anima unita Deo per illapſum experimentalem, unitur illi ut fini ultimo per viſionem, & amorem ſenſibilem ſpiritualiter poſſeſſo. Item unitur Deo ut objecto Theologico, quem per hos actus meritorie attingit: denique unitur illi ut primo principio, quatenus ab eo ſub diſpoſitionibus dictorum habituum, & auxiliorum per illapſum ſpecialiter elevatur. Cum econtra Beatus in patria uniatur Deo ut fini ultimo perfecte per amorem & viſionem poſſeſſo; ut objecto Theologico per merita præcedentia in præmium acquiſito; & ut primo principio, dum ſub diſpoſitione luminis gloriæ aliorumque habituum per illapſum clara viſione manifeſtatum ab eo elevatur.

§. 319.

Diſpoſitiones ad

Licet vero unio contemplativa illapſus paſſivi ſit donum Dei gratuitum; nec in ea eſſen-

unionem illapſus. Prima præſentia Dei in nobismet- ipſis.

tialiter perfectio christiana conſiſtat: (§ *Sch.* 3.) curandum tamen eſt, ut anima fectionis cupida ad eam, tanquam illi c nientiſſimam, cum divina gratia ſe *diſp* ſtudeat. Unde præter *diſpoſitiones* alibi (§. *& ſeqq.*) ad omnem contemplationem aſſig tas, nonnullas hic aſſignare juvat. Quan *prima* eſt *præſentia Dei* per fidem de eo i noſmetipſos illapſo; quæ optima ad cont plationem illapſus diſpoſitio, vel ſaltem ſupplementum eſſe poteſt. Hanc commen *primo* S. Scriptura, uti (§. 52.) viſum fu *Secundo* eam præſcribunt P. P. & Myſtici: Auguſtinus l. 10. Conf. c. 10. *Admonitus ad memetipſum, intravi in intima mea duce te, potui, quoniam factus es adjutor meus. Intra & vidi qualicunque oculo animæ meæ, ſupra tem meam, lucem Domini incommutabilem.* Hugo Victor. *l.* 3. *de anima c.* 48. ait: *Satage Deum tuum intime, & ſumme diligere, & omni hora divinæ contemplationis gaudium ſummo cum deſiderio anhelare. Collige teipſam ad temetipſam, & in ſolo Divinitatis deſiderio requieſce.* Et S. Theresia *in vita perf. c.* 28. ait: „ Bene percipite, „ multum veſtra intereſſe, pro certo habere „ quod Dominus ſit intra vos ipſas, & quo „ ibi cum eo maneamus. „ Hac via notat facile pertingi ad perfectam unionem. „ Citius „ enim excitatur ignis amoris divini, quia vel „ exiguum afflatum intellectus, cum adeo vicinus ſit ipſe ignis, ſufficit ſcintillulæ attactus, ut totum exardeſcat: & cum deſit „ omne impedimentum exterius, manet anima ſola cum Deo, adeſtque optima diſpoſitio,

o, ut inardeſcat. „ *Tertio.* Ratio eſt: Qui
lit Deum ſibi intime præſentem, & quod
t, moveatur, & ſit in Deo tanquam in cor-
ui cordis, & anima ſuæ animæ, & eſſe ſui
, in quo ſit potius, quam in ſe, amabit,
in Deo: Ergo breviſſimo motu impotenti
ore ad centrum Dei ſui rapietur, & ſic be-
mundato corde per contemplationem Deum
ere, & illapſum, ac ſibi ſenſibiliter amore
tum experiri poterit; vel ſaltem vi perfectæ
ritatis Deo perfecte unietur.

§. 320.

Altera diſpoſitio ad unionem contemplati-m illapſus eſt eadem Dei *præſentia* per fidem, out in omnibus *creaturis* extra nos diffuſa, gnita. Hac uſus eſt *primo* S. David Pſ. 138. 7. dicens: *Quo ibo a Spiritu tuo, & quo a fa- tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu illic es: deſcendero in infernum, ades: ſi ſumpſero pen- s meas diluculo, & habitavero in extremis ma- s: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit e dextera tua.* Idem præſcribit Richardus Vi-torin. *c.* 3. *de grad. char. Nunc quæſo mi Seve- ine, reduc oculos ad hæc inferiora, & vide, quæ identes plerique non vident; & adverte, ſi non uncta, quæ vel nobis in proſperis ſerviunt, vel ontra nos ſerviunt in adverſis, quædam non ſint haritatis calcaria, urgentia quodammodo ad cur- um amoris. . . Caſtus profecto, columbinusque culus amor eſt: qui in rebus humanis uſui conceſ- is nulla libidine figitur, ſed in tranſitoriis con- emplatur æternum.* Et Bloſius *Inſt. ſpir. c.* 3. ait:

Secunda præſentia Dei in creaturis.

ait: „ Beatus omnino erit, quando neque „ minum frequentia, neque aliquod aliud „ pedimentum praeſentiam Dei ei praeripere „ terit; id quod fiet, ubi Deo ita agglu„ tus, & in eo ita incluſus, firmatusque „ rit, ut illum ſemper videat magis; qu„ quaelibet alia. „ *Tertio*: Ratio eſt, om haec viſibilia, vel inviſibilia ſunt amoris ſy bola nobis a Deo pro conciliando ſibi am noſtro donata, & in omnibus creatis Deus immiſcet, optans ſe in iis animae communi re, & pro ratione boni uſus eorum unire: E per continuam meditationem præſentiæ Dei illis ad perfectam etiam illapſus unionem n diſponere, vel eam ſaltem ſupplere poterim

Adhortatio ad unionem illapſus.

Coroll. Cum igitur tam mira ſint amiciſſimæ anim portenta, quibus Deus animas ſe digne diſpon tes proſequi dignatur, illud maxime mirandum e quod tam raro ex noſtro defectu illa in nobis exp riamur; cujus ratio eſt, quia Deum in nobis a ſconditum ſcire negligimus; quia eum quaſi ign tum Deum colere non ſtudemus; quia theſauru regni cœlorum in cordis noſtri agro reconditu non inquirimus. Itaque quia Deus nobiscum eſ & nos cum Deo ſimus, & ſequamur monitum V Bloſii *Inſt. ſpir. c.* 3. „ Convertat ſe Aſceta in ſe „ & habitet intra ſe: ibi enim Deum revera inve„ nire poterit: nam Deus, qui ubique eſt, i„ mente humana, & nudo animæ fundo ſingulari„ ter eſt. Felix vero eſt, cui Deus adeſt, non „ ſolum per eſſentiam, ſicut quibuslibet creaturi„ adeſſe creditur, ſed etiam per gratiam. . . *Igi*„ tur aſceta indubitanter credat, inviſibilem Deum „ juxta, & intra ſe eſſe, eum ſancto timore, cum „ reverentia, & humilitate ante oculos ejus tan„ quam caſta ſponſa ſtet. . . Ita Domino intendat

„ omni-

„ omnibus aliis a ſe excluſis, quaſi ipſam Dei eſ„ ſentiam coram cerneret, nihilque usquam præ„ ter Deum, & ſe eſſet. Concludat ſe in Deo, „ & in eo tanquam in conclavi cœlove habitet. „ Gaudeat, & exultet, quod eum tam facile in „ ſe invenire poſſit, quodque talem, ac tantum „ theſaurum intra ſe habeat; illum autem in ſe in„ venit, quando ejus reminiſcitur, ſed præclariſ„ ſime eum in ſe inveniet, quando ad nudum ani„ mæ ſuæ fundum pertingere poſſit. „

§. 321.

Quarta unio animæ cum Deo conſiſtit in ſu- *Transformatio myſtica.* remo gradu contemplationis per *Transformaonem myſticam paſſivam*, quæ pro noſtro captu a deſcribi poteſt: Transformatio paſſiva myica eſt ſupremus contemplationis gradus, per uam anima myſtice mortua, & annihilata, leo in eam ſpecialiter illapſo illi in centro, & ındo ſuo, ac mentis apice intime unitur, diini amoris incendio undique circumdatur, inme penetratur, & usquequaque inflammatur, t ſeipſam quaſi exuat, & in omnibus ſuis poentiis ſpiritualibus, quin etiam ſuo modo in aterialibus, operationes extraordinarias ſeniat, quæ nonniſi Deo, anima tamen conſeniente, intime præſenti, & pacem ſatiativam ordis, & mentis afferenti tribui poſſunt, ita ıt divinum quendam affectum induat, in Deo ivat, & in eum quaſi mutetur, & transfornetur.

Schol. Pro explicatione hujus deſcriptionis Transfor- *Explicatur.* mationis myſticæ, doni tam ſublimis, nobis obſcuri, & paucis conceſſi, notandum 1. quod illa dicatur ſupremus contemplationis gradus, non ab-

 ſolute,

S. Gregorius Nyſſen. *in Cant. hom. ult.* t: *Ex his diſcimus, nihil in nobis eſſe præter Deum debere, neque animæ purificatæ ullam ad rem aliam reſpiciendum eſſe, ſed debere hanc ita ſe ab omnibus craſſis tam rebus, quam cogitationibus expurgare, ut tota translata prorſus ad ſtatum, quem mentis intelligentia percipimus, & qui omnium craſſarum rerum expers eſt, illuſtriſſimum ex ſe pulchritudinis Principis ſimulacrum efficiat.* S. Gregorius M. *in Cant. c.* 1. ad illud: *Oſculetur me:* inquit: *Aſſi diceret: ille, quem ſuper omnia, imo ſolum diligo, veniat, qui dulcedine ſuæ inſpirationis me tangat; quia cum ejus oſculum ſentio, ſubita mutatione me derelinquo, & in ejus ſimilitudinem illico liquefacta transformor.* S. Bernardus ibid. *ſerm.* 9. ait: *Non ergo ſic affecta, & ſic electa, contenta erit omnino vel illa, quæ multis per ea, quæ facta ſunt, vel illa, quæ paucis per viſa, & ſomnia facta eſt manifeſtatio ſponſi: niſi ſpeciali prærogativa intimis illum affectibus, atque ipſis medullis cordis cœlitus illapſum ſuſcipiat, habeatque præſto, quem deſiderat, non figuratum, ſed infuſum, non apparentem, ſed afficientem: nec dubium, quin eo jucundiorem, quo intus, non foris.* S. Bonaventura *in* 7. *proc. Rel. c.* 15. docet: *Quamdiu iſtæ animæ potentiæ non ſunt ex toto Deo impreſſæ, non eſt anima Deiformis: forma enim animæ Deus eſt, qui debet imprimi, ſicut ſigillo ſignatum.* Et S. Thomas *in* 3. *d.* 27. *q.* 1. *ad* 1. notat: *Ex hoc enim, quod amor transformat amantem in amatum, facit amantem intrare in interiora amati, & econtra.* Et Gerſon *Th. myſt.* 41. ait: „ Amoroſa unio mentis cum Deo, quæ fit per Theologiam myſticam, congrue transformatio no-

„ mina-

minatur, ſicut B. Dionyſius & S. S. Patres locuti ſunt.„ *Tertio.* Ratio eſt: Amor facit nantem affectu, & ſenſu a ſe deficere, & in lectum mutari, ut nullum inter ſe, & dileum diſcrimen percipiat, ita enim amantem ga dilectum afficit, ut quantum in ſe eſt, vi fectus ſuum eſſe exuat, ut induat dilectum, numque cum illo evadat: Nihil amplius de ſe, isque commodis cogitet, non ſecus, ac ſi m in rerum natura eſſe deſiiſſet; ſed totus coitatione, & affectu eſt in dilecto, ejusque dunixat, bona cogitat, deſiderat, & procurat: ed hæc eſt ipſiſſima transformatio paſſiva myica: Ergo admittenda eſt. Vid. Alvarez *t.* 3. *e vit. ſpir. l.* 5. *p.* 3. *c.* 5. Sandæum Th. myſt. *omment.* 6. *Exercit.* 8. Philippum a S. S. Trin. *.p. tr.* 3. *diſc.* 3. *a.* 10.

Schol. 1. Almaricus, vel ſaltem ejus diſcipuli finxerunt: „ Mentem contemplativi, vel Beati perdere „ ſuum eſſe, & in illud eſſe ideale redire, quod „ æternum habuit in mente divina. „ Almerico hunc errorem tribuit Gerſon *Th. myſt. conſid.* 41. Diſcipulis ejus vero Natalis Alexander *Hiſt. Eccl. Sæc.* 13. *c.* 3. *a.* 5. Quicunque tamen iſte, vel hi fuerint, eorum doctrina merito a Gerſon inſania vocatur, eo modo, quo illa in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. in *c. Damnamus.* De Sum. Trin. damnata fuit his verbis: *Reprobamus, & condemnamus perverſum dogma impii Almarici: cujus mentem ſic pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica, quam inſana ſit cenſenda.* Addit Gerſon: „ Hanc etiam inſanam Almarici „ doctrinam viſus eſt renovare Author illius tra„ ctatus, cujus titulus eſt: *De ornatu ſpiritualium* „ *nuptiarum*, cujus initium eſt: *Ecce, Sponſus ve*„ *nit.*„ Sed cum ea de re contra Authorem hujus *Almaricus refutatur.*

jus tractatus, qui eſt Joannes Rusbrochius, dum antea epiſtolam ſcripſiſſet, quæ ſubito de... ſorem Rusbrochii habuit in epiſtola pro illo, ... que ipſe Gerſon fateatur, quod in aliis libris ... errorem correxiſſe videatur. „ Ponendo, ... „ anima talis ſemper remanet in eſſe ſuo prop... „ quod habet in ſuo genere, ſed dicitur tant... „ modo ſimilitudinarie transformari. „ Me... debuiſſet nunquam imputaſſe, & multo minus ... ſiſtere in imputando tam pingui errore præd... Authori, ſed potius duriſculam aliquatenus loc... tionem illi elapſam ex aliis locis mitius interp... tari. Sic fecerunt Apologiſtæ Rusbrochii, ſcilic... Dionyſius Carthuſianus, Laurentius Surius ... Et Cardinalis Bellarminus *l. de Script. Eccleſ.* ... Rusbrochio agens, videnſque, illum ab alio c... pi, ab alio defendi, ſubdit: „ Id enim accide... „ ſolet iis, qui ſcribunt de myſtica Theologia, ... „ eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis „ laudentur: quia non eodem modo ab omnibus „ accipiuntur. „

Transformatio dicitur Matrimonium ſpirituale.

Schol. 2. Transformatio myſtica paſſiva a Myſticis etiam dicitur Matrimonium ſpirituale. Sicuti enim de matrimonio carnali dixit Adam *Gen.* 2. *v.* 24 quod per illud homo *adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* Ita Apoſtolus *Eph.* 5. *v.* 32. dixit: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Et 1. Cor. 6. v. 17. *Qui autem adhæret Domino, unus Spiritus eſt.* Quod eſt adinſtar matrimonii carnalis celebrari matrimonium ſpirituale Dei cum animarite diſpoſita, per quod adhærente anima Deo unione transformativa ex duobus quaſi unus Spiritus fit. Quo etiam ſenſu ſponſa *Cant.* 3. *v.* 4. dixit: *Tenui eum, nec dimittam: donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Et S. Bernardus *ſerm.* 83. *in Cant.* ait: *Talis conformitas maritat animam. Verbo: cum cui videlicet ſimilis eſt per naturam ſimilem, nihilominus ſe ipſi exhibet per volun...*

voluntatem, diligens ſicut dilecta eſt. Ergo ſi perfecte diligit, nupſit. . . Vere ſpiritualis, ſanctique connubii contractus eſt iſte. Parum dixi contractus: complexus eſt: complexus plane, ubi idem velle & nolle idem, unum facit ſpiritum de duobus. Plura dabunt Harpius *Th. myſt. l.* 1. *c.* 98. Thomas a Jeſu l. 4. de Orat. c. 14. Philippus a S. S. Trin. *Myſt. Th. p.* 1. *tr.* 1. *diſc.* 2. *a.* 3. Joſeph. a Spir. S. *d.* 25. Lauræa de Orat. *Opuſc.* 8. *c.* 7. *cond.* 2. Et S. Thereſia *in caſt. manſ.* 1. *c.* 1. dicens: „ Quando D. N. dignatur „ compati huic animæ a ſe jam ſpiritualiter ſuſce- „ ptæ in ſponſam ob ea, quæ patitur, & paſſa eſt „ ob ipſius deſiderium, conſummaturus ſpirituale „ matrimonium, eam introducit in manſionem „ ſuam. „ Similiter loquitur S. Joannes a Cruce in *dial. amor. cant.* 28. Ubi tamen ſemper S. Thereſia notat de ſpirituali hoc matrimonio nihil abſonum ſumendum, nihil a puro ſpiritu alienum fingendum eſſe. Non obſtat I. Quod hoc matrimonium videatur eſſe proprium ſtatui beatorum juxta illud. Apoc. 21. v. 9. *Veni, & oſtendam tibi ſponſam, uxorem Agni. Reſp.* Transformatio dicitur matrimonium ſpirituale relate ad reliquos gradus contemplationis minus perfectos, quod tamen abſolute ſoli ſtatui beatorum convenit. II. Non videtur eſſe diverſitas inter ſponſalitium, quod illapſui tribuitur (§. 318. *Sch.* 2.) & matrimonium ſpirituale, quod transformationi aſſignatur. *Reſp.* Diverſitas eſt in hoc, quod quando habetur unio ſolius conformitatis voluntatum, ſive per promiſſionem factam in Baptismo, ſive in ſtatu religioſo, ſive in oratione communis contemplationis impleta, & in ſuo genere perfecta, tunc erit ſponſalitium imperfectum: erit vero perfectum, quando per unionem paſſivæ contemplationis illapſus ſupervenit tactus, & viſus ſpiritualis, quo anima dilectum ſuum experimentaliter ſentit ſaltem per unam, vel alteram potentiam, & ad deſiderandam unionem totalem exardeſcit. Quando tandem hæc unio totalis quoad omnes animæ potentias, & to-

tam animam, uni amori Dei paſſivo vacante cum experimentali, quaſi tactu, & viſu ſpirit perficitur, tunc ſponſalitium migrat in matrimnium ſpirituale pro ratione viæ perfectum, li reſpective ad ſtatum patriæ dicatur potius ratum quam conſummatum. III. Matrimonium impo vinculum habituale, & indiſſolubile: unio ve contemplativa quantumcunque perfecta in via n eſt habitualis, ſed actualis, nec inſolubilis, quæ vel ex culpa, vel ad probationem amitti p teſt. *Reſp.* Ex his ſequitur ſolummodo Matrimnium hoc ſpirituale non verificari abſolute in v ſed tantum comparative: nam ut vinculum illu cenſeatur in ſubſtantia perſeverare, non requiritu ut per determinatos actus continuos, ſed aliqua do ſufficientes, & morte non reſciſſos perdure, imo ut cum omni ſua perfectione Matrimonium perſeveret, ſufficit, ut per actus amatorios mor liter frequentes veluti conjugalis cohabitatio continuetur. Deinde Matrimonium hoc per peccatum grave, ceu mortem animæ, ſicuti Matrimonium carnale per mortem corporis ſolvitur: & fieri ſimiliter poteſt, quod ob tepiditatem, vel ad probationem, fiat ſeparatio non quoad vinculum, ſed quoad thorum: interim tamen contemplativus i hoc gradu ſpecialibus gratiis ad perſeverandum i illo frequenter, & ſingulariter a Deo donatur, ut multo difficilius ſit, in illo ab amore Dei perfecto deficere, quam in aliis: imo Thomas a Jeſu *l.* 4 *de orat. c.* 18. *ad* 8. putat, in hoc gradu animam per revelationem divinam reddi certam de ſtatu gratiæ, & ſuæ perſeverantiæ: vel ſaltem ſine ſpeciali revelatione, & certitudine, in gratia a Deo confirmari. Verum huic privilegio ſine ſufficienti fundamento aſſerto merito omnes reliqui myſtici contradicunt.

§. 323.

Primum ſignum

Transformationis paſſivæ fructus, & *Signa* nonnulla aſſignari poſſunt, quorum *primum* eſt,

ſi

transformationis unio cum Christo, crucifixo.

anima intimis viſceribus Chriſto crucifixo uniatur. Hæc doctrina *primo* deſumitur ex Apoſtolo cum interprete Angelico 2. *Cor.* 5. v. 13. *Sive mente excedimus, Deo. . . Charitas enim Chriſti urget nos, æſtimantes hoc, quoniam. . . Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* Ubi S. Thomas per ly *mente excedimus*, intelligit contemplationem, qua anima elevatur, & rapitur extra ſe, ut Deo uniatur, quo caſu charitas Chriſti urget nos, & ſtimulat, ut ponderantes, quod pro omnibus mortuus eſt, jam non nobis vivamus, ſed ei, qui pro nobis mortuus eſt. Rurſus Philipp. 2. v. 5. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui, cum in forma Dei eſſet. . . Semetipſum exinanivit. . . Humiliavit ſemetipſum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Id eſt juxta S. Thomam: „ Sic ſentite quaſi tan„ gendo (quod eſt proprium transformationi „ paſſivæ) per operis imitationem ad exem„ plum Chriſti. „ Unde etiam Sponſa in ſpiritualibus ſuis contemplationis delitiis *Cant.* 1. v. 12. exclamat: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* *Secundo.* Præter Patres alibi (§. 110.) allatos, idem docet Richardus Victor. *tr. de grad. viol. Char.* dicens: *In hoc ſtatu*, ſupremo contemplationis, *animæ ejusmodi proponitur forma voluntatis Chriſti, unde & dicitur ei: Hoc enim ſentite in vobis. Hæc eſt forma humilitatis Chriſti, ad hanc ſe debet conformare, quisquis ſupremum conſummatæ voluntatis gradum attingere volet. . . In tertio itaque gradu anima in Deum glorificatur; in quarto*

propter Deum humiliatur. In tertio gradu conformatur divinæ claritati, in quarto vero conformatur Chriſtianæ humilitati, & cum in tertio gradu quodammodo quaſi in forma Dei eſſet, nihilominus tamen in quarto gradu ſemetipſam exinanire incipit, formam ſervi accipiens, & habitu inventum invenitur ut homo. Tertio. Ratio eſt: Contemplativi, quo ſunt Deo propinquiores in contemplando, eo magis conformari debent imagini Filii ſui. *Rom.* 8. *v.* 29. Sed hoc fit, ſi intimis viſceribus Chriſto crucifixo uniantur: Ergo illi ſic uniri debent.

§. 324.

Secundum Signum amor patiendi.

Secundum Signum perfectiſſimæ contemplationis, & transformationis eſt, non ſolum pati cum ſufferentia, ſed etiam *cum deſiderio patiendi*, & cum ſpirituali gaudio in quibuscunque tribulationibus. Nam *primo* hæc eſt praxis illius doctrinæ Evangelicæ a Salvatore noſtro traditæ, & ab Apoſtolis obſervatæ. Matth. 5. v. 11. *Beati eſtis, cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes propter me: gaudete, & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Quo Spiritu *ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu concilii; quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Et S. Paulus 2. Cor. 11. *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ ſunt, gloriabor.* Et Gal. 6. v. 14. *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Et transfigurato Jeſu in monte, Moyſes, & Elias in ſum-

mma contemplatione; *dicebant exceſſum ejus*, cilicet de cruce & paſſione juxta S. Chryſoſtomum hom. 17. in Matth.) *Quem completurus erat in Jeruſalem.* *Secundo.* Hæc eſt doctri- P. P. S. Chryſoſtomus *hom. 8. ad Eph. 4.* : : *Siquis erga Dominum inſanit, ut ita dicam, ardet, is novit, quæ ſit vinculorum virtus.* *ic utique prius habebit, optione data, vincula opter Chriſtum, quam cælos inhabitare.* S. Bernardus *ſerm. 7. de Quadrag.* inquit: *Qui raptus usque ad tertium cælum, crux illi eſt omne, i mundus inhæret, & his adhæret, quæ mundo ux eſſe videntur.* S. Bonaventura *p. 1. ſtimul. iv. amor. c. 1.* ait: *O amabilis, o venerabilis aſſio Jeſu Chriſti! quæ ſui devotum meditatoem ſic dulciter, ac ſalubriter inebriat, & ſimpliciter inebriat, ut jam ipſum non ſolum reddat angecum, ſed divinum. Nam talis contemplator comorans in Chriſti paſſionibus, & tormentis per editationem, ſeipſum etiam non videt, nec aliuid aliud, niſi Deum.* Hoc item ſpiritu extatius S. Ignatius Martyr dixit: *Amor meus crucifixus eſt.* S. Thereſia: *aut pati, aut mori.* S. Magdalena de Pazzis: *Pati, non mori.* S. Franciſcus Xaverius: *Amplius Domine, amplius.* Et S. Thereſia *in caſtell. manſ. 7. c. 4.* notat, omnes, qui proximiores Chriſto fuerunt, graviora paſſos eſſe, quod in S. S. Deipara, & S. S. Apoſtolis apparet. *Tertio.* Ratio eſt, quia quo ardentior eſt amor erga Deum, eo graviora pro eo ad conteſtandum illum pati deſiderat.

Corollar. Audiamus pro Coronide monitum S. Thereſiæ *caſt. manſ. 7. c. 4.* „ Scitote, id valde in- *Adhortatio ad*

„ ter-

transformationem. „ tereſſe, ſupra quod ego poſſim ponderare: fig „ in Crucifixum oculos, & totum vobis par „ comparebit. Majeſtas Domini oſtendit nobis am „ rem ſtupendis adeò factis, & tormentis: q „ modo vultis plene ipſi placere verbis ſolis? N „ ſtis, quidnam ſit, eſſe vere ſpirituales? Fie „ mancipia Domini, ſtigmate crucis ſignati, ita „ vos vendere poſſit in totius mundi mancipia, „ & ipſe fuit: & ſiquidem veſtram illi ceſſitis „ libertatem, nullam vobis faciet injuriam, ſed „ potius non exiguum beneficium in hoc.„ Et quia contemplativi, quo magis Deo in contemplando appropinquant, eo perfectiores debent eſſe imagines Crucifixi, non penicillo, aut ſuperficiali arte, ac tenui labore depictæ, ſed ex ære per ignem fuſili elaboratæ, qualis fuit ſerpens juſſu Dei a Moyſe in deſerto exaltatus *Num.* 21. *v.* 8. qui fuit imago Crucifixi *Joan.* 3. *v.* 14. Sint imagines Crucifixi, qui quaſi cavam formam in ſua exinanita humilitate reliquit, velut arte fuſoria, aerea patientia, & multo tribulationum igne primum ad liquefactionem, mox ad perpetuitatem fabricatæ. Verus quippe contemplativus non refugit, ſed amat pati, & crucifigi cum Jeſu, ſicut & Jeſus amat in illo, uti quondam in S. Petro, crucifigi. Hoc Spiritu acti omnes Sancti, non aliam ad cœlum viam tenuerunt, quam pati, & in jucunde patiendo cum Chriſto Crucifixo futuræ beatitudinis prægustum adhuc in mundo invenerunt. Non capimus equidem nos tepidi hoc myſterium, verum teſtem expertum audiamus S. Franciſcum Seraphicum non modo viſibiliter in Chriſtum Crucifixum transformatum, ſed etiam *l.* 3. *opuſc. collat.* 24. De anima vere contemplativa transformari in Chriſti dolores cupiente, quorum guſtus quidem amarus, in operatione vero dulciſſimus eſt, ita loquentem: „ Proinde videmus, Deum communi„ care gratiam ſuam iis, qui hoc modo eum ſe„ quuntur: & econtrario eam auferre ab illis præ„ ſumptuoſis, qui per alias chimeras, dicunt ſe

„ velle

„ velle ei uniri, nec tamen a ſeipſis unquam re-„ cedunt, verum tandem miſere abeunt in prae-„ cipitium. „

§. 325.

Aphoriſmi circa contemplationem, & contemplativos.

Aphoriſmi pro contemplativis.

I. Conceptus contemplationis perfectus caritatis actus eſt ultra lucem intellectus.

II. Non eſt contemplatio, ſed fides, & ſpeculatio actu in intellectu, qui non completur ultimo ab amoris affectu.

III. Perfectio permanens, & Sanctitas formalis, non contemplatio eſt, ſed gratia habitualis.

IV. Qui non experitur guſtum contemplationis, neſcit ſaporem hujus ſuaviſſimae unionis.

V. Contemplatio, quae non includit altiſſimam humilitatem, vel cito deficit, vel convertitur in ariditatem.

VI. Humilitas contemplativa naſcitur ex cognitione Dei: humilitas affectiva naſcitur ex cognitione mei.

VII. Paucorum eſt, ad altiſſimam conſcendere contemplationem: at omnium eſt, implere ſtatus proprii obligationem.

VIII. Titiones ſunt dolores, qui contemplativos ſuſcitant, foventque amores.

IX. Tres gradus ſunt nuditatis, perſecutionis, & abnegationis, quibus ad faſtigium aſcenditur contemplationis.

X. Ubi humilitatis non habetur ratio, nec Sanctitas ulla eſt, nec contemplatio.

XI. Cruces, & exquiſitorum copia labo rum, panis quotidianus eſt contemplativorum

XII. Puritas angelica morum, & intentio nis, diſpoſitio valde propinqua ſunt contem plationis.

XIII. Innocentia, & patientia in tribula tione, non eſt gradatim ire, ſed volare in per fectione.

XIV. Rarus eſt, qui dum accuſatur, non loquatur: & ſi conſiſtit in falſis teſtimoniis ta cendo, Seraphim eſt in amando, & martyr in ſufferendo.

XV. Tenebræ in animabus contemplativis veſperæ ſolent eſſe pro luminibus exceſſivis.

XVI. In contemplatione ſolet infuſum ma joris eſſe ſaporis, ſed acquiſitum, cum gratia ſcilicet Dei, majoris valoris.

XVII Ab hominibus ſeparatus, ſi tamen vult eſſe delicatus, fiat iterum cæteris aſſo ciatus.

XVIII. Qui nihil præter Deum quærit, Deo in omnibus conformis erit.

XIX. Contemplatio, cujus cauſa prætери tur obligatio, magis habet illuſionis, quam ve ræ in ſeipſa orationis.

XX. Ut fruaris alta contemplatione, opus eſt ſpeciali vocatione: ſi autem absque iſta præſumas volare, brevi ad ima cogeris remeare.

XXI. Multi perduntur in via contemplationis, quia carent magiſtro pleno perfectionis.

XXII. Fallitur, ſiquis putat, contemplationem eſſe cunctorum, cum margarita pretioſiſſima ſit, & oppido paucorum.

§. 326.

Arcana, quae pertinent ad contemplationem.

I. Contemplatio eſt gratia gratis data, & ordinarie gratia infuſa, uti eſt donum, patrandi miracula. Proinde ultra exacte vivere ſecundum obligationes ſtatus, quem quis profitetur, ſtudendo magnae Sanctimoniae, parum ad rem faciunt regulae humanae: quandoquidem donum iſtud magis a liberalitate divina, quam ab humana diſpoſitione dependet. (§. 238. *ſqq.*) *Arcana de contemplatione.*

II. Pro conſervatione contemplationis Regula unica eſt, quaerere magiſtrum in ejusmodi rebus bene verſatum, qui monebit, puritati vitae, morum, & intentionis, adjungendam eſſe exactam obſervationem obligationis ſtatus proprii.

III. Sanctitas formalis in gratia habituali conſiſtit, quae eſt forma ſanctificans, cujus prima infuſio fit, vel per Sacramenta, vel per actum amoris, aut contritionis perfectae: quaeque augetur per actus meritorios omnium virtutum, quorum plures contemplatio cum aliqua accidentali perfectione adjuncta vi donorum, aut alicujus gratiae gratis datae exercet.

Quare communiter, qui magis virtuoſus, aut qui magis contemplativus, ſanctior eſt, & si dono contemplationis carentes ſint magis virtuoſi, contemplativis illis ſanctiores erunt. Interim vero ſeducitur, ſiquis putat ad altum contemplationis gradum pertingi poſſe, niſi per plurimas virtutes, labores, & difficultates, niſi ſpecialiter ſit a Deo privilegiatus.

IV. Quemadmodum homo ex corpore, & anima componitur, ita actus contemplationis ex fide viva, & charitate accenſa coaleſcit: cumque totum compoſitum ſit nobilius, ſingulis ſuis partibus diviſive ſumptis, ideo actus contemplationis adæquate ſumptus quovis actu ſimplici nobilior eſt; & quia contemplatio ex fide, & charitate unitis componitur, nobilior eſt ſola fide, vel ſola ſimplici charitate: Quin etiam nobilior eſt virtutibus collective ſumptis, ſi nudæ ſint, quatenus cæteris paribus vi donorum, aut gratiarum gratis datarum addit nobiliorem modum operandi, & frequenter etiam facit quoad ſubſtantiam perfectius operari.

V. Meritum, quod actui phyſice vitali, & ſupernaturali ſupervenit, oritur, vel ex majori, aut minori gratia habituali, vel ex gratia actuali per modum auxilii elevantis, vel ex libertate indifferentiæ per gratiam elevata, vel ex majori, aut minori difficultate, quæ cum gratia in opere virtuoſo ſuperatur, vel ex majori, aut minori intenſione, ſive extenſione illius. Quodſi proinde actus alicujus virtutis

mora-

moralis in his omnibus circumſtantiis plus, quam actus contemplationis abundaverit, tales actus virtutis moralis magis meritorius erit.

VI. Raptus, Extaſes, Viſiones, & omnia de rebus ſanctis, quantum ad id, quod in iis externum eſt, noſtram excedunt poteſtatem, adeoque ex hac parte, qua carent libertate, nec liberæ, nec meritoriæ ſunt. Si tamen adſit actus interior ſupernaturalis, & liber in ſuperiori parte animæ, ex principio ſupernaturali proveniens, tunc actus interni liberi erunt meritorii; non vero actiones, vel paſſiones externæ neceſſariæ. Unde ſi Salomon meritus eſt in ſuo ſomnio, id fuit per actus internos, non vero per ſomnium externum, qui fuit actus naturalis, & neceſſarius.

VII. Gratia habitualis unit nos Deo meritorie tanquam fini ultimo, quem merebimur, & obtinebimus tempore ſuo, ſi cum illa perſeveraverimus. Charitas unit nos Deo tanquam cum objecto ſuo, ad quem, utpote virtus Theologica, nos ordinat, actusque illius, in quantum meritorius, diſpoſitio eſt, quæ meretur gratiam habitualem, tanquam ſemen gloriæ, & ultimi finis. At contemplatio ſupponit pro fundamento gratiam habitualem, & ipſius unionem, & includit intrinſece charitatem tanquam partem componentem, adeoque reſpicit Deum, ut objectum ſuum, & præterea unit animam cum Deo, tanquam cum ſuo principio. Nimirum contemplatio aſſociata cum gratia, & charitate unit animam cum Deo,

tanquam cum primo principio, ultimo fine, & objecto, quæ ſunt tres majores uniones quas viator cum Deo habere poteſt, quamdiu in hac vita ſub lumine fidei degit.

VIII. Quando Deus ſubſtantialiter, non ſolum per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſed ut principium peculiare ſe conſtituit ad modum, quo eſt in cœlo, & in eo quidem lumine gloriæ, hic autem lumine fidei, & contemplationis, in arcaniſſimo eſſe ſubſtantiali, & vitali animæ, tunc tanquam principium vitale, ſupernaturale, ac divinum, communicat vigorem quemdam, & vitalitatem pariter in modum divinum potentiis intellectus, & voluntatis, ut producant quosdam actus contemplativos valde ſublimes. Et tunc dicitur Deus eſſe in anima, per modum unionis illapſus, non ut forma informans, ſed ut principium animam ſibi ſubordinans, & elevans illam, ut comprincipium elevatum ad novum operandi modum ſupernaturaliter, & vitaliter aliquantum, imitando beatos in cœlo, ubi per lumen gloriæ eodem modo elevantur, ut clare eſſentiam Dei videant.

IX. Per unionem illapſus Deus non ſanctificat animam, ſed ſanctificatam ſupponit per gratiam habitualem, quæ eſt forma informans, communicans ipſi Sanctitatem. Deus autem tunc non eſt in anima, ut forma informans, ſed ut cauſa efficiens, & illam elevans.

X. Cum

X. Cum Deus in unione illapſus non ſit forma informans, ſed cauſa efficiens, nec anima ſit cauſa materialis, ſed concauſa efficiens elevata, Deus cum anima nullam veram compoſitionem facit, ſed ſolam ſubordinationem, quæ ad unionem illapſus ſufficit; quæque etiam tactus ſubſtantialis dici poteſt, quandoquidem hoc nomine ſolum ſignificatur intima quædam coexiſtentia ſubſtantiæ divinæ in ratione principii elevantis, cum ſubſtantia humana tanquam principio elevato: ita tamen, ut Deus & anima non conficiant unum principium adæquatum ex duobus principiis inadæquatis, ſed Deus eſt primum principium totale, anima vero eſt principium, ſeu cauſa ſecunda totalis ſimul cum gratiis, quibus a Deo donatur, adeoque non componunt, ſed aliud alteri ſubordinatur.

XI. Contemplatio Scholaſtica eſt pure ſpeculativa divinarum veritatum cognitio; Myſtica vero eſt actus compoſitus ex fide viva, & charitate ardente: Scholaſtica eſt perfectio intellectus; myſtica & intellectum perficit, & voluntatem.

XII. Inconſultum eſt, omnibus ſine diſcrimine perſonarum conſulere, ut contemplationi ſe tradant, eamque procurent: quia hæc gratia eſt magis infuſa, quam acquiſita, & ſicuti gratiæ gratis datæ non ſunt omnibus infuſæ, ita neque omnes illas procurare debent. Deinde quia aliqui vitæ mixtæ ita ſunt imprudentes, ut recepto aliquo contemplationis gradu,

gradu, illico propriæ vocationis faſtidio capiantur, præferentes amorem ſolitudinis obligationi fraternæ charitatis, repudiantes laborioſam Liam commercii cum proximo propter dilectam pulchram Rachelem contemplationis. Ignorant hi, orationem, ſuavitatem, & contemplationem, quæ obligationibus inſtituti, quod homo profitetur, præjudicant, plus habere illuſionis, quam orationis.

XIII. Fieri ſolet, ut ingenia indocilia, quæ terribilibus, ac vehementibus agitantur paſſionibus, ſint incapacia illius, quod ſuavius & ſublimius eſt in contemplatione: licet enim contingere poſſit, ut ejusmodi homines ſint magis Sancti, & amici Dei, quam plures contemplativi, ſi nimirum has paſſiones mortificent, & ſtudioſe refrænent; ordinarie tamen, cum adeo ſint contumaces, ſuperbi, & iracundi, & in multis actionibus immoderati, locum non præſtant, ut ingenium ita incompoſitum capax plerumque ſit contemplationis infuſæ, gaudentis tanta ſuavitate, pace, quiete, manſuetudine, aliisque qualitatibus, nimium diſſitis a male temperata ſubjecti capacitate, niſi forte mortificatio in eo adeo heroicá fuerit; quæ veterem in alteram naturam quaſi transmutet. (*vid.* §. 245. *cum ſqq.*). Sit proinde Tractatus hujus de vita ſpirituali hic Finis.

Ut in omnibus glorificetur Deus.

ERRA-

ERRATA
TOMI PRIMI.

Pag.	Lin.		Corrige.
1	2	Proemialis	Procemialis.
3	3	perficit	perficiat.
5	16	Prœmiali	Procemiali.
47	8	Et Et	Et
54	4	ſicut	ſicui
59	16	operè	ope
60	26	ideo	idea
67	10	adminiſtrationem	*adde* Sacramentorum
76	26	noxia	noxio
77	16	nova	novo
83	8	prœmio	procemio
88	36	Deum	*adde* ſive
88	40	vos	nos
137	15	ſacrà,	facta.
149	6	impias	impios
155	16	cauſa	cauſam
156	39	illud	illa
166	8	commendantur	commendatur.
176	4	monet	monent
199	38	ſecundam	ſecundum
202	9	prædominetur	prædominentur
210	18	ſenſitiva	ſenſitivus
216	1	tunc	tune
217	7	materia	materiæ
257	5	prœm.	procem.
258	27	Apoſtolus	Apoſtolos
297	*ult.*	ſecum habeat	ſecum non habeat
333	12	ergo	*deleatur*
346	1	futuro	furto
357	20	multam	multum
369	22	arduam	arctam
373	29	perſequi	per ſesqui
384	27	dœmones	dœmon
388	3	alia	*deleatur*

Pag.	Lin.		Corrige.
404	25	te	ſe
423	29	S. Bernardus	S. Bernardinus
446	29	juvare	pati.
451	15	imprudentes	imprudenter
467	2	veritatem dicendi	ad veritatem dicendi
484	29	epilepſio	epilepſia
491	22	qua	quæ
493	6	eclipſiri	eclipſin
524	9	Judica	Indica
527	22	mereri valemus	mereri non valemus
531	8	docere	doceri
542	39	ſi	ſic
544	22	cœleſtis	cœleſtes
585	19	Quos	Quo
589	9	Bendictum	Benedictum
590	19	accedendam	accendendam
593	9	fruſtrum	fruſtum
594	12	per	pro
594	24	&	ut
598	16	tuam	*tum*
598	20	urgent	urgerent
599	26	ſe	*deleatur*
601	2	jactura	jacturæ
603	18	bonistam	bonis tam
613	22	lucte	lucta
615	33	nullus	vultus
616	10	febri citantis	febricitantis
622	19	Cloſius	Bloſius
624	28	adorandum	ad orandum
626	33	ob ventura	obventura
626	33	facto	facta
626	41	mediate	medietate
630	12	quem	quam
633	30	*omittatur repetitio*	
637	10	etiem	etiam
648	34	eum	cum
651	7	a charitate &c.	a claritate in claritatem

JAN 21 1958